



150 Feb. 13. 1730. Being a duplicate






Poggio, Giovanni Francesco.






Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b30416462>






POGGI
HISTORIA
FLORENTINA

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA,

Notisque, & Auctoris Vita
illustrata

A B

JO. BAPTISTA RECANATO
PATRITIO VENETO,
Academico Florentino.



VENETIIS, ANNO MDCCXV.

Apud Jo. Gabrielem Hertz.

SUPERIORUM PERMISSU.

Tedit Collegio Ettonensi Thomas Evans M. D.

eiusdem Collegii Socius 1733.

ad Libera Duplicate. fol. 13. r. 2. 2.

119509

ALBERTUS

AD

LIBRARIAM

ET

LIBRARIAM

LIBRARIAM

LIBRARIAM

LIBRARIAM



AD LECTOREM.



Uoties reputo, Poggii diligentia factum esse, ut sexdecim ferme Latinos Scriptores haberemus, qui ceteroquin pulvere situque obsiti perpetuo latuissent, vel tardius multo in lucem venissent, ea me cogitatio vehementer afficit, ac incendit, ut aliquam viro meritissimo gratiam dicendo, scribendove rependam. Æquum enim profecto est, ut quemadmodum illi Venetus civis Franciscus Barbarus suasor in primis, & auctor fuit, ut curam hanc laboremque susciperet, ita non desit ex eadem civitate qui hac ætate literis deditissima tanti beneficij memoriam renovet, totique posteritati

publica grati animi testificatione
commendet. Id vero cum multis ra-
tionibus fieri poterat, tum nulla
certe opportunius, quam si Floren-
tinam Historiam a Poggio scriptam
aliquando invenissem, e tenebris
duxissem, & in omnem seculorum
memoriam typorum opera propagas-
sem. Res plane ex sententia succes-
sit: jamque voti damnatus inibi
eram ut Poggianam Historiam ede-
rem, cum Italicam Jacobi filii ver-
sionem obtrudere mihi quidam cæpe-
runt, & a proposito deterrere. Hæsi
equidem tantisper animi dubius, ne-
quid supervacaneum afferrem,
actumque agerem; sed ea me deni-
que cogitatio confirmavit, quod &
paucissima sint de Florentinis rebus
latinae Historiæ, nec ea ipsa quam

Jaco-

Jacobus Italicam edidit, hujus nostræ fidem, & gravitatem assequatur. Non mihi sane propositum est, Jacobi laudem imminuere, cui præsertim librorum Epitomas debeo, veruntamen ea est hujusmodi lucubrationum natura, ut quantunvis diligentissime elaboratæ, multo tamen infra latina exempla semper consistant. De notis porro nostris quid dicam? Me scilicet illas ad rerum fidem & confirmationem, non ad ingenii ostentationem apposuisse. Itaque non modo ceteris scriptoribus, sed ne Poggio quidem ipsi peperci, ubi constans aliorum consensus cum ratione conjunctus ita postulare visus est. Illud expetendum denique erat, quod hujus ætatis editiones plurimum ornare solet magna co-

dicum

dicum copia, unde non parva orthographiæ, aliqua etiam fortasse sensui lux accessisset: sed non omnia uni contingunt uno tempore. Interim vero si curæ hujus, ac laboris mei ratio constabit, nova insuper diligentia publicæ utilitati consulam, & multa præterea hujus hominis Πολιγραφεάτης in medium proferam, quæ non sine aliquo literarum detrimento in privatis bibliothecis recondita, atque adeo sepulta marcescunt. Vale.

POGGII VITA

CAPUT I.

Poggii origo, patria, ac parentes.

EX Terranova Florentinae ditionis oppido prope Aretium originem duxit Poggius, vir eo ingenio, & doctrina, ut quamvis obscuro loco natus, præclarissimas tamen dignitates consecutus sit, summamque sibi, & patriæ suæ nobilitatem pepererit. Poggius ab avi nomine dictus est, patremque habuit Guccium, quem fortasse ab imminuto, vitiatoque Arriguccii nomine ita appellarunt. Familiam hanc ab avo primum Terranovam deductam fuisse ex epistola (1) quadam compertum habeo, quæ Benedicto de Bondelmontibus ab Antiquario nescio quo scribitur; constatque ex Lanceolina juxta Terranovam majores ejus propagatos, ibique notarii munere functos. Porro Epistolæ auctor ex eo sententiam suam confirmat, quod gentilitia Poggii insignia, hoc est lilia, & brachium dimidia parte rubrum, dimidia album parvam lanceam tenens loco natali adhuc conspiciantur. Terranovanum Poggium jam omnes fatemur, ex eo præcipue, quod ipsemet hoc asserat: (2) Quo primum anno Nicolaus Pontifex V. pestis causa Fabrianum Piceni oppidum secessit, cum me ad Terranovam natalem patriam cum familia contulissem, &c. (3) Blondus quoque Flavius ubi ad Etruriæ urbes, & pagos sermonem convertit, ait. Et Terranovam Poggii viri eloquentissimi, & aliquot editis operibus clari patriam Guido Petramalensis, Aretinus Episcopus, muro, quem nunc habet, cinxit.

a

CA-

(1) Ex Biblioth. Strozz. Cod. D X. | 992. a 116.

(2) Hist. 1. Hist. Tripartitæ Edit. Basil.

(3) Blond. Flav. Ital. Illust. ubi de Etr.

C À P U T I I .

Varia de ejus nomine sententia .

Non una est de ejus nomine sententia . Jacobum appellat Thomas Dempsterus Scotus lib. VIII. (1) de Etruria Regali, quæ Cosmo II. Magno Etruria Duci dicata est, Ubi illustres viros recensens hæc habet . Jacobus Bracciolinus , cognomento Poggius , mendacii , ac parum probatæ fidei à Jacobo Sannazario tractatus . Additque Sannazarii distichon , quod in Poggium historicum scriptum fuisse omnibus notum est . Neque vero Dempstero satis fuit , Poggio patri nomen filii tribuisse , sed ætatem quoque tribuit , dum ann. MCDLXXVIII. defunctum asserit . (2) Alii Joannem Baptistam , alii Joannem Franciscum , quæ itidem filiorum ejus fuere nomina , nuncuparunt . Carolum quoque (3) Abbas Michael Justinianus appellat , Caroli Aretini Poggii amicissimi nomine , eo in errorem inductus , quod Platinam doctorum virorum nomina , qui a secretis Eugenii IV. fuerunt , referentem non bene perpenderit , ubi inquit Leonardum Aretinum , Carolum , Poggium , Aurispam , Trapezuntium , Blondum viros doctissimos secretis suis admisit . Itaque Carolum Poggii nomen fuisse putavit , unumque e duobus fecit , cum legenti pateat , Carolum a Platina relatam non alium esse quam Aretinum . Sed Poggii nomen huic viro fuisse & coævi scriptores , & ipsa ejus opera tum edita , tum a venditorum testantur . Leonardus Aretinus (4) Corvino scribens ; Illud inquit me quoque plurimum movet , quod ab egregio adolescente Poggio Terranovano familiarissimo , & amantissimo meo dudum percepi , quanto honore ipsum , cum ad vos acces-

(1) MS. apud Clar. vir. Abb. Salvinum
Salvinium .

(2) Jovius , Freherus , & Aicher .

(3) Abb. Michael Just. Januensis lib. de
Nobilit. Abellini , 1637 .

(4) Ep. ad Corvinum Edit. Brix .

accessisset, vel solo meo nomine fueris profecutus, (5) *Ipse de se Poggius*: Rogo te, sapientissime Pater, ut memineris Poggii tui, qui tot annis, tanto tempore, tanta familiaritate fuit tuæ virtuti deditissimus. *Ad hæc addes, eodem a patre suo nomine appellatum ea in Epistola quæ* (6) *Poggio Adolefcenti inscribitur.* (7) *Quod ad gentilitium nomen spectat, e Bracciolina gente fuisse haud potest dubitari. Sed nominis utriusque certissimam fidem facit Florentinus Priorista, ubi cum de Poggio fit mentio, hæc habet. D. Poggius Guccii Poggii Bracciolini. Sed fortasse qua ex gente fuerit, etiam ex Brachiolo quod est in gentilitiis ejus insignibus conicere licet. Poggium autem procul dubio a Podio dictum fuisse crediderim, quo nomine inter Florentinos Episcopos colitur S. Podius.*

C A P U T I I I .

An fratres habuerit.

Poggio fratres nemo tribuit, licet in dedicatione operis ad Petrum Columnam Cardinalem hæc ipse de se scribat. (1) Non enim potui non angere animo; non & dolore aliquando, cum viderem me natu majorem ita adhuc tenui esse censu, ut cogerer questui potius operam, quam ingenio dare. *Nec se natu majorem sorori comparatum appellat, sed fratri, conquerens enim cum amicissimo Nicolao Nicoli, Ego premo, inquit, undique angustiis, & jam a domo mater postulat argentum, suffectus est alter in locum demortui patris, frater scilicet, qui nil agendo, & sudore meo velit vivere. Et inferius, videbar requiem habiturus a patria, ecce nunc exurrexit frater, qui me affligit. De hujus vero nomine, nulla nec in editis, nec quæ mihi aliisque meis videre con-*

a 2 tige-

(5) Orat. Nicolao V. dicata.

(6) Ep. MS. Guccii Bracciolini. apud me in Cod. 138.

(7) Vid. Diarium Literatorum Ven. To. IX.

(1) Præf. Hist. Tripart.

tigerit , in manuscriptis operibus mentio incidit . De ejus sorore peculiariter Leonardus Aretinus , ubi Poggio scribens , (2) De-
flexi , inquit , in patriam tuam , ibique parentes tuos vidi ,
utrosque sane incolumes ; de sorore autem tua nuper nupta ,
itemque de ceteris prospera mihi retulerunt . Nupta autem
fuit Chello Dini , vulgo della Trojana , a quo Comites del Mae-
stro , quorum gens temporibus quoque nostris tum bello tum li-
teris clara a vitam gloriam tuetur & auget . Nam tum Comes
Laurentius Ferdinandi II. Imperatoris equitum supremus du-
ctor anno MDCXLIII. tum Franciscus pro Veneta Republica
in Forojuliensi bello ann. MDCXVIII. claruere ; Ferdinandus ve-
ro Florentinae Academiae Consul fieri meruit anno MDCLV. di-
gnus quidem , ut a Clarissimo viro Abbate Salvinio in Consula-
ribus ejusdem Academiae Fastis , quos jandiu literati viri desi-
derant , recensatur .

C A P U T I V .

Ejus studia , & adolescentia .

Florentiam decimo octavo aetatis anno , hoc est anno
MCCCXCVIII. se contulit , ut literis operam daret , qua-
rum prima , ut ita dicam , rudimenta a Joanne Ravennate hau-
sit , (1) . Qui licet nil quod sciamus . (ut ipsa Blondi Flavii
verba usurpem) a se scriptum reliquit , attamen suoapte in-
genio , & quodam Dei munere , sicut fuit solitus dicere Leo-
nardus , eum , Petrum , Paulumque Vergerium , Omnebo-
num Scholam Patavinum , Robertum Rossium , & Jacobum
Angeli filium Florentinos , Poggiumque , Guarinum Vero-
nensem , Victorinum Feltrensem , ac alios qui minus profe-
cerunt auditores suos , si non satis , quod plene nesciebat ,
doce-

(2) Lib. III. Ep. Edit. Brix.

(1) Blond. Flav. Ital. Illustr. ubi de Romandiola .

docere potuit , in bonum , ut dicebat literarum amorem , Ciceronisque imitationem inflammabat . *Obiter hic animadvertente , nonnulla Joannis Ravennatis opera extare Patavii ; ea- que a Philippo Thomafino referri in Biblioth. Patavin. MSS. Non diu eo præceptore Florentiæ usus græcæ literaturæ se tradidit sub Emmanuele Chrysolora , Qui , ut ait Jovius , (2) græcarum literarum studium excitavit (intellige in Italia) tanta felicitate , ut ex ejus schola summa , nec ideo interitura laudis ingenia prodierint , in quibus fuere Leonardus Aretinus , Franciscus Barbarus , Philelphus , & Poggius . Hebraicis quoque literis studuit , ut ipse significat . (3) Dicebam multa de literis Hæbraicis , quibus operam dabam . Hinc Huetii , multorumque præterea arguitur opinio , qui Hebraicas literas neque eo sæculo , neque posteriori autumant in Italia floruisse .*

C A P U T V .

Ejus Romam profectio .

H Is instructus studiis , quibus inter ceteros ejus ætatis viros eminebat , (1) Romam profectus est . Accidit interea , ait ipse , ut ego ad Romanam Curiam proficiscerer , Bonifacio IX. Pontifice , fierenique paulo post quam accesseram , literarum Apostolicarum scriptor ; quod officium , & utile est , & honestati , dignitatique conjunctum . *Eo prorsus tempore , quo exscribendis epistolis vacabat Poggius , Leonardus Aretinus Pontificis a secretis erat , ut innuit publicum documentum , (2) quo ambo procuratores cujusdam actus effecti sunt ; nempe D. Leonardus de Aretio Secretarius Domini Papæ , & Magister Poggius Guccii de Terranova Scriptor Apostolicus .*

Non

(2) Jovius in Elogio Emman. Chrysol. Ballut.

(3) Epist. ad Nicolaum , ubi de Balneis 2. lib. 1.

(2) Rogitum Notariale Bartoli Donati Janini Arch. Gen. ann. 1408.

(1) Orat. Fyneb. Leon. Aret. in Miscell.]

Non tamen excribendis epistolis semper vacavit, sed ad eandem, ad quam Aretinus, dignitatem pervenisse ex ejus Historia habetur. (3) Ego autem qui Romæ ad Secreta Johannis XXIII. eram, verum testimonium ferre possum. Itaque decem ferme annos literas excripit, & quadraginta fuit a secretis; quod idem innuit referens se quinquaginta annis ita versatum in Curia, ut sine alterius offensione carus octo Pontificibus continuo in honore, & dignitate fuerit, quadraginta annis ferme secretarius; quo tempore Guccius ejus pater Florentiæ occubuit.

C A P U T VI.

Ejus iter Constantiam, & antiqui scriptores ibi reperti.

Romane inseruiens Curie ad Constantiense Concilium (1) una cum Bartholomæo de Monte Politiano missus fuit anno MCDXIV. ut colligitur ex Epistola (2) Leonardi Aretini eidem scripta quarto nonas Januarias MCDXV. qua alteri respondet a Poggio superiori anno scriptæ, dum Constantiæ degebat, aliisque insuper ab eodem Poggio scriptis, quarum in una Hieronymi Pragensis Heretici supplicium accuratissime refert; sed nimio fortasse affectu, quam deceat, ut cum Leonardo loquar, Catholicum virum. Miror equidem, quod Constantiensis Concilii historiæ recens (3) auctor, qui ab instituto digredi videtur, ut eruditionem in Poggii vita narranda ostendet, ignoret, neque se ignorare diffiteatur, quoniam titulo Poggii Constantiam se contulerit, cum alioquin luce magis clarum sit, ad libros exquirendos missum fuisse. (4) Quia te, & Bartholomæum ad hoc munus obeundum summi, & honestissimi Romanæ Ecclesiæ

(3) Lib. 2. Hist. Flor.
 (1) Oecumenicum XVI.
 (2) Epistolarum libro Edit. Brix.
 (3) Jacques Lenfant. To. L. lib. IV.

(4) Ep. Francisci Barbari MS. apud Clar.
 | vir. Jacobum Facciolum, scripta prid. non.
 | Jul. 1417.

clesiæ Principes, delectos publice dimiserunt . *At quoniam Barbari epistola edita non est, parcamus homini: non tamen par-
cet, qui reputabit id satis ex Blondo Flavio intelligi posse (5).* Interea Emanuel Chrysolora Constantinopolitanus vir do-
ctrina, & omni virtute excellentissimus cum se in Italiam
contulisset, partim Venetiis, partim Florentiæ, partim in
Curia, quam secutus est, Romana prædictos pene omnes
Johannis Ravennatis auditores literas docuit græcas, effecit-
que ejus doctrina, paucis tamen continuata annis, ut qui
græcas nescirent literas, latinis viderentur indoctiores, &
cum magnus bene discendi ardor multos in Italia apprehen-
disset, Conciliumque apud Constantiam Germaniæ ab uni-
verso populo Christiano haberetur, quærere ibi, & investi-
gare cæperunt ex nostratibus multi, si quos Germaniæ loca
Constantiæ proxima ex deperditis Romanorum, & Italiæ
olim libris in Monasteriorum latebris occultarent. Quinti-
lianisque integer repertus a Poggio primum transcriptus in
Italiam venit. *Quin etiam ipse Poggius ubi Nicolaum Nicolum
colloquente:n inducit, hæc illi verba accommodat de se loquenti,
causamque Constantiensis itineris enarranti. (6)* Suscepit hic
me intuens olim diligentiam, & laborem peragrandæ Ala-
maniæ librorum perquirendorum gratia, qui in ergastulis
apud illos inclusi detinentur. *Tres tantum auctores repertos a
Poggio enumerat (7) Jacobus Lenfant, nempe Quintilianum,
Asconium Pædianum, & Verrium Flaccum, immo potius Va-
lerium Flaccum, nec alios refert, cum amplius sexdecim fue-
rint, quod clarum fiet infra. Hinc miseram Italarum conditio-
nem doleamus necesse est, quorum laudes magna scriptorum in-
curia, ne dicam malitia, aliquando silentur, aliquando minuun-
tur: immo ipsi Italarum nostrorum vultus ad transalpina linea-
menta sæpe traducuntur, vel pictoris arbitrio temere formandi*
per-

(5) Blond. Flav. ubi de Romandiola. p. |
340. edit. Basil.

(6) Disceptatio de Infelicit. Principum.
(7) Hist. Concil. Const. T.I. lib. IV.

permittuntur, ut in Poggii effigie ab eodem Jacobo (8) Lenfant exposita conspiciere est, quæ tantum ab ea distat, quam nos ex Magni Etruriæ Ducis Museo hic apponendam accepimus, quantum æra lupinis.

Constantiæ degens Poggius plures reperit auctores ex obscuris erutos vetustate, eorumque indice ad Franciscum Barbarum misso; adeo affectus est vir literarum amantissimus, ut gratulatoriam epistolam, atque adeo panegyricum ad eum scripserit. (9) Tu Tertullianum, tu Marcum Fabium Quintilianum, tu Quintum Asconium Pædianum, tu Lucretium, Silium Italicum, Marcellinum, Nonium Marcellum, tu Manilium Astronomum, L. Septimium, Valerium Flaccum, tu Caprum, Eutyrium, Probum Grammaticum, tu complures alios, Bartholomæo collega tuo adjutore, vel fato functos, vel longo (ut ajunt) postliminio in Latium deduxisti. Collegam adjutoremque Poggii Bartholomæum de Monte Politiano fuisse antea dixi, neque temere, ejusdem præsertim Barbari auctoritate fultus, qui dum inventa opera inventorum nomine denominanda refert, hæc habet. Et quemadmodum mala ab Appio e Claudia gente Appiana, & pyra a Manlio Manliana cognominata sunt, sic hæc literarum semina, quæ vestra ope, & opera e Germania in Italiam deferetis, aliquando & Poggiana, & Montepolitiana vocabuntur. Majorem vero gloriæ partem in libris conquirendis Poggio deferendam Barbarus ipse merito existimavit, tantaque spe proposita ad alios inveniendos Bartholomæo egrotante hortatur. Nam hi labores quietem, & hæc impensa gloriam, ac fortunæ tuæ fructum quam amplissimum reddent, quod eo diligentius tibi faciendum est, quo invaletudo Bartholomæi nostri hoc tibi munus magis necessarium effecit. Nonnullos alios innuit Barbarus a Poggio repertos, quos esse crediderim (10) Ciceronis libros de Finibus, & quos

(8) Ibid.

(9) In præcitata Barbari Ep.

(10) MS. ex Biblioth. Abbat. Flor., ut Montfaucon Diar. Ital. p. 374.

Et de Legibus, Et ejusdem Orationes pro Cæcinnâ, de Lege Agraria, contra Rullum, ad populum contra Legem Agrariam, in Lucium Pisonem, pro C. Rabirio perduellionis reo, Et pro Roscio Comædo. His addes partem Columellæ, (11) multosque præterea, quos e Germanorum, Gallorumque ergastulis (nempe e Monasterio S. Galli) mea (ut ipse ait) diligentia eripui, atque in lucem extuli Nicolai suâsu, impulsu, exhortatione, & pene verborum molestia, esse latinis literis restitutos. Animadvertendum vero, Quintiliani opera tunc primum a Poggio non adinventâ, cum jam ex iis aliqua in eruditorum manibus versarentur; sed Quintiliani codicem ceterorum uberrimum, tametsi quibusdam in locis deficientem, ut ad Poggium ipsum scribit Leonardus Aretinus (12). Quintilianus tuus laboriosissime emendatur; permulta sunt enim in nostro vetusto codice, quæ addenda tuo videantur. Sic non totum Lucretium, sed partem, neque integrum Valerium Flaccum, sed tres tantum priores libros luce donavit. Auctoribus a Poggio repertis addendus etiam Frontinus de Aquæductibus, cujus libellos ipse eruit e latebris Montis Cassini, ut narrat (13) in descriptione ruinarum urbis Romæ; quo in Monasterio ad hæc usque tempora, si Mabillonio (14) viro diligentissimo credimus, idem ille codex est, quem Poggius invenit, Et unde cetera exempla ducta sunt. Quoniam vero de auctoribus a Poggio repertis sermo est, non abs re erit addere, quibus e tenebris, sordibusque eruti publicis manibus auctores hi fuerint restituti, ut hujus diligentie emulandæ studium nostris etiam temporibus excitetur. Quintilianum in salsamentarii officina repertum narrat Jovius, Et ex eo (15) Vossius; licet una cum Silio Italico in Germania adinventum referat (16) Ugolinus Verrinus.

b

Quin

(11) Orat. Funebr. Nicol. Nicoli Edit. Basil.

(12) Epist. lib. 4.

(13) Descrip. Ruin. urbis Romæ p. 336. edit, Basil. lib. 2.

(14) Mabill. T. I. Musei Ital. p. 133.

(15) Voss. de Hist. Lat. p. 550.

(16) Ugol. Verr. de Viris Illust. Florent.

Quin etiam solers Germanis eruit antris
 In Latium altiloqui divina volumina Sili.
 Integer, illius nobis virtute, relatus
 In lucem est Fabius, nostro qui tempore longum
 Exul, & ignotus peregrinis torpuit oris.

Silium Italicum in quadam turri simul cum aliis latitasse codicibus refert (17) Colomesius. Tres primos Valerii Flacci libros, partemque quarti in monasterio S. Galli procul a Constantia viginti passuum millibus, fuisse refert (18) Laurentius Pignori- us. Ibidem Marcus Manilius Poeta inventus est, quem primo a Poggio editum asserit (19) Albertus Fabricius anno MCDLXXIV. Pace vero ejus dictum velim; hac in re aliquantulum vir omni alioquin exceptione major defecit, meque ad eum commonendum ipsemet excitavit, (20) cum Christiano Junckero, & Joanni Gottlieb Krausio gratias retulit, quod ipsum de nonnullis etiam publice monere (ut ejus verba apponam) sunt dignati. Nec mirum quod in tantam optimarum rerum copiam error quispiam irrepserit. Primam Manilii editionem ad eundem annum refert etiam (21) Cornelius Braughem, nulla Poggii mentione facta. Sed nec eo anno inventum, nec editum fuisse, ex eo patet, quod anno MCDLIX. XXX. mensis Octobris e vita decessit, ut Joannes Gobellinus coævus testis, qui idem est ac Pius II. nec non (22) Nicolaus Rodulphus tradiderunt. Accedit certissimum testimonium publicarum tabularum Florentine civitatis, in quas Poggii mors eo anno, ac die relata est, quod in (23) Archivio Florentino Reformationum libro Novembris, & Decembris anni MCDLIX. animadvertit Clarissimus, mihiq; amicissimus vir Abbas Joannes Baptista Casottus, sacræ prophanæque Historiæ Florentino in Lyceo professor, cui

quam

(17) Colom. ad Gyrald. Dial. 9.

(18) Laur. Pign. apud Vofs. p. 550. ubi de Viris Illust.

(19) Biblioth. lat. Hamburgi, 1712.

(20) Præf. Supplementi ad Biblioth. lat.

(21) Incunab. Typograph. p. 90.

(22) Memor. Hist. Nic. Rodulphi ab urbis initio usque ad ann. 1600.

(23) Archiv. Reformat. civ. Flor. MS. Cod. 1211. p. 219.

Vide etiam Dominicum Boninsegni. Hist. Flor. ab anno 1410. usque ad 1460. p. 126.

quam plurima ad Poggium spectantia me debere omnibus com-
 pertum velim. Jam vero quid dicam de laboribus ab eo susceptis
 pro tanto hoc reipublicæ literariæ negotio? Siquidem teste (24)
 Francisco Barbaro, Non vis hyemis, non nives, non longi-
 tudo itineris, non asperitas viarum, ut monumenta littera-
 rum e tenebris in lucem erueret, retardavit. Hinc orta ma-
 gnanima illa tum Poggii, tum etiam multorum ejus equalium
 indignatio adversus eos, qui veterum sapientum libros occul-
 tantes publica bona interciperent, & in privatos usus converte-
 rent. (25) Hujusmodi homines teneri crimine expilatæ hæ-
 reditatis ajebat Nicolaus Niculus. Uberrimam tamen laborum
 suorum mercedem consecutus est Poggius tum præclari facti con-
 scientia, tum gratulationibus, quas pro ea literarum caritate,
 quæ doctos viros mutua necessitudine conjungit, ab illis accepit.
 Audi jam (26) Leonardum Aretinum hæc referentem. At
 Quintilianus rhetoricæ pater, & oratoriæ magister ejusmo-
 di est: cum tu illum diuturno, ac ferreo barbarorum car-
 cere liberatum huc miseris, omnes Etruriæ populi gratula-
 tum concurrere debebant. O lucrum magnum, o gaudium
 insperatum! Quid de repetitis ab eodem Aretino gratulationibus
 dicam? quid de laudibus? quid de pecunia suppeditata? Ait
 enim: (27) Utque Camillus secundus a Romulo conditor
 dictus est, quoniam ille statuit urbem, hic amissam resti-
 tuit; sic tu omnium, quæ jam amissa, tua virtute, ac dili-
 gentia nobis restituta fuerint, secundus auctor merito nun-
 cupabere. *Et infra*: Neque ab hoc opere discedas, sed erigas
 te, atque insistas; nam rei pecuniariæ tenuitas ne tibi impe-
 dimento sit, nostra jam providentia erit. Felicia profecto
 tempora illa, quibus literatis viris non studia tantum, sed
 opes ipsæ communes, in eo præcipue, cum de reipublicæ litera-

b 2 rie

(24) Francisci Barbari Patr. Ven. Epist. pro inventis Codd. collaudatio, & ad rimandos ceteros exhortatio.

(25) Orat. Fun. Nic. Nic. edit. Basil.

(26) Ep. ad Poggium lib. 4. ann. 1416. edit. Brix.

(27) Ibid.

rie incremento ageretur. Audi (28) Barbarum nihil Aretino liberalitate cedentem. Quod si fortunarum tuarum ratio impedimento sit, hujus impensæ partem in me, & alios qui veteris sanctimonix vestigia colimus, arbitrato tuo conferes. Tibi enim non modo veluti censori parendum statui, sed extra ordinem munus hoc sine provocatione decrevi. Inter omnes vero auctores, qui Poggii opera fame, gloriaque, & vite, ut ita dicam, sunt restituti, Ammianum Marcellinum in primis nobis redditum gaudendum cum ipso Poggio est (29). Jure quidem merito, inquit, Ammianum Marcellinum ego latinis literis restitui, cum illum eruissem ex bibliothecis, ne dicam ergastulis Germanorum. Cardinalis de Columna habet eum codicem quem portavi literis antiquis, sed ita mendosum, ut nil corruptius esse possit. Nicolaus Niculus illum manu sua transcripsit in cartis papyri. Is est in bibliotheca Cosmi Medicei. Potes agere cum Carolo Aretino, ut vel transcribi faciat tuo nomine, vel codicem mittat; nam nisi a docto scribatur, non historia, sed somnium videretur. Nulla profecto in Marcellini editionibus, neque in Parisiensi a Friderico Lindembrogio, & Valesiis, neque in altera Lugduni Batarorum a Gronovio recognita, ut alias omittam, Poggio laus ob Ammianum restitutum defertur; licet & Gronovius, & Valesii Florentini codicis auxilio usi sint: quem profecto codicem eum esse crediderim, qui a Nicolao Nicolo descriptus, ac (ut supra dixit Poggius) in Cosmi Medicei bibliotheca positus ad hodiernum diem in amplissimo Magni Etruriæ Ducis museo servatur.

CA-

(28) Franc. Barb. Epist. sup. cit. 1417. pri-
die non. Jul.

(29) Epist. ad Franciscum Accoltum A-
retinum J. C.

CAPUT VII.

Varia ejus itinera.

A Constantiensi re-*versus* Concilio anno MCDXVIII. cujus (1) ultima sessio die vigesima secunda Aprilis habita est, in Angliam se contulit, (2) cum primum Pontifex (nempe Martinus V.) Mantuam venisset. De hoc porro in Britanniam itinere dubitare non possumus, nisi de ipsius testimonio dubitemus. (3) Vidi ego, cum ex Britannia redirem, Maranum oppidum &c. subita vi fluminis deletum. Et infra: Cum essem in Britannia, miserabilem antea casum fuisse cognovi. Anglicanum iter una fortasse cum Cardinali Vintonensi ab eo susceptum suspicari licet, vel saltem ibidem cum eo degisse; sepius enim in (4) epistolis in Anglia scriptis ait, Dominus meus Cardinalis &c. Requirendis codicibus ea quoque in regione operam dedit, monasteria praesertim invisens, quam plurimum Londini moratus. Res tamen ex votis, ut Constantiae, non cessit. Non dum enim Italiae nostrae opimis, ut nunc temporis, spoliis ditata erat urbs illa amplissima, nec ea librorum, ut ita dicam, erat intemperantia, & bibliothecarum lascivians cura, quae nunc plurimos manuscriptis codicibus, ac antiquarum editionum libris perquirendis ad Italiam peragrandam, immo pro viribus depopulandam excitat.

Legatum in Hungariam a Pontifice missum nonnulli scribunt; diu etiam Ferrariae, & Bononiae fuisse; sed ad Curiam denique rediisse, eo forte anno, quo (ut ipse ait) (5) caepi cum doctis viris, Carolo Aretino, & Cosmo de Medicis paulum de temporum conditione communique calamitate, tum vero etiam mea, qui paulo antea e praedonum manibus evasissem,

(1) Philipp. Labb. To. 12. Concil. ad ann. Christi MCDXVIII. p. 294. edit. Paris.	manæ.
(2) Epist. ad Archiep. Casaraugustanum edit. Basil.	
(3) Lib. I. de Miseria conditionis hu-	(4) Epist. ad Benedictum Buondelmont. Cod. D. X 992. p. 116. Biblioth. Stroz.
	(5) Lib. de Infelicitate Principum.

fissem, queri, ceterorum vitam nostræ præferens, qui Scytharum more semper instabiles vagaremur; mutare enim regiones cogimur, nec datur in eodem loco diutius residere.

C A P U T V I I I .

De ejus matrimonio.

Tot fatigatus periculis, transactæ pertæsus vitæ, certum statum deligere decrevit. Tres jam filios, cum clericus adhuc esset, ex femina quadam susceperat, de quibus ad Julianum Cardinalem S. Angeli ita scribit (1). Afferis me habere filios, quod clerico non licet; sine uxore, quod laicum non decet. Possum respondere habere filios me, quod laicis expedit, & sine uxore, qui est mos clericorum ab orbis exordio observatus; sed nolo errata mea ulla excusatione tueri. Horum nomina decerpimus ex (2) Archiv. ubi Poggii manu extant exarata, ac stemmati apponenda curavimus. Etate jam ingra-vescente, hoc est annos natus quinquagintaquatuor, ut est in ejus epist. ad Franciscum Aretinum, uxorem duxit Vaggiam, seu Sel-vaggiam Ghini Manentis de Bondelmontibus, ea ex gente, quæ tum divitiis, tum honorum gloria illustris ad hodiernam quoque diem inter principes ejus urbis recensetur. Incidit hoc in annum MCDXXXV. ut colligitur ex ipsius Manentis Diario Cod. 1237. p. 97. Stroz. ubi ait, se Poggio Vaggiam dedisse nuptum, & florenos sexcentos dotis nomine. De sua uxore loquens mirum in modum letus ait, (3) se etate jam declivi elegisse adolescentulam non solum forma egregiam, sed etiam virtutibus, quæ in mulieribus laudantur, præstantem. Plurimis in locis (4) non sine facetiis, & jocos matrimonium suum

(1) Epist. MS. apud me.

(2) Archiv. Decimarum Flor. sub ann. 1430.

(3) Epist. ad Bildeft. Archid. edit. Basii.

(4) In Poggii Epistolis ἀνεκδότοις, quæ

plures apud me amicorum meorum gratia sunt, præcipue vero Clar. Viri Jacobi Facciolati qui Poggii Vitam scribere molientem & epistolis, & aliis notitiis ad summum devinxit.

suum memorat, sed obiter. Soli Juliano S. Angeli Cardinali integras de hac re literas dedit, in quibus se illi obtemperasse ait, qui ad certum vite statum deligendum erat hortatus, seu sacerdotii, seu matrimonii; cumque natura sua ad sacerdotium minime factus videretur, iis præsertim difficultatibus deterritus, quæ recte illud obeuntibus occurrunt, ad conjugium animum applicuisse. Itaque (ejus verba referam) cum ad sæcularem vitam animum induxissem, in ducenda uxore id consilium præcipue secutus sum, quod maxime a doctis, & sapientibus viris laudari solet: non enim divitias, quæ plurimos obcæcant, in deligenda uxore perquisivi, non statum civitatis, ad quem multi anhelant, non potentiorum sustentacula, quibus permulti inhærent, appetivi; sed honestatem, probitatem, virtutem, quam maximam omnium dotem, quæ a parentibus tradi queat, sapientissimi tradiderunt. Cum ergo nota, & perspecta mihi esset adolescentis cujusdam ex nobili familia, quæ nondum decimumoctavum annum excesserat, egregia indoles, pudicitia, atque eæ virtutes, quæ in optima, & probatissima juvene requirantur, mores autem spectatissimi probarentur ab omnibus, ratus hanc esse dotem omnium pulcherrimam, quamvis formosior esset, quam ætas mea postularet; tamen cum scirem ita educatam, atque institutam esse a teneris annis, ut formam honestas, speciem pudor, pulchritudinem virtutes plurimæ antecellerent, duxi eam uxorem, & quidem ex animi mei sententia, in qua ita consolor, atque ita acquiesco in diem magis, ut Deo gratias agam continue, qui cum semper antea mihi plus tribuit, quam delicta mea paterentur, tum vero in hac uxore ita consuluit quieti meæ, ita egregie satisfecit, ut nihil penitus sit quod in ea amplius requiram.

C A P U T IX.

Romam redit , & pluribus Pontificibus operam navat .

INde Romam cum uxore se contulit , ibique filios omnes , excepta Lucretia , suscepit . Amicum suum Carolum Aretinum Florentiæ degentem de filio Romæ sibi nato certiore reddit , sibi quodammodo plaudit , dum ait : Septuagesimum ætatis annum , mi Carole , ingressus kalendis Maji filium suscepi , ceteris quos mihi largitus est Deus , pulchriorem , ac majorem . Quem non alium ; quam Philippum , ex temporis nota epistolæ inserta fuisse judico . Filiorum haud mediocri numero auctus , defunctoque Laurentio Mediceo , qui (1) suam (ut sepe fatetur) egestatem pecunia sublebat , à Nicolao V. Pontifice opem his verbis petiit (2) . Sum jam veteranus in curia miles , ut qui eam annos quadraginta fuerim securus , & certe cum minori emolumento , quam deceat eum , qui non omnino fuit alienus a virtute , & studiis humanitatis . Jam emeritis stipendiis , in Coloniam priscorum more sum ad quietem corporis , ad laborem animi destinandus . Et revera non ætate tantum , sed laboribus etiam fatigatum fuisse credendum est , cum a secretis fuerit non solum Innocentii VII. sed Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. Martini III. seu V. Eugenii IV. Nicolai V. & Calisti III.

Magnum , & singulare præconium , (3) ait Gobellinus de Aenea Sylvio loquens , nec scio an alteri unquam contigerit , eò gratia Dei unum efferri hominem , ut apud duos Romanos Pontifices , unum Imperatorem , & unum Antipapam secretariatu potiri possit . Quod si hæc de Sylvio Gobellinus , quid mihi de Poggio dicendum est , qui Quinquaginta annis

(1) In Orat. Laur. Medic. edit. Basil.
(2) Orat. ad Nic. V. Pontif. Ibid.

(3) Joann. Gobell. Comment. Pii II.
lib. I.

nis (ut de se prædicat) ita versatus in Curia est , ut absque ul-
lius offensione carus octo Pontificibus continuo in honore , ac digni-
tate fuerit ? Hoc titulo , quo tot annis usus fuit , reliquo etiam
ætatis tempore licet Reipublicæ Florentinæ Cancellarius censeretur
voluit . Legitur enim in (4) actis , quibus emancipat Petrum
Paulum filium suum die decima Decembris MCDLV. Egregius
& eloquentissimus vir D. Poggius olim Guccii de Terrano-
va , Secretarius Apostolicus , & Cancellarius Florentinus con-
stitutus &c. emancipat Petrum Paulum ejus filium legitimum
& naturalem majorem annorum decem & septem , sed mi-
norem decem & octo (5) . Sic paulo infra : In domo egre-
gii viri D. Poggii Secretarii Apostolici , & Cancellarii Domi-
norum Priorum . Præ ceteris tamen , quibus inseruit , Pontifici-
bus , Nicolaum V. commendat , qui sua beneficentia fecit ut tem-
porum injurias ferre posset ; sed cum multis rebus pro tanta filio-
rum copia indigeret , nec certum aliquem censum haberet , sibi
aliunde consulendum esse duxit .

C A P U T X.

*Florentiam repetit , ubi & Cancellarius fit , & inter Priores
Artium cooptatur .*

Romanam Curiam non sine magna animi molestia reliquit ;
ut colligitur ex ejus (1) epistola ad Franc. Marefcalcum
Ferr. Reliquit tamen anno (2) MCDLIII. ætatis suæ LXXII.
mense Junio . Id satis confirmatur tum ex ejus epistola Nicolao
V. hac de re scripta die XXI. Junii , tum ex libro tertio Scrutinii
artis sericæ , portæ S. Mariæ , ubi hæc habentur . D. Poggius ol.
Guccii Poggii de Bracciolinis de Terranova civis Florenti-
nus , Doctor egregius , ac Doctor famosissimus , & ad præ-
cens

(4) Arch. Gen. Protocol. Ser Andreae
Ser Angeli de Terranova .
(5) Ibid.

(1) MS. apud C. V. Abbatem Salvinium.
(2) Diarium litterat. Ital. T. 9. & 10.

sens (nempe anno MCDLIII.) benemerito Cancellarius Florentinus . Eo porro in munere Carolo Aretino suffectus est Poggius , quod & Prioristæ , & Pii II. testimonio confirmatur . Ita enim inquit doctissimus Pontifex : Nos tres in ea urbe (hoc est Florentiæ) cognovimus literis græcis , & latinis , & conditorum operum fama illustres , qui Cancellariam alius post alium tenuere , Leonardum , & Carolum Aretinos , & Poggium ejusdem Reipublicæ civem . Satis hinc patet Poggium Florentina civitate donatum : id vero contigit anno MCDXIV. ut ipse testatur (3) . Leonardus (nempe Aretinus) civitate , & certa quantitate , quæ in filios maneret , donatus est . Eadem immunitas & Carolo quoque Aretino summa eloquentia , atque sapientia prædito postmodum concessa : postremo quoque & mihi licet in doctorum , aut eloquentium numero minime sim censendus . Ex his facile intelliges , quam longe illi aberrant a vero , qui Poggium Florentina civitate anno tantum MCDLIII. donatum fuisse arbitrantur . Sed ego ad eruditionem potius , quam ad narrandarum rerum confirmationem tum documentum afferam , (4) in quo ann. MCDXIV. hæc habentur : Pro parte Poggii Guccii de Terranova civis , & notarii Florentini exponitur , quod ipse seorsim a D. Guccio patre suo habitavit , fere sunt anni XXV. vel circa , & gravedines supportavit in vestra civitate ; quas ob res civis effectus est juxta Florentinam sanctionem : (5) tum privilegium subjiciam latum die octavo kalendas Novembris ann. MCDXXXIV. Indiçt. XIII. quod debeo clarissimo viro , neque satis unquam laudato civi meo Apostolo Zeno , quo sæpe pro mutua inter nos amoris necessitudine usus sum in hac Vita conscribenda . En ipsa documenti verba : Intellecta expositione coram eis facta pro parte D. Poggii de Terranova Florentini civis , quemadmodum triginta annis fuerit absens a patria , sequens Romanam Curiam

(3) Orat. Fun. Leon. Aret. Miscell. Bal- | p. 64. Flor.
lutii To. III.

(4) Liber Reformationum B. 1415. |

(5) Vid. Diar. literat. Ital. T. IX. art. 3.

riam, & cuperet jam eo senescente redire ad patriam, literis operam dare, & ibi quiescere, & cum hæc fieri non possint, si subiret onera, ut alii cives, qui ex mercatura aliisque exercitiis, officiisque publicis lucra, & emolumenta percipiunt, cum velit se literarum studiis totum tradere, & in eis senectutem ducere, concedimus &c. *Ut hoc illi Florentini cives indulgerent, auctor in primis fuit Cosmus Medices Joannis filius, qui eruditos viros (ut ait Benedictus Accoltus Aretinus (6)) Semper opibus, & benevolentia prosequutus est, quos inter Nicolaum Nicolium, Leonardum, & Carolum Aretinos, & Poggium viros doctissimos, & eloquentiæ lumina præcipue coluit, & protinus effecit, ut honores in civitate maximos, immunitates non paucas assequerentur. Et profecto quid majus deferri Poggio potuit, quam ea dignitas, quæ ex præcipuis urbis habetur? Unus ex Prioribus Artium, seu ut postea dicti sunt Libertatis, renunciatus est sub vexillo Carri, omnibus ultra eam dignitatem deferentibus, qua mirifice functus est. Nec mirandum quod de Quarterio Sanctæ Crucis sub vexillo Carri electus fuerit. Licet enim ex Catastico anni MCDLXIX. p. 414. constet ejus filios domum habuisse in Quarterio S. Joannis sub vexillo Clavis, quam sibi habitandam 490. florenis Poggius emerat anno MCDLI. tamen fieri potest, ut ea relicta, in Quarterium S. Crucis transferit.*

C A P U T X I .

Poggii Opera.

CUM tanta honorum ac dignitatum parem literarum gloriam Poggius conjunxit. Itaque & multa latine scripsit, & græca multa Latine donavit. Ex his habemus Xenophontem

c 2 de

(6) Dialog. de Præstantia virorum sui ævi.

de Vita Cyri (1) , Alphonſi Siciliae Regis juffu translatum , Luciani Sirii Comediam cui titulus Afinus , quinque Diodori Siculi libros , queis ſuum nomen inſcripſit , & Nicolao Pontifici dica- vit ea Prefatione , cui initium Nullus antea quamvis præclarus . Adeo vero exarſit in hoc ſtudium , ut Nicolo ita ſcripſerit : Si autem , quod præ ceteris cupio , Guarinus noſter iſtuc venerit hac futura hyeme , vobiſcum ero poſthabita Curia , ut vacem literis Græcis , quorum deſiderio ardeo in diem magis . Sed latina ejus opera plura ſunt . Episto- las quidem ad omnes fere ejus ætatis doctiſſimos viros ſcripſit (2) , quarum non pauca in unum volumen redacta publici juris facta ſunt , alia latent adhuc in MSS. Opuscula itidem quædam edidit , Prefationem in Luciani Afinum aureum , Dialogum ad- verſus Hippocritas , libellos de ſitu Indiae , de officio Principis , & de Principum infelicitate , Declamationem in detractores , ac quinque funebres Orationes de Laurentio Mediceo , de Nicolao Nicolo , de Leonardo Aretino , de Pontifice Nicolao V. ac demum de Francisco Zabarella Cardinali Florentino habitas . Meminit quoque Raphael Volaterranus Orationis , qua a Poggio ejus discipulo in funere laudatus eſt Emmanuel Chryſoloras , qui Conſtantia obiit extremum diem : at falſi Volaterranum arguit ipſe Poggius (3) Episto- la ad Guarinum , qua hoc ſupremum grati animi officium magiſtro optimo ab Andrea Juliano Patritio Veneto perſolutum fuiſſe narrat . En ipſa verba : Andreas vero Julianus ſumme a nobis collaudandus , qui cernens ignaviam noſtram , qui nullam ne mortuo quidem pro ſuis in nos ſingularibus meritis gratiam referimus , ſua opera , ſuo ſtudio nobis operam navavit , & tarditatem noſtram ſua diligentia ſublevavit . Ergo nomine meo verbis ampliffimis gratias agas , & quidem ingentes pro hoc labore , quem ſuſcepit in Manuelis memoria celebranda .

Alia

(1) Panormitanus in Vita Alph. Siciliae Regis .

(2) Edit. Baſil.

(3) Epist. ad Guarinum MS. in meo codice miſcell. 138.

Alia præter jam dicta nobis reliquit Poggius, in quibus admiranda dicendi vis elucet: ejusmodi sunt liber de Vera Nobilitate, cui acriter respondit Laurus Quirinus Patr. Ven nec non Leonardus Chiensis (4). Justa profecto Quirini fuit in Poggium indignatio, ut qui in libro de Nobilitate nimis acriter in Venetos feratur. Ceterum Poggius in epistola ad Thomasium Venetum philosophum ac medicum, suæ hujus mordacitatis causam in Nobiles quosdam Venetos confert, quorum opera Italicum bellum excitatum putabat: professus ceteroquin non adversam Venetis voluntatem in eadem epistola (5), cujus hæc verba sunt: Cupiebam civis vester fieri, & domum apud vos parare, quæ filiorum meorum in vestra Republica quies, & receptaculum esse possit. Quod ut assequerer facilius, statueram conscribere Historiam vestram, & ex antiquis Annalibus eruere memoriam prisca rerum, ut apud nos fierent recentiores. Sed posteaquam in patriam sum vocatus, & in dignitate atque honore constitutus, illa cogitatio effluxit ex animo, & ad aliam mentem converti. *Historias convivales quoque scripsit, pulchrum de Varietate fortune opus, parvam quandam Historiam de Avaritia ad Franciscum Barbarum, Tractatum de humane conditionis miseria, Descriptionem Romane urbis, Questionem, an seni sit uxor ducenda, Librum de miseria conditionis humane, & Florentini populi Historiam. Omnibus his que vel impressa, vel manuscripta habentur, adjicies Tractatum de imaginibus virorum illustrium gentis de (6) Bondelmontibus, quem jam evulgatum esse Laurentius ipse de Bondelmontibus quodam in Codice sua manu exarato testatur, nec non Clarissimus vir Joannes Baptista Casottus (7), sed fortasse periit præclarum hoc opus injuria temporum; quod & accidisse dolendum est præclaris*

(4) Leon. Chiensis in tractatu Apologético de Vera Nobilit. MS. apud Clar. Vir. Jacobum Facciolatum.

(5) Epist. MS. apud Clar. Viros Abb. Salvinos.

(6) Laur. Bondel. in memoriis suæ domus, Cod. MS. Flor. apud ejus hæredes.

(7) Notizie Istoriche della B. Vergine dell'Impruneta. p. 75.

claris ejus operibus, quæ ad-versus Concilium Basileense conscripfit. Alberto enim Parisio Bononiensi hæc ab eo flagitanti respondet: Ego dudum, dum Eugenius vixit, multa scripsi ad varios Principes contra detestandam Basileensium perversitatem. Sed cum ad Rempublicam spectarent, nihil eorum penes me reservavi.

Ingenii præterea stimulos acuit in Laurentium Vallam quinque Declamationibus, quarum quartam in omnibus editionibus omissam, MS. habet Clar. vir Justus Fontaninus (8). Eapottissimum de caussa Vallam aggressus est, quod cum plures Epistolas amicorum suavione in unum volumen redegisset, eaque (ut ipse ait) in manus levissimi, atque petulantissimi hominis Laurentii Vallæ incidissent, multis in locis illas carpens, pro earum vitiis suam ignorantiam expressit. In Philelphum quoque pari labore, sed nimia profecto mordacitate se exercuit, nisi quod provocatus fuit, quod ejus temporis consuetudini, ac fato veluti cuidam tribuendum duxerim; notum enim abunde est, non unum hac in re Poggium peccasse, sed omnes illi coævus scriptores eruditæ disputationibus non facetiarum sales, sed probra, injurias, & ut plurimum turpissimas calumnias immiscuisse. Nicolaum Perottum, qui prior Poggium lacefferat, non mitius petiit, & provocatus in arenam descendere non recusavit; quo in prælio cui majoris dicacitatis præmium debeatur, judicium ferre illorum sit, quibus eas declamationes videre contigit, quarum prima Nicolai Perotti in Poggium Florentinum apud Clar. virum (9) Renatum Moreau, altera Poggii in Bibliotheca viri memoriæ nunquam interituræ Antonii Magliabechi servabatur. Odii hujusce caussam fuisse memorat (10) Nicodemus, quod Poggius Laurentium Vallam Perotti amicissimum aggressus fuisset. Acerbius etiam exagita-vit Felicem Antipapam, Amedeum scilicet, jam Sabaudia Ducem: adeo vero

in

(8) Investiva in Vallam.

(9) Cod. Ren. Moreau a P. Labbeo rela-

tus N. B. MS. lib. 6. p. 233.

(10) Nicod. l. 1. p. 183.

in maledicendo fines omnes videtur esse pratergressus , ut (11) Verrinus post expositas illius laudes exclamet :

Nimis ah rabidas exarsit in iras .

Neque a jurgiis temperavit , quamvis a Georgio Trapezuntio graviter castigatus , qui eum in Theatro Pompeji , loco , & die celebri , ubi bullatorum diplomatum censura habetur , sibi maledicentem bis colapho percussit . Poggii facetias Volaterranus & cum eo Trithemius , Gesnerus , Vossius , & Erasmus graviter incusant , opus id igne dignum censentes , quos secutus est præcitratus Historie Concilii Constantiensis recens auctor (12) . Harum tamen non paucas , & fortasse turpissimas Poggio injuria tributas censeo , quod duobus in Codicibus MSS. accuratissime evolutis eas non invenerim . Ceterum adeo excelluit Poggius nativo latinæ linguæ nitore , mira explicandarum rerum facilitate , & ea quam sermonis evidentiam vocant , ut & brevissima oratione multa comprehendat , & copię tamen laude non careat : de quo proinde Guarinus (13) : In quo renascentis , & pristini sæculi floret , & viget eloquentia , virtutisque thesaurus . Omnem autem latinæ linguæ venustatem se Ciceroni debere testatur ea in Epistola quæ Dominico Sabino inscribitur . Novi vires meas , & quam tenues sint , atque imbecilles , in dies magis , cum eas experior , cognosco ; quidquid tamen in me est , hoc totum acceptum refero Ciceroni .

C A P U T X I I .

Illustrium virorum de Poggio judicia .

S*uperest , ut quid de eo eruditi viri senserint , ejusdemque cum iis amoris necessitudinem explicem ; neque enim eadem*
usus

(11) Ugol. Verr. de Illustr. Flor. lib. 2. | (13) Epist. Egreg. Viro Poggio Flor. 26.
 (12) Jacques l'enfant Hist. Conc. Const. | Maji 1455.
 lib. 4.

usus mordacitate in omnes, sed & inimicos habuit, & amicos. Floruit Poggius eo sæculo, quo nullum doctis viris fuit magis refertum, ut ea viderentur renovata tempora, quæ aurea adhuc vocantur, & queis sane aureos auctores debemus. Et ut intelligas (juvat (1) Benedicti Aretini verba huc afferre) tempestate illa non defuisse ingenia, si judiciale dicendi genus exerceretur, recordare a multis citra annis quot eximii Rhetoricæ artis præceptores per Italiam fuerint, & ejusdem viros doctissimos, qui divina eloquentia Orationes, Epistolas innumeras, & libros plures scripserunt, & Græcorum volumina venustissime in latinam verterunt linguam. An tibi videntur Leonardus, & Carolus Aretini, Robertus Rufus, Veronensis Guarinus, Poggius, Jannoctius Manettus, Ambrosius Monachus, & alii multi, quos fere omnes vidimus, non supremi extitisse, seu eloquentiæ, seu literarum, sive philosophiæ moralis præcipue peritiam consideres? quorum aliqui ita historias conscripserunt, ut Livio, ac Salustio exceptis, nulli veterum sint, quibus illi non pares, aut superiores fuisse recte existimentur. Præter relatos a Benedicto Aretino viros, constat tum floruisse Porcellum Neapolitanum, Bartholomæum Facium, Fernandum Cordubensem, Antonium Panormitam, Franciscum Barbarum, Joannem Aurispam, & Colutium Salutatum, qui a Poggio communis omnium doctorum parens nominatur. His addendi Leodrisius Cribellus, Matthæus Palmerius, Leonardus Justinianus, Nicolaus, & Antonius Luscius, Ludovicus Ortanus, Andreas Constantinopolitanus, & Laurentius de Medicis, qui omnes quanto Poggium amore, ac studio prosecuti fuerint, ex ejus aliorumque epistolis facillime dignoscetur.

Omittendos esse non reor, quos sub (2) Joanne Ravennate condiscipulos habuit, nempe Petrum Paulum Vergerium, Omne-
bonum

(1) Benedict. Accoltus Aret. in Dial. de Præst. virorum sui ævi.

(2) Blond. Flav. Ital. Illust. de Romand. p.346. edit. Basil.

bonum Scolam, Leonardum Aretinum, Robertum Rossium, Jacobum Angeli filium, Nicolaum Nicolum, & Victorinum Fel-trensem. Petrum Candidum Decembrium non studiorum socium, sed a secretis collegam habuit. Cum Philelpho, Guarino Veronen-si, Laurentio Valla, & Thoma Reatino perpetuæ non fuere si-multates, neque ullæ fuissent, nisi eum illi priores laceffissent. Nunquam enim (3) (inquit) quicquam egi mea sponte, quod merito cuiquam displicere posset, nihil unquam scripsi contra quempiam nisi laceffitus, & in meam defensionem, quod non solum in hominibus, sed etiam in belluis vide-mus inesse, ut natura injuriam propulsent. Extinctis vero cauffis cito & ira deferbuit. (4) Neque enim, inquit, disjun-ctio sententiarum debet animos disjungere, cum liceat di-versa sentire salvo jure amicitix. Hinc in epistolis suis excusat omnibus nimiam mordacitatem, cupitque omnia silentio involvi. Ea de causa Guarinum jam hostem suum, sed sibi reconciliatum, a quodam tribuli suo Veronensi appetitum bono animo esse jubet, seque pro illo in arenam descensurum promittit (5). Habes (ait) præterea me vel clientem, vel patronum, qui cauffæ tuæ non deesset, in ea præsertim quæ ad famam, aut hono-rem minuendum spectaret, ut aliis literis ad te scripsi. Ma-xima plurimis cum Cardinalibus Poggio intercessit amicitia, quos inter Cardinalis Bessario toto orbe clarissimus singulari illum amo-re complexus est. His addes Æneam Silvium, cui per literas Cardinalatum est gratulatus, atque is est, qui Pontifex deinde Pius II. voluit appellari; & Cardinalem Dominicum Caprani-censem, quem (6) Baptista Poggius refert in Secretariorum nu-mero a Pontifice Martino collocatum fuisse, collegamque factum Leonardi Aretini, Cincii Romani, Antonii Luschi, parentisque sui Poggii Florentini. Mutua autem consuetudine adeo crevit inter ipsos benevolentia, ut Poggio vita functo, Capranicensis

d Bapti-

(3) Epist. ad Albert. Parisium MS.

(4) Epist. Poggii p. 353. edit. Basil.

(5) Epist. Poggii inedita apud me. Con-

stantiæ Idibus Martiis.

(6) Joannes Baptista Poggius in Orat.

Card. Capranicæ Miscell. Ballutii Tom. 3.

Baptistam ejus filium in patris locum suffici curaverit, eique hac de re literas Apostolicas impetrauerit. Tanta, (7) inquit Baptista, affectione complexus est parentem meum, eumque is omni vita coluit. Sanctissimum quoque virum Nicolaum Albergatum Bononiensem Cardinalem Sanctæ Crucis, observavit, ejusque in obitu perelegantem habuit Orationem. Non paucis etiam gratus, acceptusque Pontificibus, quorum ab epistolis fuit; ab eorum vero nescio quo missus est in Hungariam Legatus, si epistolæ (8) cuidam fides habenda est, quæ Benedicto Bondelmontio ab ejus ævi literato viro scripta est. Nicolaus Quintus tantopere Poggium dilexit, ut ei palam dicere non dubitaverit: Rogo ut illi tui amici prisca, quos inter me unum esse profiteor, non excidant e memoria. Præcipuum tamen apud ipsum tenuit benevolentia locum Leonardus Aretinus, in cujus obitu, ut jam dixi (9), Orationem pulcherrimam habuit anno MCDXLIII. ex qua, ut cetera omittam, hæc tantum verba mutua ipsorum benevolentia argumentum referam; Quamvis ejus virtus nullius externa laudationis opera egeat ad se ornandum, quippe qui sibi vivens laudem peperit immortalē; tamen præstandum est a nobis debitum amicitia nostræ officium, quæ jam amplius annis quattuor & quadraginta inter nos similium studiorum cursu cæpta semper viguit sanctissime absque ulla querela, aut benevolentia intermissione. *Et paulo infra:* Sed nostra inviolata permansit animorum conjunctio; & jure quidem inter nos id contigit, ea namque vera, & stabilis amicitia, quam optimarum artium studium, & bonorum morum similitudo contraxit, quæ quoniam mutua benevolentia, & officiis fovetur, necesse est, ut ita sit firma, & diuturna. *Quanti vero Leonardus Poggium fecerit, patet legenti epistolam quartam libri quarti supra allatam, in qua eum ad librorum investigationem hor-*

tatur,

(7) Ibid.

(8) Cod. D. X. sub num. 992. a 6. Biblioth. Stroziana.

(9) Miscell. Ballutii To: 3. p. 348. Paris 1680.

tatur, laudatque feliciter locatam ab illo operam: quod etiam egit Franciscus Barbarus ejusdem seculi eruditissimus vir, quocum Poggius non solum studia, sed cogitationes quoque communicare consueverat, judicemque designaverat cujusdam Apologiae in Guarinum, quam illi una cum Guarini Invectiva Oratione miserat judicandam.

Eruditos haecenus viros, quos singulari benevolentia est complexus, referre placuit, uno tantum ultro omisso, quem scilicet non ut amicum, sed ut patronum, & parentem semper coluit, cui nos quoque quam plurimum ideo debere necesse est, quod ejus hortatu, & auxilio vetusta literarum monumenta perquisierit, & in publicam lucem emiserit. Huic se praeter ceteris debere fatetur. Quem enim, ait, patrem habui, cui plus debeam, quam Nicolao? (Nicoli). Hic mihi parens ab adolescentia, hic postmodum amicus, hic studiorum meorum adjutor, atque hortator fuit, hic consilio, libris, opibus semper ut filium, ut amicum fovit, atque adjuvit, hic me ad virtutem, hic ad literarum doctrinam, hic ad bonarum artium studia semper incitavit, denique nihil erga me omisit eorum, quae vel ab indulgentissimis parentibus filiis, vel a carissimis amicis mutuo amori tribui solent. Quod si humanitas ferret, dicerem me plus Nicolao quodammodo debere, quam iis qui me procrearunt, illi enim ignarum omnium genuere, hic reddidit sua opera doctiorem; illi ut essem effecerunt, hic ut essem cum honore, & dignitate; illi alimenta corporis praebuere, hic animum virtutibus formavit, & recte vivendi institutis: ut quantum ceteri parentibus atque educatoribus suis debent lege naturae, tantum ego Nicolao nostro, & ejus nomini jure humanitatis pro suis erga me meritis me debere profitear. Nicolai in Poggium benevolentiae illud quoque argumento est, quod inter illustres viros, quorum fidei testamenti sui curam commisit, Poggius quoque adscitus est, ut ab

d 2 ipso.

ipso testamento colligitur (10). Omnes libros suos , tam sacros , quam gentiles , & tam græcos quam latinos , aut barbaros , quos undique magna industria , diligentia , studio ab adolescentia nullum laborem subterfugiendo , nullis impensis parcendo coegit , reliquit , & legavit in illis locis , & penes quos , & eo modo , & forma , & prout , & qualiter admodum infra scriptis honorandis & sapientibus viris videbitur , & placebit . Ennumeratis hic aliquot ex sexdecim , quorum primus fuit Ambrosius Camaldolensis , sexto loco ponit Eloquentissimum virum D. Poggium Guccii Poggii de Terranova summi Pontificis Secretarium , Civem & Advocatum Florentinum . Libros autem Nicolai donatos refert (11) Leopoldus del Migliore Dominicanæ Bibliothecæ S. Marci ; quod fortasse Poggii opera factum est , cujus filius Dominicanæ familiæ nomen dederat . Hic obiter animadvertente , perperam a Leopoldo duos tantum Nicoliani testamenti curatores afferi , cum sexdecim fuerint , quemadmodum constat ex iis , quæ diximus . Quid quod etiam Regibus Poggii doctrina & eloquentia admirationem movere potuit ? Audi (12) Bartholomæum Facium , qui ejus epistolam Alphonso Neapolitano Regi cum legisset , ita scribit : Legi ac pronunciavi eam in magno cœtu summorum virorum elata voce , a capite ad calcem , tanta Regis attentione , ut nec oculos a me unquam recitante dimoverit , nec ab aucupibus , qui apparere nescio quas aves clamitabant , quamvis ejusmodi re prætermodum delectetur (ut scis) distrahi potuerit . Admirabatur inter audiendum locos , quos ad gloriam optimos excogitasti , & tuam illam tum rerum , tum verborum admirabilem copiam variis exornationibus , quasi luminibus distinctam . Quid ergo mirum , si quæ tanti Pontifices Regesque faciebant , privati homines admirarentur

(10) Testamentum Nicolai Nicoli ann. 1436. die 22. Januarii .

(11) Leop. del Migliore Flor. illustr.
(12) Barth. Facii ad Pogg. Epist.

tar, summisque laudibus efferrent? Audi Porcellum Neapolitanum (13).

Plaude legens Musas, Orator Maxime Poggi,

Quo duce vel doctis omnibus ore legar.

Te duce Pierius, duce te mihi sermo solutus,

Et duce te pedibus, te duce liber aro.

Te duce vela dabit, duce te ratis ire per altum

Discat, & in tutos vela referre sinus.

Sume tubam, nostramque velis animare carinam;

Libera seu veniat, seu pede, sume tubam.

Ab illius quoque tanquam numinis sibi propitii invocatione Carolus Aretinus carmen de Nobilitate (14) sic auspiciatur.

Quid sit nobilitas, scribere liberis

Tempas quid pedibus, tollere dum cupis

Errores hominum? Nunc ego carmine,

Poggi magna tui gloria sæculi,

Ludam si potero, tum cytharæ modis

Aptabo levior, tu calamo gravi

Personisque libens hinc studiosius

Cures hæc eadem reddere posteris.

Sed ne justo longior sim, tantorum virorum agmen claudam epistola Donati Acciajoli, qui suam in literarum studia voluntatem Poggio se debere fatetur. Itaque sub finem inquit: Ego igitur cum in hanc literarum cupiditatem opera tua me videam perductum, non dubitabo te exorare, ut deinceps etiam monitis præceptisque tuis quibuscumque rebus poteris (poteris autem plurimis) juves studium meum. Et paulo infra: Ego te ducem ex omni copia doctorum hominum solum potissimumque delegi, quem mihi ad imitandum proponerem. Et revera licet nostris temporibus excultior latini sermonis usus videatur, non ideo debita laude illi fraudandi sunt,
qui

(13) MS. apud Clar. vir. Abb. Salvinos

(14) MS. Biblioth. Strozz.

qui opera laboreque suo effecerunt ut excultiores essemus. Renascentis linguae primordia eo saeculo debemus & Poggio praesertim, qui tum ipso ingenio suo, tum veterum auctorum imitatione se aliis quoque imitandum reddidit. Divus certe Antoninus, & Baptista Sacchius vulgo Platina tanti hunc hominem fecerunt, ut non sensa modo Poggii, sed verba ipsa descripserint, sibi que usurperint, desperantes, ut opinor, de iisdem rebus scribi posse elegantius. Non huc afferenda sunt omnia, multo vero minus comparanda; sed si quis tamen consulat D. Antoninum P. 3. tit. 22. cap. 6. & Platinam Hist. Mantuanæ l. 6. facile cognoscet, alterum ex Poggianæ Historiæ libro quinto, alterum ex septimo & octavo plurima corrasisse. Neque vero Poggius ipse plagii postulandus, qui & ante Platinam scripsit, & eo scripsit latini sermonis nitore, qui ab aspero & salebroso D. Antonini stilo facile dignoscitur. Sed de Poggii stilo audiamus Alamanum Rinuccinum (15). Primus autem Colutius Salutatus paulum se erexit, & elegantius quoddam dicendi genus adumbravit, qui multum profecto laudis meruit, quod tam longis temporibus præclusum aditum ad eloquentiam patefecerit, & posteris viam, qua gradiendum esset, ostenderit. Hunc secuti Poggius, & Leonardus Aretinus intermissam, & pene abolitam eloquentiam in lucem revocarunt, qui cum epistolis, tum orationibus, & dialogis scribendis Ciceronianum dicendi characterem sunt imitati.

C A P U T X I I I .

De ejus Museo, & Academia.

Eandem, qua in veterum rimandis libris cupiditate solertiaque fuit, ad alia quoque vetustatis monumenta transfudit, variisque undique conquisitis, capitibus scilicet marmoreis, signis,

signis, numismatibus, museum construere meditabatur. Habeo (1) (inquit) cubiculum refertum capitibus marmoreis, inter quæ unum est elegans, integrum, alia truncis naribus, sed quæ vel bonum artificem delectent. His, & nonnullis signis quæ procuro, ornare volo Academiam meam (2) Valdarninam, quo in loco quiescere animus est. Non paucis cubiculo huic exornando antiquitatis vestigiis adjuvasset Franciscus Barbarus, ni pretiosissima quæque ad Poggium missa, intercepta fuissent, præcipuisque Florentiæ civibus vendita, aut donata, ut ipse conqueritur in epistola ad eundem Barbarum. Nec marmoreis tantum signis, aliisque antiquitatis vestigiis, sed plurimis græcis latinisque codicibus refertam Academiam ornavit. Ibi scriptores ab antiquitatis rudibus, ac situ, opera sua erutos collocaverat, fatoque meliori restitutos legebat & osculabatur; ibi & græcos codices, quos Dominicane S. Marci Bibliothecæ supremis tabulis legavit.

Quamplurimum rure delectabatur, cujus in laudem epistolam, seu potius Dissertationem conscripsit. Sæpius illuc, æstivo præsertim tempore, se conferebat, quo Pontifices ipsi, ut intolerandos Romæ calores, effugerent migrare solebant, magnamque curarum molem tantisper deponere. Historiam (3) ibi Convivalem composuit, ubi plures doctos viros colloquentes inducit, qui id temporis prope Aretium valetudinis gratia, quod Florentiæ pestis grassaretur, se contulerant. Id Nicolao V. Pontifice contigisse puto. Inquit enim Poggius (4) Quo primum anno Nicolaus Quintus pestis causa Fabrianum Piceni oppidum secessit, cum me ad Terramnovam natalem patriam contulissem, &c. Patriam suam appellat Terramnovam, quantumvis jam Florentina civitate donatus. Atque equidem suæ in illam benevolentiae perpetuum extare monumentum voluit, extructa dicataque

(1) Epist. Roma scripta.

(2) Vulgo Valdarno, ex quo villam suam Valdarninam Academiam Tulliano more

appellat.

(3) Edit. Basil.

(4) Hist. i. Historiæ Tripartitæ.

que S. Mariæ Annunciatæ ara in Communis Terrano-vani templo, eique plurimis bonis legatis, quæ multi deinceps meritissimi viri, nunc vero Cardinalis Franciscus Martellus Rectoris titulo possidet.

C A P U T X I V .

Poggii mors, & honores mortuo decreti.

Florentiam, morbi sublato metu, reversus ut studiis vacaret, nec ruris solatio privaretur (longe enim villa ejus aberat) suburbanum prædium emit. Ego omni negotio vacuus dedo me literis, & rei rusticæ. Emi enim prædium urbi quatuor millibus passuum propinquum, in quo colendo multum operis laborisque impertior magna cum animi voluptate. Ibi in hoc conscribendæ historiæ opus præsertim incubuisse credibile est. Studia enim hæc animi quietem, tranquillitatemque desiderant. Paucos feliciter transegit annos, queis nec urbi, nec studio, nec ruri defuit, donec septuagesimum octavum ingressus annum naturali morbo nonnulla fortasse uxoris causa, cui magis, quam senem deceat, deditus erat, quæque illo non invito (1), ut fatetur, plurimum temporis sibi vindicabat, Florentiæ occubuit anno MCDLIX. tertio kal. Novembris, vir sane immortalitate dignus, quam sibi virtute, & conditorum operum fama comparavit. Et profecto sæculo præstantissimis ingeniis claro, ad ad priscam literarum felicitatem proxime accedente Poggius vixit, nec ulli in tanta illustrium virorum copia, aut ingenio; aut scribendi elegantia fuit secundus. Tumulatus est Poggius pone Chorum Ecclesiæ Sanctæ Crucis dicatæ, ut constat ex Florentino Priorista (2) nec non ex memoriis historicis Florentinæ urbis a Nicolao Rodulpho contextis, licet

(1) Epist. ad Leon. Arer.

(2) Priorista a Florentia condita usque ad annum 1600.

licet Dominicus (3) Buoninsegnius Poggii mortem in vigesimum Octobris diem referat ; sed hunc errorem Typographis potius , quam Auctori tribuendum censuerim , cum nota barbara 30. facile Operarum negligentia in aliam hanc 20. mutari queat . Ceterum vel ex hoc intelligi potest , die XXX. Octobris illum obiisse , quod secundo Novembris sepultus est , quo die in libro (4) Reformationum Dominorum Novembris & Decembris hæc habentur . Concesserunt licentiam filiis , & hæredibus venerandæ memoriæ Poggii Judicis , & Doctoris præmortui honorandi exequias ejusdem , & faciendi funeris impensas de Torchiis , Drappis super Bara , & aliis de quibus , & pro ut dictis suis filiis , & hæredibus videbitur licite , & impune , solveudo Camerae Armorum Communis Florentiæ florenum unum , & solidos decem cum dimidio pro taxa . Defuncto sepulto-que Poggio , ejus filiis concessum est , ut patris effigiem in publico spectabilique loco ponerent (5) . Deliberaverunt , quod filii , & hæredes Domini Poggii olim Cancellarii Florentini , & Dominationis prædictæ præmortui , possint , eisque liceat pingi facere in Saletta Palatii Dominorum in loco ibi vacuo memoriam , idest figuram , & imaginem dicti olim Domini Poggii olim Cancellarii præfati in recordationem , & exaltationem suorum bene gestorum . (6) His vero adeo curæ paterna memoria fuit , ut singulari (7) . Antonii del Pollaiuolo pennicillo Poggium immortalem reddere studuerint , apparet-que adhuc illius imago eo in loco , ubi id temporis ad jus reddendum de Judicibus , Doctoribus , & Notariis sedendi Proconsulim mos erat , unde il Proconsolo a Florentinis locus ille nominatus . Quamplurimas Clarissimorum virorum effigies non vulgari artificio pictas eo in loco fuisse testatur Georgius Vasarius , quæ

e nostris

(3) Dominic. Buoninsegn. Hist. Flor. p. 126. edit. Flor.

(6) Ibid.

(4) Cod. MS. 1211. a 219. Archiv. Flor.

(7) Franciscus Bocchius , & Cinellus de Pulchrit. Flor. p. 388. edit. Flor. 1677.

(5) Arch. civ. Flor. Lib. Reformationum .

nostris quoque temporibus superessent, nisi ad temporis injurias incuria quoque hominum accessisset. Sed Poggii gloriæ statua quoque consultum est, eaque & præterea multis Metropolitanae Ecclesiæ Sanctæ Mariæ a Flore externa facies, quæ in Marcello- rum vias spectat, ornata est. Illic diu permansit, donec Francisco Magno Etruriæ Duci veterem Ecclesiæ faciem in meliorem formam redigere in animo fuit anno MDLX. sed cum res nescio quonam fato ex voto non cessisset, veteri spoliata est decore, nec novo aucta (8). Marmoreis vero figuris varia sors contigit. Quatuor Evangelistarum signa Donati opus, in ea quæ, propius distant ab ara Maxima, sacella translata sunt. Quæ Davidis, & Ezechie Prophetarum fuerant, facta sunt duorum Apostolorum simulacra inter eas, quæ ad latera sunt, januas collocata. Simili, sed magis mira mutatione factum est, ut item in duorum Apostolorum signa converterentur, quæ erant statuæ Poggii, Iannoctiique Manetti. Hæc ad januas, quibus prope Maximam utrinque est in Templum aditus, posita; quodque olim Poggii simulacrum fuit, nunc etiam in Septentrionali parte conspicitur. His honoribus caritate civium, filiorumque pietate cumulatus est.

C A P U T X V .

De Poggii Filiis .

Q uinque Poggii suscepit liberos, mares omnes, ætate in senium vergente, Joannem Baptistam, Joannem Franciscum, Philippum, Petrum Paulum, & Jacobum eruditos omnes sane viros, qui paternam gloriam auxere gloria sua, & patris nomen in totam posteritatem propagantes familiae cognomen

(8) Ex sepulchro Florentino a Stephano Francisci Roselli exarato usque ad ann. 1657: p. 251. ubi de exteriori facie S. Mariæ a Flore apud Franciscum Rosellium ejusdem filium; ex hoc Leopoldus Melioris in sua Florentia illustrata omnia decerpit, licet aliqua, nescio qua de causa reticeat.

men esse voluerunt . Duos tantum filios habuisse literis ornatos memorat Gaddius , (1) Jacobum scilicet , & Joannem Baptistam , sed quanta injuria hos tantum enumeret , infra palam fiet .

Unus Jacobus sacris initiatus non fuit , hac una in refratrum exempla non sequutus , quibus licet etate , nihil tamen cessit aut ingenio , aut rerum scriptarum gloria . Paternam historiam in Etruscam linguam convertit , diciturque Federico Feltrio Urbini Comiti . Item Vitam Cyri Persarum Regis , quam pater ex græca latinam fecerat , ipse deinde Italicam factam Ferdinando Neapolitano Regi nuncupavit . (2) Non enim , ait ipse , melius evenire poterat , quod cum Alphonsi patris tui jussu pater meus latinam ex græco hanc fecerit , ego de latino in Etruscum sermonem commutatam , ut patris mei hæres eam tibi , ut Alphonsi digno successori dicarem .

Quatuor quoque Romanorum Imperatorum vitas Italicæ lingue donavit . (3) Antonini Pii XVI. Marci Antonini Philosophi XVII. ex Julio Capitolino ; Alexandri Severi XXIV. ex Ælio Lampridio , & Ælii Adriani ex Ælio Spartiano . Neque tantum aliorum laboribus vertendis operam navavit , sed sua quoque edidit ; ut (4) commentariolum in Triumphum Famae Francisci Petrarchæ , Laurentio Mediceo dicatum , (5) Opusculum de Origine belli inter Gallos , & Anglos ; & Philippi Scolarii vulgo Piponis Spani vitam latine scriptam . Hanc quodam amoris gloriæque stimulo edidit , cum ejus mater ex Bondelmontibus fuerit , eademque Scolariorum sit familia juxta illud (6)

Prisca Bonimontis Soboles , Scolarius idem

Sanguis , & ex uno descendit uterque parente .

Jacobi etiam Cardinalis Riarii fuit ab Epistolis , quoad Paëtiani

e 2. (non

(1) Gaddius de Script. Lugd. p. 215.

(2) Biblioth. Stroz. Cod. 33 r. F.

(3) MS. in Biblioth. Gadd.

(4) Jacob. Gadd. de Script. To. 2.

(5) MS. Stroz. Cod. 67. 4.

(6) Ugol. Verinus de Illustr. Flor.

(non Baëtriani, ut male scribit Freherus (7)) conscius sceleris ex Prætorii fenestra cum ceteris pependit anno MCDLXXVIII. De hoc Politianus (8) ait, ejus præcipuam in maledicendo virtutem fuisse, in qua vel patrem maledicentissimum hominem referebat. Alia quoque de ejus moribus, vitæque iniquiora addit, jure vero, an injuria aliis liceat judicium ferre. Huic (9) Gaddius Joannem Baptistam addit, qui juris utriusque doctor, & Canonicus Florentinus fuit anno MCDXLIX. deinde Canonicus Aretinus, & Laterinensis Plebanus, Pontificis Acolytus, & assistens Camera Clericus. Nicolai Piccinini inclyti ejus tempestatis Ducis vitam, nec non (10) Dominici Capranicæ Cardinalis Firmiani latine laboravit, in qua se Poggii filium sæpius vocat. Occubuit anno MCDLXX.

His duobus addam ego Joannem Franciscum, qui Florentinus itidem Canonicus, & Laterinensis Plebanus Romam se contulit, ibique Pontificis Cubicularius, & Apostolicarum literarum abbreviator, Canonici Juris peritissimus fuit, ut ex tractatu de Potestate Papæ, & Concilii ab illo edito colligi potest. Summo in honore apud Leonem X. fuit, & illius etiam a Secretis, qua in dignitate mortuus est Romæ anno MDXXII. die XXV. mensis Julii, post patris obitum anno sexagesimo tertio, tumulatusque fuit in Ecclesia Sancti Gregorii in Cælio, ubi ejusdem inscriptio legitur a (11) Scradero relata. Decipitur hic Jo-vius qui eundem etiam in errorem inducit (12) Freherum, aliosque nostrarum rerum non adeo peritos, ut (13) Svertium, & (14) Aicherum, Joannem Franciscum parentis sui Poggii loco sumentes, cum alioquin ex ipsa inscriptione clarissime pateat error, ubi incisum est anno MDXXII. occubuisse, cum Poggius pater ante annos tres, & sexaginta decessisset,

(7) Paulus Freherus in Theatro virorum eruditione clarorum Norimberg. p. 1424.

(8) Angelus Polit. in parva Hist. de Patiana Conjurat. ejus Operibus addita. Basil. 1553.

(9) Gadd. de Script. To. 2. Lugd. p. 215.

(10) Steph. Ballutii Miscell. To. 3. Paris p. 263.

(11) Monum. Ital. lib. 2. p. 130.

(12) Freher. Theat. Vir. Illust.

(13) Svertius in Delitiis Europæ.

(14) Aicher. Theat. Epithaph.

cessisset , nempe anno MCDLXIX. ut supra dictum est . Erro-
ri causam præbuit Poggii nomen quod cognominis loco cum cete-
ris ejus Filiis usurpavit Joannes Franciscus , cujus inscriptio-
nem inter illas habemus quæ a Carolo Strotio sub initium seculi
proxime elapsi collectæ servantur in luculentissima Stroziana
Bibliotheca .

JOANNI FRANCISCO POGGIO
FLORENTINO
ANIMI VIRTUTE , AC CONSTANTIA ,
MORUM GRAVITATE ,
VITA INTEGERRIME ACTA ,
PATERNA , SUAQUE LAUDE
ELOQUENTIÆ , AC LITERARUM ,
JURIS QUOQUE CIVILIS , AC PONTIFICII
DIVINÆQUE SCRIPTURÆ CUMULATA DOCTRINA ,
RELIGIOSE VIVENTI
RELIGIOSIUS SUPREMA DIE FUNCTO
VINCENTIUS LUCÆ MARTINUS
FRATRIS EJUS GENER ,
PARENTIS APUD SE LOCUM SEMPER ADSEQUUTO ,
OPTIME MERENTI POSUIT .
VIX. ANN. LXXIX.
OBIIT ANN. DOM. MDXXII.
DIE XXV. MENSIS JUNII .

*Laudatur hac inscriptione Joannes Franciscus Paterna suaque
laude Eloquentiæ , quod sane de Poggio dici non posset sine
mendacio , qui sua tantummodo claruit eloquentiæ laude , nulla
vero Patris , quem nullo alio præterquam Notarii munere fun-
ctum constat , neque ullam literis operam dedisse . Intelligenda
igitur Epithaphii verba de Joanne Francisco , qui paterna , hoc
est Parentis sui Poggii , suaque laude eloquentiæ floruit .
Hinc corrui illorum sententia , qui temere Poggio inscriptionem
hanc positam arbitrantur . Hunc errorem illa quoque verba ar-
guunt : Vincentius Lucæ Martinus Fratris ejus Gener &c.*

Notum enim est , Fratrem Poggii nunquam uxorem duxisse , ut docet appositum gentis Poggianæ stemma , quod ad nos liberaliter transmisit Clariss. vir Abbas Salvinus Salvinus . Hic igitur Vincentius Lucae Martinus Fratris Gener appellatur , hoc est Philippi gener , qui Poggii filius fuit , Jo. Francisci frater , & pater Helenæ , quæ Vincentio nupsit . Florentinum Canonatum ad annum obtinuit Philippus , sed in eam dignitatem sequenti anno Joanne Francisco fratre successore , nupsit Alexandræ Dei del Beccuto ex nobilissima tum illius , tum hujus ætatis gente . Ex hac tres filias suscepit . Harum duæ duobus fratribus , nempe Vaggia Joanni , Helena Vincentio Lucae , Martinis desponsatæ . Ex altera hac Lucas ille Martinus natus est , qui ex primis Academicis Florentinis fuit , & Benedicto Varchio adeo familiaris , ut ei lectionem suam de Pictura , & Sculptura dicaverit . Maria Joanni Francisco Borgiano tradita . His in Fœminis gens Poggii estincta est . Cum enim reliqui Poggii filii , Jacobo excepto , sacris se addixissent , posteritati consulere non potuerunt . Neque omittendus hic videtur Petrus Paulus ipse quoque Poggii filius , qui Dominicane Familie adscriptus S. Mariæ ad Mineruam Prior factus est , quam dignitatem non nisi probatissimi ejus Religionis viri assequi solent . Huic laudando ea tantum referam , quæ ex (15) Chronico MS. PP. Dominicanorum excerpta ad nos humanissime misit nunquam satis laudatus D. Abbas Salvinus Salvinus . Adnotata ibi Professionis die , nec non ejus Romam itinere , & Prioratu ad Mineruam , ait . Tandem die VI. Septembris MCDLXIV. defunctus est , qui animam suam posuit pro fratribus suis , nam cum Fratres peste percussos nimia charitate succensus viseret , gubernaret , & solaretur , ipse morbo eodem fauciatu interiit . Magnum utique sibi lucrum dum vadit ad Christum , Ordini vero , & Fratribus dum ejus privantur solatio , ope , atque consilio , magnum comparans detrimentum . Hic filius

exti-

extitit illius eruditissimi viri , qui & Scriba Dominationis fuit , & D. PP. Secretarius , quique Doctrinæ , & ingenii sui monumenta plura reliquit .

Poggius igitur quinque filiorum numero , & splendore auctus neminem tamen ex tanta , & tam præclara stirpe Nepotem habuit , qui gentem hanc , gentisque gloriam propagaret , quod iis rebus contingere plerumque solet , quæ nimia celeritate creverunt . Ego interim , etsi Poggii fama nulla externe laudationis ope indigeat , nihilominus eruditissimo viro officium hoc persolvendum duxi , non ut illum ornarem , sed ut Historiam hanc lecturis , facem veluti quandam præferrem . In quo quidem de mea cura , atque opera nihil dico , quæ nec tanta est , ut multis verbis sit explicanda , & si qua est , malim ut aliis , quam mihi , probata videatur .

I N D E X

C A P I T U M.

CAP. I.	P oggii origo, patria, ac parentes.	Pagina i
CAP. II.	Varia de ejus nomine sententia.	P. ii
CAP. III.	An fratres habuerit.	P. iii
CAP. IV.	Ejus studia, & adolescentia.	P. iv
CAP. V.	Ejus Romam profectio.	P. v
CAP. VI.	Ejus iter Constantiam, & antiqui scriptores ibi reperti.	P. vi
CAP. VII.	Varia ejus itinera.	P. xiii
CAP. VIII.	De ejus matrimonio.	P. xiv.
CAP. IX.	Romam redit, & pluribus Pontificibus operam navat.	P. xvi
CAP. X.	Florentiam repetit, ubi & Cancellarius fit, & inter Priores artium cooptatur.	P. xvii
CAP. XI.	Poggii opera.	P. xix
CAP. XII.	Illustrium virorum de Poggio judicia.	P. xxiii
CAP. XIII.	De ejus Museo, & Academia.	P. xxx
CAP. XIV.	Poggii mors, & honores mortuo decreti.	P. xxxii
CAP. XV.	De Poggi filiiis.	P. xxxiv

JACOBI POGGII FLORENTINI

Præfatio in libros Historiarum Populi
Florentini

AD FEDERICUM COMITEM URBINATEM.

Alexandrum Macedonem Philippi filium ferunt, invictissime Princeps, cum in Sigeum ad Achillis tumulum venisset, ingemuisse, quod illa qua is esset ætate, multa præclara facinora peregisset: quodque egregium virtutum, ac laudum suarum præconium nactus esset; quibus rebus ita suam ignaviam incusare visus est, ut nullo unquam tempore postmodum quieverit, donec non modo illius, sed omnium Græcorum gloriam superaret. C. quoque Cæsarem multis post seculis imagine Alexandri perspecta ad majora quædam incensum affirmant. Quod si Achillis monumentum, & inanis imago tantum roboris, ac virium habuere, ut illos ad maximam gloriam perducerent: quid existimare debemus, eorum quos viderunt, præclaros excellentesque viros facta in animis eorum valuisse? Certe id arbitror, sicuti facta dictis anteponenda sunt, & quæ cernuntur magis movent, quam quæ audimus, aut aliorum scriptis percipimus; sic quæ fieri a præstantibus ingenio viris videmus, multo magis nos acunt, & ad omnem laudem ut expergiscamur, quibusdam quasi stimulis admonent. Verum cum ita comparatum natura sit, ut suæ tantum tempestatis homines cernere, & intueri oculis liceat, summorum virorum ingenio inven-

f tum,

tum , & perfectum est , ut literis mandando res gestas , quæ diversis in locis longa rerum serie evenerint , perspicui possit . Hinc quantum utilitatis generi humano historia fidiſſima rerum custos afferat , quantumque omnes , qui haud in obscuro egere , illi debeant , cum ea sola præſentes nobis illos semper faciat , intelligi potest , cujus e cognitione clarissimorum facinorum memoria ad immortalitatis studium excitemur , atque ex aliorum operibus , & uniuscujusque vita , consilia , mores , fortunæ varietates , & incertos bellorum eventus cognoscamus . Quid enim per immortalem Deum Nino , Semiramidi , Cyro , ut ab antiquissimis incipiam , tot bella , tot labores , tot exercitus , tot subacti Reges , & Provinciæ profuissent , nisi a scriptoribus eorum gesta essent literis decantata ? Quid Soloni , & Lycurgo leges ? Milciadi , Themistocli , Aristidi , Lyſandro , Agesilao , Epaminundæ pro patria innumerabiles angustia , nisi extarent , qui scriptis ea omnia illustrassent ? Quid Hamilcar , Hannibal , Camilli , Fabii , Scipiones , Catones , Bruti , ut ceteros præteream , tot pericula subiissent , si iisdem ea limitibus , quibus vitam suam , terminatum iri existimassent ? Nunquam profecto se tantis vitæ laboribus implicassent , si una cum corpore omnia simul interitura credidissent . Verum cum re ipsa cognoscerent scriptorum virtute , & industria omnes , qui multo antea vixerant , vigere , & in omnium ore versari , bonos extolli , ac laudari , malos , & de hominum genere pessime meritos deprimi , & exagitari ; id egerunt , ut patriam , & se ipsos ab interitu vindicarent . Neque contenti ceteris scribendi materiam præstare , summopere contenderunt , ut doctrina , & dicendi copia excellere , commentariosque rerum suarum posteris traderent , ne scriptoribus deficientibus non esset unde eorum præclarissima facta intelligerentur . Unde Xenophontem , Herodotum , Thucydidem , Timotheum , Hannibalem , egregios


gios duces, historias scripsisse apparet; Q. Fabium Pictorem militari disciplina posthabita ad scribendum se contulisse; M. Portium Catonem, L. Syllam, L. Lucullum, Julium Cæsarem, Asinium Pollionem de victis superatisque hostibus historias edidisse; Divum præterea Augustum, Hadrianum, Gordianum seniore[m] rerum potitos, Romani populi gesta eleganti stylo composuisse. Videbant enim summi illi viri id unum esse perfugium vivendi, & proferendæ vitæ modum, si memoriam sui æternam efficerent, animumque immortalem immortal[i] gloria donarent. Quod studium si principibus, & qui a Theodosio regnarunt, fuisset, & plurimi bello viri iis pares, quos antiquitas celebrat, viverent, & nos illorum rebus cognitis meliores evaderemus. Tulere enim hæc tempora & rei bellicæ scientia, & literis quamplures summos viros, qui si disertissimorum hominum ingenia sortiti essent, unde omnium virtutum exempla sumerentur, non deessent. Nam ut reliquos omittam, nonne Albertus Magnus, Thomas, Ægidius, Scotus, Pythagoræ, Zenoni, Chrysippo, & Aristoteli in philosophia pares esse possunt? Gufridus Bolionus maxima Asiæ parte debellata, ac primus Palestinæ, & Judææ Rex dictus, Tamberlanus potentissimus Asiæ Rex, Federicus Barbarossa, pluresque alii & rerum gestarum gloria, & exercitus copia, & regionum varietate quas occuparunt, Nino, Cyro, & Xerxi sunt comparandi? Quis Braccium Sfortiam, Franciscum ejus filium Mediolani Principem, Carminiolam, Nicolaum Piccininum, Philippum Hispanum, Johannem Vaivodam, si Athenis, aut Spartæ nati essent, non Leonidæ, Pausaniæ, Pelopidæ, & summis quibusque imperatoribus coæquasset? Certè in tam corruptis moribus, in tanta rerum omnium perversitate conducto milite, & mercenariis equitibus, cum pro aliorum augendo imperio decertaverint, quid existimamus fuisse facturos, si pro civi-

bus; pro gloria, pro libertate patriæ, pro liberis, divinis denique humanisque rebus omnibus dimicassent? Absit invidia, & livor, hæc nostra quæ præcessit ætas eloquentiam cum re militari ita conjunxit, ut vere affirmare auserim præcæ illi minime fuisse celsuram, si idem exercitationis genus, & eadem præmia artibus fuissent. Quis enim Dantem, Petrarcam, Boccaccium, Leonardum, Poggium, Ambrosium indignos judicet qui Ciceronis seculo conferantur, si in Romana Republica nasci contigisset? Vigebat forum, judicia, Senatus, erat usus dicendi varius, quo ingenium natura optimum excolire potuissent; his omnibus sublatis, quod tantum profecerint mirandum maxime est, solaque bonitate naturæ, & ingenii ubertate id assecutos esse, quod præmiis maximis, gloria, & frequenti exercitatione illi consequerentur. Non minori profecto existimatione apud nos essent, quam illi ipsi quos tantopere admiramur, si digna præmia suis virtutibus adepti forent; nam cum virtus tantum laudetur, & deserta jaceat, deterrentur homines, laboremque extremum sine aliquo emolumento fugiunt, qui si Mæcenates nonnullos, ut poeta inquit, cernerent, tanquam e somno excitati emergerent, & ad summam dicendo laudem pervenirent. Conjecturam facere licet his proximis annis in Alphonso Rege, divinoque Principe Nicolao Quinto Pontifice Maximo doctorum omnium parente, qui cum unicum receptaculum illustrium virorum esset, illosque in honore, ac pretio haberet, id sua liberalitate, & industria effecit, ut omnes ad scribendi studium propositis præmiis se conferrent, longoque postliminio græca lingua in Italiam reducta, multa nobis legenda traderentur. Cum quo sanctissimo, ac sapientissimo homine latinas simul & græcas litteras periisse merito dicere non dubitarem; nisi tu post supremum illius diem bonis omnibus deflendum unus extitisses, qui præstanti ingenio viros tuis opibus

opibus sustentares, dispersosque, ac tanti viri morte pene attonitos tuis verbis, & cohortationibus bene sperare, ac bono esse animo juberēs. Itaque, Illustrissime Princeps Fēderice, cum solus hac nostra ætate sis, qui non modo ingeniiis faveas, verum etiam ad rei militaris scientiam, eloquentiam & dicendi copiam addideris, in philosophia tantum profeceris quantum ocioso homini vix conceditur, assidueque domi, ac militiæ aliquid scribas, aut legas, historias vero præteritorum temporum ita teneas, ut nihil tibi incognitum esse constet: nequid omnino novum animo tuo sit, optimi parentis vigilias, quibus proximæ ætatis per Italiam res gestæ continentur, ad te mittere decrevi. Cui enim illas potius dedicarem, quam ei, qui & familiaritate secum junctus fuit, & doctus ipse doctos colit, & observat? Poggius enim ingravescente ætate tanquam emeritis stipendiis, cum Roma, ubi magna cum laude vixerat, venia a Pontifice impetrata in patriam revertisset, ut memoriæ tantæ urbis consuleret, inter privata, publica que negotia, commentaria rerum Florentinarum a primo bello cum Johanne Mediolanensi Archiepiscopo, usque ad pacem cum Alphonso per Nicolaum Pontificem factam morte præventus reliquit.

Mihi vero ut primum per ætatem licuit, ne nostræ Reipublicæ, plurimorumque clarorum virorum memoria deperiret, nihil fuit potius, quam omnia in octo digesta libros summa cum diligentia in unum corpus redigere, ac legenda posteris tradere, quod opus undique absolutum, ac perfectum cum in manibus versaretur, multaque inessent incognita, ac memoratu digna, scripta præsertim ab homine suæ ætatis eloquentissimo, voveremque animo, ac cogitarem ad quem potissimum hos labores destinarem, tu unus occurristi, qui & rerum gestarum magnitudine, & gloria par illis sis, quibuscum toties a nostris est de imperio
certa-

certatum . Cumque hoc anno tua virtute Volaterrani , antiquissima Erruriæ civitas , montis asperitate , & loci natura freti imperio nostro rebelles sub jugum venerint , tuque industria tua naturam , & difficultates omnes superaris tanta celeritate , ut triumpho , qui tibi ob res bello bene gestas paratus a Senatu nostro est , verissime id ascribi poterit , ut primum veneris , videris te vicisse , patriamque nostram periculofissimo tempore devictis hostibus quietam reddideris , eaque per te suam dignitatem contra omnium opinionem recuperarit , urbsque inimica , quæ biennio a Syllano exercitu post civilem victoriam obsessa , pactione in Romanorum potestatem devenerit , paucos infra dies colla submittere in urgente coacta sit , Senatus populusque omnium consensu , & una voce in Rempublicam acceperit , ac civitate donarit , laurea que , & ceteris militaribus insignibus decorarit , nemo vero tam ingratus in patriam Civis fuerit qui non tibi se plurimum debere existimaret : ego quoque pro viribus meis aliquo virtutem tuam munere honestare cupiens , ut testimonium meæ in te , & in patriam observantiæ extaret , hanc Historiam tuo nomini dicare institui , quam urbi nostræ , & Auctori laudem non vulgarem apud posteros allaturam esse pro certo existimo . Eam cum leges , majores tuos , te ipsum denique intueri licebit , cujus auspiciis plurima summa cum laude gesta esse comperies .



Bracciolini de Terranova

Cives Florentini : de Quarterio
S. Joannis sub Vexillo Clavium,
et de Quarterio S. Crucis sub
Vexillo Carri .

Podius
Vulgo Poggius

GUCCIUS



N.
Masculus
cujus nomen
ignoratur.

Poggius n. an. 1300

Notarius, Doctor, et Aduocatus.

Quatuor Romanorum Pontificum, a Bonif. IX. ad Alexand. V. Literarum Apostolicar. Scriptor. et Abbreuiator
Sex itidem Pontificum ab Ioan. XXIII. ad Pium II Secretarius.

Reip. Florent. Cancellarius an. 1453. Viuus ex Prioribus Libertatis an. 1455.

Historicus Celeberrimus — Vxorem duxit an. 1435 Vaggiam Ghini Manentis de Bondelmontibus.

Obijt an. 1459.

Catharina

Nupsit an. 1410

Chello Dini de Troiana

a quo

D. D. Comes del Maestro

Bartholomea Lucretius Guccius
n. an. 1425 n. an. 1428 n. an. 1429
Omnes Naturales

F. Petrus
Paulus
n. an. 1438
Or.^d Predicatorum
an. 1457.
Ob. an. 1464 Prior
S. Marię Supra
Mineruam Romę

Io. Baptista
n. an. 1439.
Decret. Doctor Historicus
Canonicus Flor. an. 1449
Canonicus Aretinus
Prior Castri Montis Varchij
Plebannus Castri Laterinę
Acolitus D. Pape.
Camerę Apostol. Sericus
obijt an. 1470

Philippus
n. an. 1450.
Canonicus Florentinus an. 1470
Vxorem deinde duxit
Alexandram Felicis Dei del Beccuto

Lucretia
Nupsit an. 1456
Francisco Nicolai
Cocchi Donati

Iacobus
n. an. 1441.
Historicus
ob. an. 1478.

Io. Franciscus
n. an. 1447.
I. C. Canonicus flor. an. 1471.
Plebannus Castri Laterinę
Cubicularius D. Pape.
Literarum Apostolicar.
Abbreuiator.
Ob. an. 1522.

Vaggia
Nupsit an. 1495
Ioanni Luce Ser Ioannis
Martini

Maria
Nupsit an. 1504
Ioanni Fran.^{ca} Borgianni
Magdalena
Nupsit an. 1506
Luce Ser Ioannis
Martini

POGGII BRACCIOLINI
FLORENTINI
HISTORIARUM
FLORENTINI POPULI

LIBRI PRIMI

EPI TOM E.

Florentiæ Urbis, Vicecomitum Gentis, Guelfæ factionis, & Ghibellinæ Origo. Vicecomites Mediolanum habent. Mediolanensis Archiepiscopus Florentinis bellum indicit; & post varios eventus pax jungitur. Archiepiscopus moritur. Florentini cum Pisanis bellum gerunt: multisque præliis superiores sunt. Pax fit. Caroli Imperatoris in Italiam adventus. Florentini S. Miniatum obsidione premunt; in suam redigunt potestatem. Cum Pontifice fœdere inito Vicecomitibus bellum movent: iterum post varios belli eventus pax conficitur.

EA scripturus bella, quæ Florentinus Populus cum Vicecomitum (a) familia, quæve cum ceteris ad hæc usque tempora paulo centum amplius annos vario Marte gessit, operæ pretium fore putavi, initia, variumque urbis nostræ statum usque ad

A pri-

NOTÆ.

(a) Vicecomitum familiam, a Vicecomitum dignitate denominatam putat Bernardus Corius Hist. Med. Part. I. Vicecomites autem dicti, qui Comitis vicem gerebant. Hos eligendi Imperatores, & Archiepiscopi jus habebant. Sed & Mediolanensis populus Vicecomitem suum elegit anno MCXCVIII. Plura, sed incerta de Vicecomitum origine refert Georg. Merula Antiq. Vicec. lib. 5.

primum cum Archiepiscopo bellum recensere paucis ;
 tum adjicere ejus familiæ primordia, quæ pollens potens-
 que viris, & imperio præ cæteris Italiæ principibus fuit.
 Florentiam urbem satis constat initium traxisse a Roma-
 nis (*b*) ex ea civium colonia, quam (*c*) L. Sylla post
 civilem victoriam Fesulas divisim agris misit . Hi
 montium asperitatem fugientes in plano confedere juxta
 fluentem Arnū , a quo , & Fluentiam primum (*d*) ;
 ut Plinio placet, positam dixere. Id mihi similis videtur
 vero, quam quod Leonardus (*e*) Aretinus scriptum suis
 in historiis reliquit, existimans, quoniam inter duo fluen-
 ta Arnū , & Munionem locata esset, Fluentiam appella-
 tam . Sed magis Plinio, qui hujus urbis origini proximus
 ætate fuit , & Munionem non fluentem , sed torrentem
 vado sæpius æstate arido appellari docet, credendum vide-
 tur . Posterius deinde Florentiam paucis, ut fit quandoque,
 mutatis litteris appellarunt . Prioris urbis (*f*) perpaucā
 super-

N O T Æ.

(*b*) *Initium traxisse a Romanis* . Romanos Florentiam condidisse quis neget? nec audiendus Joannes Villanus, qui lib. 1. cap. 38. à Florino conditam dicit, & nominatam. V. notam seq.

(*c*) *Colonia quam L. Sylla* . Leonardum Aretinum sequitur Poggius, & ambo Ciceronem, qui de Catilinæ conjuratione sic habet. *Catilina studium eis in coloniis sibi conciliandis positum, quæ a L. Sylla prope Fesulas instituta fuerant* . Nulla hic Florentiæ mentio. Neque verisimile Coloniam Florentiam a Sylla deductam, cum eandem sub hasta venditam ab ipso Sylla referat Florus lib. 3. cap. XXI. Sed nec à Sylla deductam, nec ab eo venditam satis probat Vincentius Borghinus de Origine Florentiæ. Triumviros coloniam Florentiam deduxisse volunt Angel. Polit. lib. 1. Ep. ad Petrum Med. & Vincentius Borghin. hocque a Julio Frontino lib. de agrorum mensuris accepere, ubi ait, *Florentia Colonia a Triumviris deducta, assignata lege Julia Centuriis* . Hi vero fuere C. Cæsar, M. Antonius, & M. Lepidus. In hanc sententiam

ego quoque feror, propterea quia hic duntaxat expressum Florentiæ nomen habetur. Vid. Borg. de Orig. Flor. ubi sepulchrali lapide hoc comprobatur. Deducta autem colonia est post Victoriam Philippicam ann. Romæ DCCXII. ante Christum natū XL.

(*d*) *Fluentiam primum* . Fluentiam aperte vult Plinius antiquitus denominatam fuisse; lego enim in MS. Codice optimæ notæ apud me lib. 3. Cap. 5. quod est in editis Caput 8. hæc verba. FLUENTINI, NUNC FLORENTINI DICTI, PROFLUENTI ARNO APPOSITI. utcumque legerit & senserit P. Harduinus. Accedit Decretum Desiderii Langobardorum Regis apud Grut. in quo antiquum Fluentinorum nomen positum videmus illis Verbis, *Palantes FLUENTINOS collegimus*, quod ad Florentinos P. Harduinus ipse refert.

(*e*) *Leonardus Aretinus*, lib. I. Historiæ Florentinæ.

(*f*) *Prioris urbis*. Ædificiorum scilicet antiquorum, cum Urbis facies hoc tempore alia sit, & ab antiqua illa valde diversa.

superfunt vestigia, ut thermarum rudera quædam novis ædificiis inserta, a quibus & hodie propinquus vicus (g) thermæ vocitatur. (h) Aquæductus quoque lapideus, cujus extra urbem nonnulli arcus apparent, ac templum (i) superstat nobile, quod Marti gentilitas dicavit, nunc Johanni Baptistæ sacratum; nomen & Capitolii, (l) & propinqui fori instar urbis Romæ ad hanc diem perseverat. Ea civibus, opibusque plurimum aucta Romano Imperio usque ad Totilam (m) Gothorum Regem paruit, a quo sexcentesimo (n) fere post eam conditam anno, (o) captam, & everfam tradunt: trecentos deinde circiter annos deserta cultoribus (p), demum a Carolo Magno post adeptum imperium (q) restituta. Civibus variis in locis a fortuna dispersis receptaculum fuit. Ad avitam urbem reliquæ civium reversæ brevi tempore admodum coaluerunt. Duos initio Consules, & centum pa-

Post
Christ.
nat. ann
552.

ann. 800.

A 2 tres

N O T Æ.

(g) *Thermæ*. Ab antiquis Thermis, seu balneis, licet Thermarum nomine quandoque Ædificiorum ingentes moles sumantur.

(h) *Aquæductus*. Hunc Macrinus Romanus Senator construendum curavit, ut aquam ex loco septem pass. millia distante in urbem deduceret. Caput aquæ quod corrupto nomine Cappacia nuncupatur, in Therma Vico. Id Joannis quoque Villani tempore extabat, & aquarum collectioni usui fuisse probabile est.

(i) *Templum*. Tempore Octaviani Augusti extructum in Camartis loco, Martique sacrum. Ut Ugol. Ver. de Illustr. Flor. lib. 2.

*Nec procul a primis erexit mœnibus adem
Mavorti, qua post cessit sacrata Joanni.*

Joanni vero sacratum Constantino imperante in Pontificatu Sylvestri.

(l) *Capitolii*. Romæ parvulæ nomen inditum Florentiæ, quod similitudine quadam Romæ fuerit ædificata. Vid. Joann. Vill. lib. I. cap. XXXVIII.

(m) *Totilam*. inepte quidem tum Malespinus Hist. Flor. cap. 22. tum Joann. Vill. lib. 3. Cap. 1. aliique Totilam cum Atila confundunt, qui centum ante Totilam an-

nos occubuit.

(n) *Sexcentesimo &c.* Ante diximus a Triumviris Florentiam Coloniam deductam anno ante Christum natum XL. Hoc igitur convenit temporibus Totilæ, qui cum post Christum ann. DXLII. regnarit, DC. fere anni præterierunt.

(o) *Captam & everfam tradunt*. Captam fuisse bene tradunt, non autem everfam, quod aperte negat Vincentius Borghinus part. II. qui de Florentiæ everfione fise disputat p. 252. 260. Quid enim Narseti opus fuerat cum tot armatorum millibus ad eam accedere, si mœnibus dirutis everfa fuisset?

(p) *Cultoribus*, qui propinquas in urbes confugerant.

(q) *Restituta*, seu iterum ædificata, ut vult Malespinus Hist. Flor. & Joann. Vill. lib. 2. cap. 23. qui addit Florentinos novam ædificationem a Carolo Magno Romæ degente petiisse, & ab eo exercitu adjutos; quod itidem negat præcitatus Borghinus. Mirum quidem Malespinum Cap. 45. asserere ann. DCCC. Carolum paschalem diem Florentiæ celebrasse, cum ann. DCCC. Italia excesserit, neq; amplius reversus fuerit.

tres, qui Reipublicæ præessent Senatam sibi crearunt. Variis cum Fesulanorum novæ urbi invidentium, tum aliorum finitimorum bellis laceffiti sub Imperatoribus qui post (r) Carolum regnarunt, a quorum prætoribus regebantur, parvos intra fines coacti se suaque egregie defendentes vixere. Otho primus Imperator (s) fines eorum quos Comitatum appellavit, ad sex passuum millia protendit, anno restitutæ urbis trigesimo nono. Imperitantium deinde iniquitas magis tyrannorum, quam bonorum Principum more variis urbem injuriis vexantium ad capessendam libertatem coegit. Prima (t) illorum defectio culpa Henrici Quarti orta est Romano (u) Pontifici, cui Florentini favebant, hostis centum fere post Othonem annis, Salutis vero octuaginta supra mille, qui tamen haud multo (x) post ob auxilia sibi a Florentinis in expeditionem adversus Saracenos missa fines eorum ad decimum lapidem protulit. (y) Suffulta civibus, ac viribus urbe, inque tribus quatuor divisa, cuique Tribui consul (z) qui jus diceret tributus est; pauloque post duæ additæ quæ & ipsæ suum consulem sunt sortitæ. Cum vero tum precibus, tum factione civium parum Justitiæ loci esset, hominumque plus, quam legum imperia possent, ex-
ter-

N O T Æ.

(r) *qui post Carolum.* Septem novit Francos Imperatores ante Arnulphum.

(s) *Imperator.* Primus hic ex Germanis Italiæ imperavit.

(t) *Henrici Quarti.* Henricus hujus nominis Gallorum Rex quartus, Romanorum Imperator tertius.

(u) *Pontifici.* Gregorio VII. cui Florentini erant addicti, injustè arma intulerat Henricus anno Christi MLXXVIII. Florentini ab eo descivere ann. MLXXX.

(x) *Haud multo post,* hoc est anno MLXXXIX. si credimus Joanni Vill. qui ab Urbano eo tempore concilium ad Clarum Montem celebratum fuisse narrat. Sed Concilium hoc *Sethus Calvisius* p. 642. nec

non Baronius celebratum asserunt anno MXCV. & in eo expeditionem adversus Saracenos decretam. In qua

*Florentina phalanx gessit felicia bella,
Alta Palastina transcendit mœnia Sion,
Primaque post Regem muris Victricia signa
Imposuit, meruitque aurata dona corona*

Ugol. Ver. de Illustr. Flor. lib. 1.

(y) *Civibus.* Fesulanis præcipue civitate donatis, cujus Patriam funditus everterant Florentini. *Ammirat. lib. 1.*

(z) *Consul.* Quatuor consules, dum quatuor portas Urbis habuit. Ad sex portas extensa, & in sex tribus divisa, sex quoque habuit Consules.

ternum (*a*) Magistratum , quem Potestatem appellarunt , ut jus populi redderet accersiverunt , (*b*) pauloque post nobilium (*c*) exagitati injuriis (*d*) Capitaneum sibi populus , & duodecim seniores , ac vexilliferos (*e*) viginti , quorum consilio Respublica administraretur , instituunt . Diversis deinde bellis civilibus , partim fatigatis , partim pulsis civibus , ac multorum direptis factionum culpa bonis , Priores (*f*) artium , qui Rempublicam regerent anno Christi secundo , & octuagesimo post mille ducentos creati sunt . Hic ordo , licet varie , & numero , & dignitate immutatus , ad hanc diem perseverat . Nam ad Priores , (*g*) qui sex numero erant , decennio post (*h*) Vexillifer justitiæ , trigesimoque deinde anno duodecim viri , qui Boni appellantur electi , & numerus viginti Vexilliferorum ad sedecim redactus , & duo (*i*) Priores adjecti , & Civitas in quatuor partes divisa . Instituta præterea Consilia , ut appellant , duo , alterum populi in quo magna ex parte plebeii magistratus inessent , alterum Communis in quo viri electiores continerentur , quorum suffragiis decernerentur singula , tum publica , tum privata , quæ graviori judicio egere viderentur . Primæ urbis Mœnia , ut (*l*) initio tenui omnia ferme majora constant , parvo ambitu fuere . Secunda majorem circuitum sunt complexa .
Tertii

N O T Æ.

(*a*) *Externum Magistratum* . In pluribus Italiae urbibus usus hic invaluit . *Cort. Hist.* *Veron. Bonif. Hist.* *Taru.* & alii alibi .

(*b*) *Accersiverunt* Gualfredotum Grafellium Mediolanensem . *Ammirat. lib. 1. p. 68.* *Malepinus vero* , & cum eo *Jo. Vill. lib. 5. Cap. 32.* Gualfredotum Mediolanensem .

(*c*) *Nobilium* Ubertorum familiae aliorumque nobilium .

(*d*) *Capitaneum* Ubertum Lucensem .

(*e*) 20. *Vexilliferos* sub quibus armatus coiret populus . Horum vexilla refert *Jo. Vill. lib. 6. cap. 40.*

(*f*) *Priores artium* Primam Priorum crea-

tionem non bene assignat Poggius anno MCCLXXXII. cum anno MCCIV. jam hæc dignitas tribus delata fuisset Latino , Janibono , & Guadagnio . Negari tamen non potest anno tantum MCCLXXXII. eos dignitate , ac autoritate mirifice auctos fuisse . *Scip. Ammirat. lib. 1.*

(*g*) *Hic ordo* . Ex hoc ordine Poggium ipsum fuisse , in ejus Vita ostendi .

(*h*) *Vexillifer* . Primus Ubaldu Ruffolus .

(*i*) *Duo* . ut in Anglia , & Gallia :

(*l*) *Initio tenui* . Sic Livius de Roma . *Qua ab exiguis profecta initiis adeo crevis , ut jam magnitudine laboret sua .*

- 1299 Tertii deinde ambitus decimo septimo (*m*) post primos Priores anno ampliori spatio fundamenta, ut quæ quinque passuum millia occupent, jacta sunt. Anno quinto ac vigesimo supra mille trecentos sua sponte (*n*) quod semel tantum accidit, libertatem amisit: diutino etenim bello fessa, ad Robertum Siciliae Regem, quocum foedere juncti erant confugiens, ad imperium urbis filium ejus Carolum Calabriae Ducem in decennium evocavit. Post octo (*o*) paulo amplius annos cum libertatem restituisset civibus, Gualterius (*p*) qui cum eo Florentiam concesserat Athenarum dux, quorundam civium consilio, ac dolis urbis tyrannidem (*q*) occupavit, quo post decem menses pulso, libertatem sibi consciverunt. Hic status erat rerum Florentini Populi, tum (*r*) armis foris, tum (*f*) domi seditionibus inquieti usque ad annos mille trecentos quinquaginta: cum Johannes Vicecomes Archiepiscopus Mediolanensis suæ urbis, multarumque (*t*) præterea imperio potitus a Jacobo Pepolo Bononiam

N O T Æ.

(*m*) *Decimo septimo post primos Priores anno.* Hoc est anno MCCXIC. cum primi Priores anno MCCLXXXII. Magistratum obtinuerint secundum opinionem Poggii.

(*n*) *Quod semel tantum accidit.* Tametsi enim Carolus Ludovici Galliae Regis fratrem anno MCCLXVII. & Robertum Siciliae Regem anno MCCCXIII. accivit, non ideo libertatem amisit. Eorum siquidem patrocinio potius, quam imperio usa est.

(*o*) *Post octo paulo &c.* Vel sic intelligendus est Poggius, ut Carolus post annos octo libertatem urbi restituerit, quod sustineri non potest, cum vix tres annos regnaverit, hoc est ab anno MCCCXXV. ad annum MCCCXXVII. Vel ita explicandus est, ut Gualterius post annos octo tyrannidem occupaverit: sed hoc ipsum falsum est, cum occupavit anno MCCCXLII. hoc est quatuordecim post annis.

(*p*) *Cum eo Florentiam concesserat.* melius pro eo. nam ante suum adventum a Carolo

pro Vicario Florentiam missum Gualterium constat anno MCCCXXV. mente Majo; Carolus advenisse ann. MCCCXXVI. mente Julio. *Joann. Vill. lib. 2. Ammirat. lib. 6. p. 327.*

(*q*) *Occupavit.* Delatum illi urbis Imperium refert Ammiratus a Populo, quem sibi Dux conciliaverat, anno MCCCXLII. mente Sept. pulsus vero est MCCCXLIII. mente Julio.

(*r*) *Tum armis.* Nil memoria dignum actum est. Duo tantum oppida, Colle, & Sanctum Geminianum capta. Plura tamen foedera cum Senensibus, Perusinis, aliisque inita.

(*f*) *Tum seditionibus.* Andreas Strozzius urbis tyrannidem occupare molitus fuerat. Pulsis nobilibus Populus sibi urbis imperium adscivit. Ubaldini Florentiam revocati nova tentabant.

(*t*) *Multarumque.* eo enim tempore viginti duæ urbes in ejus ditione erant, quibus, pulso Joanne Pepolo, Bononia adjuncta.

niam C C. millibus aureis emit, quæ res virum ambitio- 1350
sum, & dominandi cupidum ad majora impulit, ani-
mumque incendit ad appetendum imperium Etruscorum,
quorum magna pars factionum, quæ in Italia vige-
bant, causa cum eo sentiebat, unde & bellum descendit. Nam
cum in Italia essent sectæ duæ Guelforum scilicet, &
Ghibellinorum, posterioris partes Vicecomites sibi tutan-
das suscipere. De quibus priusquam ulterius progrediar
pauca videntur dicenda. Hanc familiam per antiquam sa-
ne, ac nobilem fuisse constat, multisque rebus domi mi-
litiæque gestis præclaram. Ea primum originem traxit ab
his locis, quæ sunt apud Verbanum lacum (u) ubi
diutius inter primores claruit. Vulgo ferunt strenuum
ex ea gente virum serpentem magnitudinis miræ infan-
tem parvulum deglutientem occidisse, signumque milita-
re ob gloriam gestæ rei serpentem puerulum vorantem
sibi sumpsisse. Post Mediolanum a Federico (x) primo
funditus eversum, cum cives qui cladi superfuerant ur-
bem instaurarent, ejus familiæ Principes Mediolanum
honoris ampliandi gratia commigrarunt; (y) e vestigio-
que partis, quæ Ghibellina dicebatur, fautores summum
tenuerunt apud cives locum. Erat antea Mediolani anti-
qua, ac præpotens familia eorum, qui de Turre (z) co-
gnominabantur, princeps factionis quam appellant Guel-
fam:

N O T Æ.

(u) *Verbanum*. lacus Insubriæ vulgo La-
cus major, per quem Ticinus triginta mil-
lium passuum itinere fluit, distat Mediola-
no millibus pass. 17.

(x) *Funditus eversum*. ann. MCLXII.
solum aratro subactum, & sale sparsum.
Ann. Svec. & Tristan. Calvus Hist. lib. X.
Corius addit XXVI. Martii MCLXII. id
contigisse.

(y) *Commigrarunt*. Vicecomites tunc
non commigrarunt primo, sed iterum, ex-

pulsi enim aliis cum civibus ante everfio-
nem fuerant, nam constat Othonem Vi-
cecomitem apud Conradum Friderici Im-
peratoris fratrem pro patriæ incolumitate
orationem habuisse.

(z) *De Turre*. De hujus familiæ origine,
nobilitate, *Corius. Hist. Med. part. I.* Me-
diolanum familiam transtulit ex Valsafina
Paganus Turrianus a Mediolanensi Po-
pulo Dux electus ann. MCCXL. *Idem*
Corius.

1350 fam : harum (*a*) partium initia supra trecentefimum annum tempore Corradi Secundi ortum duxere. Nam cum Henricus ejus filius, Vilfoque Bavariae Dux acie dimicassent, victoriaque penes Henricum stetisset ; qui Henrico adfuere , a vico juxta quem pugnatum est Vibellini ; qui Vilfoni , ab eo sunt Velfi appellati. Quoniam vero Corradus Henricusque infensi Pontificibus fuere, eos, qui pro Imperatoribus steterant, Ghibellinos, a Vilfone, qui Pontifici hærebat, Guelfos posteritas dixit ; quæ factio e vestigio in Italiam transgressa , tamquam pestilens incendium eam infinitis pene cladibus vastavit . Ghibellinorum (*b*) sectam Vicecomites secuti ejusque defensione suscepta e civitate opera Ghuidotti de Turre pulsi (*c*) sunt ; pauloque (*d*) post Henrici tertii Ghibellinis faventis opera restituti , quo beneficio in suas partes magis incubuere . Ejecta deinde ex urbe adversæ factionis (*e*) gente omni, civitatem suo nutu regebant, paulatimque imperandi consuetudine urbis Tyrannidem ob favorem partium occuparunt . Maffeo (*f*) seniore mortuo solus Johannes Archiepiscopus (*g*) frater regnavit, multasque præterea urbes suo adjecit imperio , Papiam , Placentiam , Brixiam , Cremonam , Laudum , Ber-

N O T Æ.

(*a*) *De Guelpha & Ghibellina* factionis origine autores varii, varia narrant. *Vid. Bartolum in tractatu de Guelph. & Gibell.* qui dicit Ghibellinos a Friderici Ghibelli cognomine nomen sumpsisse . Alii eos Pistorii ortum traxisse a duabus familiis , alii a duobus fratribus Guelpho , & Ghibello, inter quos gravissimæ erant inimicitiae .

(*b*) *Ghibellinorum sectam* . ut principem in ea locum tenerent, nam Guelpham Turriani tuebantur .

(*c*) *Pulsi sunt* ann. MCCCII. opera Guidoti , deinde vero publica autoritati exilio multati .

(*d*) *Pauloque post* . post novem annos Mat-

thæum Vicecomitem de exilio reduxit Henricus VII. Mediolanum profectus ann. MCCCXI. *Vide Merulam Antiq. Vicec. lib.6.*

(*e*) *Adversa factionis* . Guido Turrianus pulsus est ann. MCCCXI. Mense Februario, & ann. MCCCXVII. Matthæus Vicecomes Imperialis Vicarius Principis nomen usurpavit. *Merula ibid.*

(*f*) *Maphæo* . Scribentis errorem puto ; nam Jacobus qui historiam hanc Italice reddidit, & omnes coævi Scriptores, Corio excepto, Matthæum appellavere .

(*g*) *Joannes Archiepiscopus* . ann. MCCCCL. rerum sacrarum administrationem cum civitatis administratione conjunxit .

Bergomum, Comum, Vercellas, Novariam, Asti, Alexandriam, Terdonam. Occupata Bononia, cum omnia ejus consilia eo spectarent, ut fines proferret, occasione movendi Florentinis belli ex partium defensione, quarum se acerrimum propugnatorem præbebat, sumpta; Florentiam urbem inimicis (*b*) suis faventem, & tamquam suas partes oppugnantium sedem sibi opprimendam statuit, quo latius evagari imperandi cupido posset: movendo quoque bello, ut aliquam justam causam præferret, litteris Bononiam a Florentinis quorundam (*i*) civium opera ad desciscendum sollicitatam questus est. Ut vero quod animo conceperat, ex voto succederet, Ghibellinæ sectæ capita, quæ plurima in Tuscia erant, in primis sibi conciliavit. Tantas Archiepiscopi vires veriti Florentini, Pratum (*l*) oppidum opulentum, ne ex incolarum dissensionibus facultas daretur ad Archiepiscopum deficiendi, valido comparato exercitu compulerunt, (*m*) ut suis militibus receptis ejus custodiendi curam sibi permitterent. Deinde cum propter dubiam oppidanorum fidem parum sibi cautum esse sentirent, a Ludovico Siciliae Rege (*n*) Johannaque Regina Ducis Calabriae, cujus ditionis id oppidum fuerat, hæredibus opera Nicolæ Acciajoli Florentini, cujus (*o*) opes apud Reginam plurimum poterant pretio em-

B ptum,

N O T Æ.

(*b*) *Inimicis suis*. Eo confugerant Mediolano pulsi.

(*i*) *Quorundam civium*. Inter hos Jacobus Popolus, qui Bononiam Archiepiscopo venditam, rursus vendere moliebatur, non tamen Florentinis sollicitantibus.

(*l*) *Pratum*. Hetruriae oppidum medium inter Florentiam ad ortum, & Pistorium ad occasum. Nunc Civitas.

(*m*) *Compulerunt*. anno MCCCL. coacto exercitu ex improvise Pratum occupant Florentini.

(*n*) *Hæredibus*. Sponso suo Andreae Un-

gariæ Regi mortis illatæ crimine absoluta à Clemente Pontif. & Card. Calabriae hæres declarata Joanna, nec non quorundam in Hetruria oppidorum, inter quæ Pratum, quod a Florentinis Nicolai Acciajoli opera emptum est 17500. aureorum pretio. *Math. Vill. lib. I. cap. 7.*

(*o*) *Cujus opes*. non tam opes apud Joannam, quam ejus consilia valebant, quibus Joannæ Regnum servatum est adversus conatus fratris Andreae Ungariæ Regis demortui. *Math. Palmerius in vita ejusd. Nic. p. 155.*

1351 ptum, dominandi potestate concessa, pro suo deinceps tenuere. Pulsis deinde urbe Pistorio Guelfis cum timerent, ne qui Pistorii erant, exulum metu Archiepiscopo se dederent, e vestigio exercitu scripto, in quo ad quindecim equitum, peditumque millia censebantur, urbem obsidione cinxere, quæ paucis post diebus desperato auxilio recepta est. (p) Obstabant hæc Archiepiscopi consiliis, cum videret augeri Florentinorum adversæ factionis opes. Accitis igitur Mediolanum Hetruriæ omnis, ac Flamminiae Ghibellinarum partium principibus, (q) longiori oratione suasit *sedem hostium suorum, & tanquam fomentum malorum omnium delendam esse; nullam esse in Italia præter Florentiam Guelforum spem præsidiumque, a qua omnis eorum protectio defensioque oriretur: hanc solam urbem obstare fortunis suis, quæ satis dubiæ essent, nisi ejus civitatis vires deprimerentur. Illam perfugium subsidiumque eorum omnium esse, qui a suis partibus dissentirent, a quibus nulla pax, nulla certa conditio dici posset, quibus de statu suo tuti forent. Providendum esse rebus suis in tempore cum facultas daretur, quoniam sera pœnitentia nihil esset profutura. Delendum (r) vel subjiciendum eum locum, qui suis partibus præ ceteris obesset: nunquam Italiam quieturam, dum vigerent, quorum consilio, opibusque ceteri niterentur; semper eam Rempublicam fuisse illis qui contra se armis certassent: nunquam bellorum causam futuram, donec hi vigerent in quibus adversariorum consisteret*

N O T Æ.

(p) Recepta est. anno MCCCLI. Mense Aprili.

(q) Principibus. Ubaldinis, Intermnellis, Ubertinis, Pactiis, Comitibus a S. Flore, Carolino Pistoriensi, aliisque quorum nomina apud Mart. Vill. lib. 2.

(r) Delendum &c. Huic orationi simi-

lem habet Livius lib. 26. in qua Scipio Carthaginem aggredi parans ait: *Otpugnabit enim vere mania unius urbis, sed in una urbe universam ceperitis Hispaniam. Hæc illis arx, hoc horreum, ararium, armamentarium, hoc omnium rerum receptaculum est.*

steret robur : nemini autem fore dubium (f) quin capite dele- 1351
to Guelforum membra omnia facile deficerent : si se Ducem
sequi vellent , cito futurum , ut in tuto res eorum staret .
Non esse cunctadum , si (t) viri , & qua necessitas cogeret
mente forent : sibi in animo esse Florentinorum potentiam bel-
lo conterere ; fore procul dubio ut tot hostium vi belloque
undique circumventi vexatique facile subiiciantur , & exu-
libus (hi plurimi domo pulsi erant) detur redeundi locus .
Vel solum se satis videri , ut illos opprimat ; quod si eorum
qui plurimi , & prævalidi sunt , vires accedant , nemi-
ni dubium fore , quin victoria potiantur : irent igitur , &
se auctore (u) præsentis animo bellum pararent , ut uno tem-
pore imparatos variis locis aggrediantur . Eiusmodihorta-
tionibus incensi omnes , Archiepiscopi consilia sequenda
decrevere . Huic concilio cum capita factionis , tum eorum ,
qui adesse non poterant Oratores , & in his Ubaldini :
Castrutii (x) filii : Lucenses : Pistorienses : Florentinique
exules affuere . Inito inter eos belli gerendi fœdere , & ut
quisque qua regione Florentinis propinquus erat , statuto
tempore bellum excitaret , quo facilius variis in locis
lacsiti , animis viribusque deficerent , domum redire ,
& copias parare iussit . Universæ ferme Hetruriæ Ghibel-
linarum partium duces præter Pisanos (hi pacem (y) ser-
varunt) ad arma concitanda convenere . His constitutis

B. 2. è ve.

NOTÆ.

(f) *Capite deleto* . Comparatio meta-
phorica . Florentia scilicet Guelforum
capite deleto , membra omnia , aliæ nempe
civitates deficient .

(t) *Si viri* . sic Livius lib. 2. in Orat. Actii
Julii Volscos in Romanos excitantis , ait
bellum urbis indictum . est magno illorum malo
h viri estis .

(u) *Se guctore* . Ut in Salust. videre est
Catilina fautores suos alloquente . Vel Impe-
ratore , vel milite me utemini . Nec dissi-

militer Tacitus lib. I. Hist. in Orat. Othonis
ad milites : *Vobis arma , & animus sit , mi-
hi consilium , & virtutis vestra regimen relin-
quite .*

(x) *Castrutii filii* . hoc est . Castrutii In-
terminelli .

(y) *Hi pacem servarunt* . eo quia Gamba-
curtæ Pifarum Domini mercaturam exer-
centes Florentinorum amicitiam colebant ,
utpote illis profuturam . *Marth. Vill. cap. 4.
lib. 7.*

1351 e vestigio Archiepiscopus equites suos peditesque Bononiae convenire jubet: Ducem exercitus Johannem Aulegium (z) Vicecomitem, quem nonnulli filium ejus asseverabant, bellum Pistoriensibus primum inferre mandat, si quo modo exules in patriam per illos restitui possent. Id quo facilius fieret, arcem Sambucæ quæ Bononiam Pistoriumque interjacet, ut inde exercitui commeatu subveheretur, rebus usui belloque necessariis communit. Tum mense Julio celerius omnium opinione cum omnibus copiis dux in agrum Pistoriensem profectus quarto ab urbe lapide castra locat. Biduo tamen Pistorium a Florentinis, ut urbi præsidio essent equites peditesque ad mille missi. Tentata per hostes oppidi (cuius potiundi per quosdam cives spes oblata erat) expugnatione iurpiter rejecti (a) retrocessere. Per idem tempus Ubaldini interrupta, quam cum Florentinis firmaverant pace, Florentiolam nondum muro cinctam occupant: inde ad castellum (b) Coloreti profecti, minis, ac terrore arcis (c) custodem, qui Florentinus erat, ad deditonem compulerunt, qui cum Florentiam rediisset, quo cæteri a simili facinore deterrerentur, capite pœnas dedit. Petrus insuper Sacconus cum omni Tarlatorum gente, quæ Aretii principatum tenuerat, multisque oppidis imperabat: ac Pactii familia nobilis ac potens in Valle superiore Arni eas oras, quæ propinquæ Florentinis aut parebant, aut fœdere junctæ erant, crebris excursionibus populantur. Magnum hæc tanta belli moles, tam diversis excitata locis terrorem incussit.

Com-

N O T Æ.

(z) *Aulegium*. Florentinorum acerrimum hostem, captus enim Lucensi bello injuriam ulcisci cupiebat.

(a) *Rejecti*. anno MCCCLI. prid. Kal. Junias.

(b) *Coloreti*. seu Montis Coloreti a Florentioli parum distantis.

(c) *Custodem*. Custos Jacobus à Civria-

nis, qui arcem hostibus ea se conditione traditurum promiserat, nisi in triduum auxilia advenissent, obsidemque fratrem dederat. Adveniente vero auxilio, fratri timens, cui capitis pœna ab hostibus indicta fuerat, ab arce Florentinos rejecti, hostesque admisit: unde merito capite multatus. *Math. Vill. lib. 2. cap. 6.*

Comparatis itaque pro temporis angustiis subitariis militibus, qui hostium agmen, si qua incederet, carperent, injuriasque propulsarent, legationem ad Aulegium decernunt, quæ diceret mirari se summopere nullam ob justam causam, nullamve suam adversus eum, aut Archiepiscopum injuriam, tanquam hostes armis oppugnari, præsertim minime indicto (ut mos est jure gentium) bello. Sed paucis tantum verbis scriptum (d) id fieri ob non servatam ab eis pacem: quod cum iniquum videretur (non enim ipsos propriae causæ arbitros esse debere) petere se, ut abiret finibus suis, bellumque injuste motum juste revocaret. Responsum est redditum superbia, & contumelia plenum: ideo arma adversus eos per Archiepiscopum sumpta, quia Hetruriae pacem quam ipsi turbarent, appeteret: tum ut æquius, ac justius suis civibus imperarent; non enim æquum esse bonos, & bene de Republica meritos civis urbe per factionem (e) inimicorum pelli: neque tam avaræ, tamque impotenter tum civis, tum socios tractari: abirent, & Legatis iram Archiepiscopi, dum venie locus esset, placarent: quod maxime fieri posse confidebat: si ei urbem sponte darent, id sibi videri satius, tutiusque fore, quam si invitati facere cogerentur: se enim ad id eos, si recusarent, populationibus, igni, ferro, cladibus compulsurum: multa que in eam sententiam dixit, quæ magis audacem, ac temerarium, quam aut prudentem, aut temperatum virum decerent. Re infecta cum Oratores (f) rediissent, indignatione tam improbi responsi Civitas commota bellum decernit, milites

N O T Æ.

(d) Scriptum id fieri Aulegius Pistorio propinquus per epistolam Florentinis bellum indixerat, causatus quod pacem frégissent, forte quia Pistorio potiti fuerant, vel quia illos Bononiæ defectionem molitos putabat.

(e) Per factionem. per oppositam Guelphorum factionem Ghibellinos pelli.

(f) Oratores rediissent. Florentiam redire coacti fuere, nam cum Archiepiscopum convenire vellent, ab Aulegio itineris venia denegata. Math. Vill. lib. 2. cap. 8.

1351 litesque ad arcendos, qui undique imminabant, hostes parat. Qui prope Pistorium castra posuerant, desperata urbis victoria (g) post Legatorum discessum in agrum Florentinum adeo inexpectati usque ad quartum ab urbe lapidem descendunt, ut prius hostilem calamitatem senserint, quam venturos arbitrarentur: vicos, (h) Campi ac Peretola, veluti civitatis suburbia, omnemque propinquam regionem agricolis refertam populantur. Paucis cum liberis, & conjugibus, fortunis suis omnibus adversariorum libidini relictis, militarem impetum effugere concessum. Turba agrestium in urbe confluens magnum tumultum ex insperato excivit, trepidatumque est magis interiori, nequa seditio ex repentino hostium adventu oriretur, quam externo metu. Itaque in primis conciliatis invicem (i) Civium animis, armis sumptis populus omnis patriæ saluti incubuit. Hostes omnis generis præda parta, cum Pistoriensi obsidione, labore, atque inopia rerum defessi aliquandiu his in locis quotidie populabundi ad urbis usque mœnia incurfantes castra habuissent, ex summa copia in maximam inopiam devenere. Per luxum etenim (ut fit in secundis rebus) com meatu, quem in villis invenerant absumpto, rerum omnium penuria (l) premebantur. Itaque motis castris, cum propius urbem juxta Bisentium amnem confedissent, simulantes, ne eorum consiliis obviam iri posset, se ad Salvianum Monasterium iter facturos, causam innuere Florentinis, ut ad averendum eo proposito hostem imposito arci Fesulanæ præsidio, a subjectis collibus ad mœnia usque urbis fossam mille.

N O T Æ.

(g) Desperata urbis victoria. octo diebus obsessæ.

(h) Vicos &c. Campi scilicet, & Peretola, qui vicerant.

(i) Invicem civium animis. Externus enim timor maximum concordie vinculum quamvis

suspectos insensosque inter se jungebat animos: Sic Liv. lib. 2. Dec. 1.

(l) Rerum omnium penuria. Salis & frumenti præcipue; nam com meatus Bononia missi a Pistoriensibus equitibus intercepti fuerant.

mille passuum ducerent . At illi retroversi Calenzanum 1358
 (*m*) parvum nondum cinctum muris oppidum , nonnullaque alia castella nequaquam munita a se capta incendunt . Inde per Marinæ vallem in Mugellum (*n*) proficiscuntur : quo in loco facile impediri transitus potuisset , si nostris idem animus , qui in obsidendo itinere fuerat , permansisset . Sed ducis (*o*) ignavia liberi saltus hosti patere , a quo Barbarinum (*p*) proditione paucorum captum , Gallianum quoque , ac Villanova , plurimaque finitima loca desperata tutela se hosti tradiderunt . Ibi pluribus diebus ad reficienda corpora cum castra haberent , Tanus Montis Carelli Comes sperans rem Archiepiscopi superiorem fore , cum a Florentinis descivisset , arcem Montis Vivani dolo (*q*) cepit . Hæc nuntiata Florentinis impulerunt ad oppidum Scarpariæ muniendum , antequam ab hoste cingeretur : quod e vestigio equitum ala , ac peditem (*r*) cohorte missa valido præsidio firmarunt : aliisque locis , quibus periculum imminebat , extemplo summa diligentia providerunt . Varios insuper equitum præfectos , ut hosti pares essent , ac castra castris conferrent , scripserunt . Aulegius ad Scarpariam castrametatus , cum pollicitationibus ad deditonem oppidanos cohortatus parum profecisset , minas addidit , præmonens , ne calamitates , quæ expugnatis imminet , experiri vellent : *considerare admonet bonorum direptionem , suam liberorumque captivitatem : mulierum , ac uxorum ignominiam : verbera , vulnera , cædem , quæ omnia vicios fortuna subire cogat . Satius esse*

N O T Æ.

(*m*) *Calenzanum* . Ibi enim frumenti aliquid quantum erat .

(*n*) *Mugellum* . Oppidum , unde Valli nomen .

(*o*) *Ducis ignavia* . nempe cuiusdam ex Medicea familia , cui saltus tuendi cura a Jacobo a Flore demandata fuerat . *Ammir. lib. X.*

(*p*) *Barbarinum* . proditum a Nicolao

Barbarino ejus castelli præside . *Math. Vill. lib. 2. cap. 21.*

(*q*) *Dolo cepit* . expulso plebejo quodam loci custode filio Petri a Papa , introductisque CC. militibus . *Vill. ibid.*

(*r*) *Peditum cohorte* . Equites centum & quinquaginta , pedites trecenti , duce Jacobo a Flore Germano .

1351 esse salva patria gaudere, quam ea amissa extorres, atque inopes miseram vitam ducere: illis eas haud esse vires, ut tanto exercitui resisti queat; conducere suis rebus, ut potius pacato, quam infesto hoste uti malint, neve experiri cupiant, quid libido, atque ira militaris possit. Responsum ab oppidanis est, ut triennio post redirent, tunc (f) de deditioe consulturos. Jam multi in auxilium Florentinorum convenerant: castellumque Spagnolæ, ac Montis Jovis tamquam propugnacula adversus hostes ad reprimendas eorum incursiones, utque adjiceretur obsessis animus, & simul quo tutior redderetur ora omnis, quæ citra flumen Sevæ (t) est, communita erant: cum his præsiidiis confirmati omnium animi, diu noctuque castra hostium laceſſebant. Politianum (u) erat in ea regione præsidio haud satis firmo; quod cum Ubaldinis innotuisset, coactis ad mille peditibus oppidum expugnare adoriuntur. Inde cum ignominia repulsi cum iterum rediissent, tentata expugnatione, multis acceptis vulneribus, incensis, quæ circum sitæ erant casis abiere. Dum hæc in Mugello summis utrinque viribus aguntur, Petrus Sacconus ceterique Ghibellinarum partium duces (x), ut qui Florentinam Rempublicam perditum iri vellent, contractis undique copiis Vallem Ambraë hostiliter ingressi eo consilio, ut Fighinum præcipue ceteraque Vallis Arni Castella expugnarent; cum intelligerent Florentinos mature milites apud Varicum (y) scripsisse, ducemque eorum una cum Aretinorum (z) cohorte Albertaccium Ricca-

N O T Æ.

- | | |
|--|---|
| (f) Illusoria responsio. | (x) Ceterique Duces. Partii Vallis Arni, Episcopus Aretinus, Urbini Comites, & Ubertini. |
| (t) Sevæ. Seva flumen Mugellanæ valli propinquum rivulorum influentium aquis auctū vix Arno cedit, inque eum exoneratur. | (y) Varicum. Monte Varchi. |
| (u) Politianum, seu Mons Politianus oppidum est amœnum in colle situm, Angeli Politiani, & Card. Bellarmini patria. | (z) Aretinorum cohorte. Aretina 150. equitum cohors quingentis militibus Riccafolani adjecta. |

Ricasolanum declarasse, ut illis apud Ambram occurre- 1351
rent, silentio (a) motis castris, salutis suæ consulentes per
varia loca dissipantur. Archiepiscopus interim non conten-
tus tot bellis quibus Florentinos lacefferat, arbitratus undi-
que hostibus circumventos, tantam belli circum urgentis
molem diutius ferre non posse, Pisanos ad defectionem,
& movenda arma sollicitabat. At illi familiae Gamba-
curtæ opera, quæ factionis Guelfæ erat, & præpotens (b)
in Civitate Florentinorum partibus favebat, Mediolanen-
sis postulatis rejectis, ne tantum Principem omnino con-
temnere viderentur, legatos e vestigio ad eum mittunt,
mandantque, ut tempus verbis terentes, dubitando, ac
cunctando animum ejus distineant. Qua re animadversa,
vir ad omnia prudens Archiepiscopus existimans plebem
omnem in suam sententiam concessuram, iterum Pisas,
qui Populi concionem petant, (c) mittit; quo impetrato
Oratores bellorum omnium culpam in Florentinorum su-
perbiam rejicientes, *Nullam Pisanis adversam fortunam
accidisse multis exemplis ostenderunt, cujus origo non du-
cta esset a (d) Florentinis; oppida ab eis capta, agros va-
stos, bona direpta, cives (e) eorum captos multo sermone,
commemorarunt. Si tute vivere, si securi esse cuperent, fun-
ditus evellendam esse suarum calamitatum radicem. Id eos
facillime consequi posse, si cum Florentia tot variis hostibus op-
primatur, ipsi quoque arma secum jungentes ea loca aggredian-*
C tur,

N O T Æ.

(a) *Silentio motis*, & favore Ricasola-
ni Florentinorum Ducis qui Saccono co-
gnatione junctus intercludi hostes noluit,
ut est apud *Marth. Vill. cap. 18. lib. 2. Am-
miratus* vero *lib. X.* mala fide hoc actum
negat.

(b) *Præpotens*. postea Princeps. Jam di-
xi mercaturæ, & partium causa Florentinis
favisse. *Cor. Hist. Med. p. 3.*

(c) *Mittit*. Id temporis hostes per le-

gatos populum publice alloquebantur :
quod non erat e Rep. Plebs enim novarum
rerum cupida, & nobilibus averſa facile in
oppositum mutabatur.

(d) *A Florentinis*. sed a Pisanis Arca-
diæ Populis, ut *Strabo*, & *Solinus*.

(e) *Cives eorum captos* Una cum urbe
Florentinis a plebe prodita Pristinæ vero
libertati a Carolo VIII. Gallix Rege resti-
tuta.

1351 tur, quæ sola (f) tuta a bello relicta sint Florentinis, qui Pisanorum re magis, quam verbis, hostes libertatem tyrannide deteriore sint absque dubio admissuri: benivolentiam præterea, quæ inter eos, & majores suos earundem qua ipsi partium viros longo tempore vigerit, addiderunt. Merita insuper in cives Pisanos, quorum memoria non esset oblitteranda, enarrarunt. Quamvis plures ea oratio moverit, tamen omnium consensu, cum nihil a Florentinis adversus se perpetratum esset, quod violandæ pacis causam præberet, pacem servandam esse respondent. Non tantum iacti fœderis, aut sociorum salutis gratia, quam quod maxime ad dubitabant, imperandi libidinem, & hominum (g) cupiditatem animo versantes, ne illis devictis ipsi quoque in discrimen libertatis venirent. Propter antiquum tamen fœdus, quod Pisanis cum Archiepiscopo erat, ne spreta omnino ejus postulatio videretur, alam ei equitum (h), qui custodiæ Mediolani essent, mittunt; Legatique e vestigio eo indignati responso, omnique spe movendi belli præcisa, domum revertuntur. Oppugnabatur interim continuis præliis, tum machinis, ac ballistis (i) Scarparia (l), multaque intus ædificia collapsa erant: cum oppidani vigiliis, laboribus, & continua oppugnatione fessi ad Florentinos mittunt (m), qui auxilium petant, denuntientque obsidionem diutius tolerari non posse, ni subsidium mature submittatur. Erat consilium Florentinis comparato exercitu, in quo ad duo equitum, peditum vero quatuor

N O T Æ.

(f) Sola tuta a bello, hoc est sine præsidio, nulla cum esset a Pisanis suspicio.

(g) Hominum cupiditatem. Vicecomitum, qui arma posituri non erant, nisi illis etiam subactis.

(h) Alam equitum, quæ tamen in Florentinos non pergeret.

(i) Ballistis. antiquum bellicum tormentum ad moenia quatienda. Vide Li-

psium de Mil. Rom.

(l) Scarparia. Oppidum sic dictum eo quod in montis pede, vulgo Scarpa, sit positum.

(m) Mittunt. Florentinos facile mone-re poterant per Germanos milites præsidarios, qui aliquando cum obsessoribus itidem Germanis commiscebantur. *Math. Vill. cap. 21. lib. 2.*

tuor millia censebantur, milites insuper octingenti (n) a 1351
 Senensibus missi, cum primum sexcenti equites a Perusi-
 nis advenirent, castra hostibus opponere, ac signis colla-
 tis fortunam belli tentare. Verum cum intellexissent tri-
 bus passuum millibus prope Aretium, loco qui Ulmus di-
 citur (o), Sacconi dolis, atque insidiis, cui alæ equitum
 duæ ab Archiepiscopo missæ erant, eos nihil hostile timen-
 tes interceptos, atque armis equisque amissis magna ac-
 cepta strage Perusium rediisse, sententiam mutare ac alia
 ratione bellum gerere coguntur. Ea res primum versa-
 bat animos, eaque cura mentem inceserat, ut obsessis
 succurrerent, ac præsidium intromitterent: quæ res cum
 difficilis admodum manifestique periculi videretur, Johan-
 nes Vicedomini, magni vir animi, & bellis assuetus, per
 hostium castra cum triginta militibus oppidum ingressus
 est; quo percepto Aulegius vigiliis duplicatis, ne cui esset
 deinceps facultas introeundi, castra summa cura observari
 præcepit. Cum vero haud satis firmo præsidio Scarparia
 esset, continuisque vexaretur præliis, Johannes Medices e-
 gregii animi, & militaris disciplinæ haud ignarus, operam
 suam in ferendo oppidanis auxilio ultro pollicitus, cen-
 tum selectis suo arbitrio peditibus, cum mœnibus pro-
 pinquaret, (p) re hostibus palam facta, ferro viam fa-
 ciens, viginti amissis (q) in oppidum penetravit. Jam
 mensis Octobris principium aderat, cum diffusi victoria
 hostes varia consilia ineunt. Nam, & finis stipendio-
 rum, quibus militabant, instabat; plures quoque, quam-
 vis suppuderet tam inanis diuturnæque obsidionis apud

C. 2. id.

N O T Æ.

(n) *Octingenti*. CC. a Senensibus missos
 refert Villanus *ibid.*

(o) *Sacconi dolis*. qui montem Ulmo
 propinquum occupans in castris degentes
 adortus est. Parum absuit quin caperetur,

nisi ab Aretinis proditoribus adjutus fuisset.

(p) *Propinquaret*. ex Alpium parte, quæ
 ut impervia ab hostibus haud tenebatur.

(q) *Amisissis*. fuga enim dilapsi erant:
Matth. Vill. lib. 2. cap. 23.

1351 id oppidum nequicquam factæ , abeundum censebant . Tentanda tamen prius omnia rati , si quo modo daretur admissum (*r*) dedecus abolere , extremis viribus expugnationem aggredi parant . Igitur omni conatu machinis , ac sagittariis undique dispositis , admotis scalis , oppidum ingenti clamore , ad hæc horrendo tubarum sonitu adoriuntur . Inde fœde repulsi , postridie acto cuniculo ingressum tentant , ad cuius tutelam turrem ligneam , tamquam propugnaculum erigunt , ad murosque producunt , quo facilius , ac tutius cuniculus (*f*) ageretur . Animadversa re oppidani , & ipsi exadversum ducto cuniculo repertos hostes pellunt , turrique incensa vim a mœnibus multis illatis vulneribus propulsant . Tertio fortuna oppugnandi tentata , cum fossas arboribus complessent , multisque fabricatis turribus ex propinquo muros invasissent , majori iterum jactura cædeque suorum accepta a prælio destitire . Ita (*t*) spe omni recipiendi oppidi abjecta , cibique , ac potus penuria premente , cum instaret hyems post sexagesimum oppugnationis diem Bononiam Aulegius (*u*) exercitum reducit . Soluta obsidione , oppidanis concessa immunitas , & militibus duplex stipendium datum ; Johannes quoque , & Silvester Medices ob egregiam eorum in tuendo oppido navatam operam equestris ordinis dignitate (*x*) donati . Eodem fere tempore cum belli semina in Hetruria relicta essent , Sacconusque Archiepiscopi armis suffultus in Perusinos dela-

tus

N O T Æ .

(*r*) *Admissum dedecus* . quod tandiu in oppugnatione morati fuissent .

(*f*) *Cuniculus* , subterranea excavatio per quam hostes obsessas urbes ingrediebantur .

(*t*) *Spe &c. abjecta* . nam cum Germani milites rursus spe duplicis stipendii ducti oppugnationem tentassent , noctu scalis admotis , & fœde repulsi fuissent , recedendum esse duxit die XVI. Octobris , *Ammirat.*

lib. X. p. 535.

(*u*) *Exercitum reduxit* . In versione Italica Jacobi habetur , Aulegium Bononiam regressum cum XV. militum millibus , quod nostro in Codice non apparet .

(*x*) *Donati* . non tantum equestri dignitate , sed etiam quingentis aureis . Adde his Jacobum a Flore eodem præmio donatum .

tus plura de illis castella (y) ultro se Mediolanensibus mili- 1351
 tibus dedentia recepisset, ex Tifernati agrò, dum ingen-
 ti parta præda se recipit, a Florentinorum copiis, quæ
 ad ferendam fociis opem proficiscebantur, commissa pu-
 gna, multis captis, atque occisis funditur, ac fuga sibi
 consulere cogitur. Eodem anno inter Florentinos, Senen-
 ses, Aretinos, Perusinos decreto equitum peditumque nu-
 mero quem singuli pro communibus fortunis defenden-
 dis præstare deberent, adversus Archiepiscopum fœdus est
 initum. Major tamen cum belli moles Florentinis im-
 mineret, ut in quorum cervices præcipue bellum esset
 motum, augendis vectigalibus dedita opera magnam (z)
 pecuniæ vim in usus bellorum congregant. Reverso Me-
 diolanum cum exercitu Aulegio, cum ægre ferret Archie-
 piscopus non successisse quod sperabat, majoribus viribus
 bellum instaurare parat. Ad sumptus ministrandos durius
 tributum a subditis exactum, ita grave fuit, ut pluri- 1352
 mi ex nobilitate multique præterea negotiatores rebus suis
 sublatis alio migrare cogerentur; quam rem minime
 probans magno natu quidam nobilis Brixienfis, cum
 propter familiaritatem quæ ei cum Archiepiscopo erat,
 variis rationibus suaderet, ut a Florentinorum bello ab-
 tineret, asserens neminem ad eam usque diem contra
 eos prospere movisse arma, in iram versus Archiepisco-
 pus, virum egregium, sanique consilii auctorem capite
 truncari in limine domus iussit: mali exempli res, &
 plus quam tyrannica: docuit suo damno vir bonus, quan-
 to cum periculo dentur tyrannis, ac principibus sana
 consilia. Vulgato qui per hostem fiebat belli apparatu,
 non-

N O T Æ.

(y) *Castella*. Burgum sancti Sepulchri Arrighetti opera scalis appositis occupatum, Englarium, oppidum S. Stephani, Perusinum, &c. *Manth. Vill. lib. 2. cap. 42.*

(z) *Pecunia vim*. publici redditus ad C. aureorum millia aucti, singulis & universis in commune conferentibus. *Vill. lib. 2.*

1352 nonnulla Florentini castella (a) in Mugello, ne hostium sedes fierent, demoliti sunt. Scarparia ampliatis fossis, murisque instauratis, validoque firmata praesidio Ubaldinorum pene dolis, atque insidiis capta est; nam pro operariis qui munitionibus (b) intendebant, peditibus intronmissis, detectaque fraude multis occisis, aut captis, re infecta abierunt. Interea Florentini sociique (c), non satis suis opibus freti, consilio inuito, ut Carolum (d) Boemiae Regem, Imperatorem Romanorum designatum, in eorum subsidium evocent, Oratores (e) ad eum mittunt, qui his conditionibus foedus cum eo percutiant, ut ducentis aureorum millibus (f) acceptis in Italiam ad compescendos Archiepiscopi conatus quam primum transceat. Memores vero injuriarum, quas a Saccono, ceterisque Ghibellinarum partium fautoribus acceperant, coactis in unum militibus, adversariorum agros late populati sunt, levibusque quibusdam praeliis superatis hostibus praeterita damna ultri ad sua tutanda revertuntur. A Lucensibus interim, ac Pisanis in Archiepiscopi gratiam mutatis animis, violato pacis foedere bellum contra Florentinos est motum, factisque in eorum agris incurSIONIBUS, cum major belli metus ingrueret, Oratores ad Imperatorem (g) magnis itineribus ire jussi, ut superatis

ex-

N O T A E.

(a) *Castella*. Barberinum, Gallianum, & Marcojanum civili magis odio, quam rebus ita postulantibus diruta. *Id. Vill. lib. 2. cap. LIII.*

(b) *Munitionibus*. oppido nempe muniendo.

(c) *Sociique*. Senenses, & Perusini paulo ante foedere juncti.

(d) *Carolus Boemiae Regem*. Ludovici Bavari animum tentasse prius Florentinos Joannis Boccatii legatione narrat *Ammirat. lib. X. p. 537.* Sed ingentia postulans reje-

ctus fuit, & Carolus advocatus.

(e) *Oratores*. quinque, Thomam Corsinum, Pinum de Rubeis, Gerardum Boldonum, Philippum Magalottum, & Ugoccionem Riccium.

(f) *Aureorum millibus*. ad annua stipendia, praeter decem aureorum millia Carolo donata Aquilejae.

(g) *Imperatorem*. Carolum IV. Boemiae Regem, ut dictum est, & Romanorum Imperatorem.

extemplo Alpibus eum in Italiam deducerent. Ea æstate 1352
 ad duo millia equitum, peditumque, qui Cortonæ (*h*)
 urbe Florentinis inimica residebant, agros invadunt Pe-
 rusinos, Bettoniumque per prodicionem de improvise ca-
 piunt: quo facto moti Perusini accitis Florentinorum au-
 xiliis oppidum cingunt, eoque paulo post, licet Archie-
 piscopi milites nequicquam ferre obsessis opem tentassent,
 potiuntur (*i*). Simili fortuna Florentinorum exercitus
 Lucenses Bargam (*l*) obsidentes prælio commisso obsidio-
 nem relinquere, ac turpiter fugere coegit. At Sacconus
 per exploratores certior factus Florentinorum copias ad
 Bargam profectas, junctis Archiepiscopi suarumque par-
 tium militibus omni superioris Arni ora pervastata Fi-
 ghinum cum summis viribus frustra oppugnasset, ex-
 pugnato, direptoque, quod Tartaliese (*m*) dicitur, duo-
 bus passuum millibus propinquo, præda onustus ad suos
 revertitur. Archiepiscopus vir sagax, & prudens exper-
 tus res Hetruriæ haud satis ex animo succedere, Caroli
 quoque adventum contra se sollicitari pro explorato ha- 1353
 bens, ut hostes ab ea sententia revocaret, rebusque suis
 consulere, omnem belli curam dissimulans pacem cum
 Florentinis, sociisque per Lottum Gambacurtam (*n*) Pi-
 sanum Florentinis amicum æquis conditionibus firmat.
 Non multo tamen post tempore cum Genuenses civilibus
 agitati discordiis (gens est mobilis, & novarum rerum
 cupi-

N O T Æ.

(*h*) *Cortona*. Cortona, seu Corytona
 inter Aretium 15. & Perusium 25. mill.
 pass. posita, a lacu Trasimeno 4. mill. pass.
 distat.

(*i*) *Potiuntur*. & ad terrorem reliquis
 incutiendum funditus evertunt, civibus
 omnibus Perusium missis. *Matth. Vill. lib. 3.*

(*l*) *Bargam*. montem non procul a Ser-
 cio Flumine.

(*m*) *Tartaliese*. Fighini vicus appella-
 tus, eo quod parum ab illo distet. Hunc a
 Petro Saccono noctu incensum narrat
Matth. Vill. lib. 3. cap. 38.

(*n*) *Æquis conditionibus*. Prid. Kal. A-
 prilis pax Serezanæ firmata. Hujus condi-
 tiones vid. in *Ammirat. lib. X. p. 553.* & in
Matth. Vill. Cap. 59. lib. 3. Cives Florentini
 in patriam restituti, & sua cuique reddita.

- 1353 cupida, & præcæteris quietis (o) impatiens) se suaque libere Archiepiscopo dedidissent, mutata ex fortunæ indulgentia mente, causam belli movendi quærens, pacem a Florentinis non servatam criminando, omnia bello necessaria summa industria parat. Mors peropportuna inanes curas illius, & dominandi appetitum dirimit; ex pestilentia enim anno quarto, & quinquagesimo supra mille trecentos (p) triduo defunctus est: ex quo quies Italiæ paulum est a bellis data. Nepotes reliquit tres, Maffeum, Bernabovem, Galeatium, qui communi voluntate patrum imperium ita partiti sunt, ut Genuæ ac Mediolano æque omnes imperarent. Maffeo Laudum, Bononia, Placentia; Bernabovi Cremona, Brixia, Bergamum; Galeatio Comum, Vercellæ, Novaria, Asti, Dertona, Alexandria forte cederent. Johannes Aulegius, cum Bononiam pro Maffeo regeret, ac simultate (q) orta, non multo post Archiepiscopi mortem, urbem suo subiecisset (r) imperio, quinto anno a Bernabove obsessus Firmum Piceni urbem sibi concedi a Pontifice, qui tum Avinionæ residebat, pactus, Urbani Quinti Pontificis Maximi Legato eam tradidit. (s) Erat initio summa inter eos concordia, tum Venetorum, quos

N O T Æ.

(o) *Quietis impatiens*. A Venetis Genueses ad Lungherium in Calaritano sinu profligatos, ne hostibus parere cogentur, se Archiepiscopo dedisse refert *Matth. Vill. lib. 3. cap. 86.* Sed *Ubert. Folietæ lib. 7.* civilibus ait agitados discordiis ne sibi invicem cederent, externum dominum, nempe Archiepiscopum adscivisse ann. MCCCLIV. *Vid. Plat. in Vita Innoc. VI. & Merulam Antiq. Vicec. lib. 6.*

(p) *Triduo defunctus*. hoc est tribus diebus ejus exequiis datis, non autem trium dierum morbo defunctus, ut ait *Matth. Vill. lib. 4. cap. 22.* Nam ab Augusto Mense usque ad Octobrem morbus protractus. In templo Sanctæ Mariæ Majoris conditus Me-

diolani. Ejus sepulcræle elogium refert *Bernard. Cor. p. 3.*

(q) *Simultate orta*. eo quod Maphæus Aulegium Galeatio fratri inagis faventem suspicaretur.

(r) *Subjecisset Imperio*. ann. MCCCLV. XX. Aprilis die urbe potitus, cum arcis custodi, qui pro Maphæo erat, filii eadem minitatus fuisset, nisi ultro cederet. *Vill. lib. 5. cap. 22.*

(s) *Legato eam tradidit*. Prius Florentinis oblatam, ab illis vero ne pax violaretur rejectam. Recepta est a Legato ann. MCCCLX. post annos decem ab ejus defensione.

quos inter & Genuenses acre bellum erat , tum Impera- 1359
toris , quem fama ad Italiam venturum ferebat , metu .
Paulo post Archiepiscopi supremum diem belli Pisani
incendium ab eis excitatum est : cui fomentum Bernabos 1360
præbuit , magis in Florentinos occulto odio , quam aper-
to . Stimulabat magni animi virum , tum cupido im-
moderata dominandi , tum etiam Ghibellinarum partium
favor , quarum robur , & augmentum per Florentino-
rum calamitatem putabat fore . Hujus Principis pollici-
tationibus , opeque elati Pisanorum animi variis injuriis ,
contumeliisque , quibus laceſſebant Florentinos , occasio-
nem bello movendo quærebant . In primis quo negotian-
di facultas (eo in primis exercitio Civitas regebatur) adi-
meretur , immunitates omnes antea concessas abroga-
runt , tum nova mercaturis vectigalia , quibus omnis spes
lucri auferebatur , addiderunt . Eo decreto compulsi Flo-
rentini Thelamonis (*t*) portum cum Senensibus pacti se-
dem mercaturarum sibi in annos decem delegere , edi-
cto publico omnibus civibus Pisas adire negotiandi
gratia prohibitis : nec ullis deinceps oblationibus , quæ
plurimæ a Pisanis factæ sunt , adduci potuerunt , ut de-
cretum id aboleretur . Ob eam rem commoti Pisani ,
movendi belli causam quærentes , dolo , fraudeque ci-
ves quosdam sibi fidos proscribebant , (*u*) qui in Floren-
tinorum propinqua oppida per speciem metus , & in Pi-
sanos odii confugiebant . Oportunitate deinde capta , di-
ripienda per proditionem oppida , tenendaque Pisanis
tradebant , a quibus in agros pacatos prædonum more

D in-

N O T Æ.

(*t*) *Thelamonis portum* . Thelamon oppi-
dulum in maritima parte Senensis agri in
Hettruria cum portu ad oram maris Tyrrhe-
ni a Thelamone Trojano conditum , seu ut
aliis placet , a Thelamone Argonauta .

(*u*) *Proscribebant* : ex composito cives
exulatum abire jubebant , ut a Florentinis
in oppido recepti pro temporis opportuni-
tate in eos arma sumerent .

1362 incursiones fiebant. Id cum animadvertissent Florentini, & ipsi quoque iisdem (x) artibus castellum Petrae Bonae de Pisanis ceperunt, unde ad bellum apertum deven- tum est anno salutis secundo, ac sexagesimo post mille trecentos. Suscepta belli cura, septem millium equitum, peditumque exercitu comparato, Bonifacium (y) Lu- pum Ducem belli declarant: qui acceptis (z) copiis, populato Pisanorum agro, omnique pecorum genere abacto ad triginta duo oppida, partim vi, partim dedi- tione de Pisanis cepit. Rodolfus (a) deinde Varanius Camertes, vir suae aetatis, & pace & bello clarus illi suf- fectus, cum omni exercitu ad moenia usque urbis pro- fectus haud procul (b) mille ab urbe passibus castra locat. Inde populata omni finitima ora, plures post dies cum omni exercitu ad oppida expugnanda conversus Peccio- lum primo, haud contemnendum oppidum, deinde non- nulla castella, & in his Tojanum, unde campana advecta in palatioque locata (c), hodie quoque loci nomen ser- vat, expugnata sunt. Sex interim triremes tum ad Thela- monis portum tuendum, tum ad Pisanum littus infe- standum paratae, Gili (d) insula capta, Pisanum por- tum ingressae, direptis nonnullis, incensisque navibus; sublatis quae cum muniebant catenis, Florentiamque de- latis,

N O T A E.

(x) *Iisdem artibus*. Joannis Saxi opera qui Florentinorum hostem se dicitabat.

(y) *Bonifacium Lupum*. Parmensem.

(z) *Acceptis copiis*. Cum veteri supersti- tione augures consulissent, die Lunae XX. Junii, hora XII. tanquam felicissima, Duci signa tradidere. Praeceptus exercitus se se extra urbis moenia proripuit, ne hora illa, re infe- cta, dilaberetur; nec ut alias per Sanctae Ma- riae Portam egressus, quod cunctae ejus expe- ditiones per hanc factae adversae fuerant, sed per portam Rubeam. *Marth. Vill. lib. 2. cap. 3.*

(a) *Rodolphus*. Bonifacio suffectus. Flo-

rentini cives Bonifacii justam & tenacem propositi mentem indignati, publicam utili- tatem privata invidia oppugnarunt.

(b) *Haud procul mille &c.* quingentis tan- tum passibus asserit *Marth. Vill. lib. 11. cap. 17.* a Pisanum urbe Rodolphum confedisse, & equorum ludum in hostium contemptum celebrasse.

(c) *In Palatioque locata*. In Palatio Prio- rum, ut mercatoribus meridiana horae si- gno pulsata interviret. *Vill. ibid. cap. 20.*

(d) *Gilii Insula capta*. Duce Petro Gri- maldo Genuensi.

latis , ac in victoriæ signum ante templi fores , quod 1362
 Johanni (*e*) dedicatum est , suspensis , turres ad illius custo-
 diam fabricatas demolitæ sunt . Fama vulgata erat Redol-
 fum satis ignave , remissequæ (*f*) bellum administrare .
 Ideo successor ei datus Petrus Farnesius imperio accepto
 cum mille quingentis electis equitibus in agrum Pisanum
 transiit , hostesque qui ei occurrerant commissa pugna
 superavit : ducem quoque (*g*) belli , ac multos præterea
 captos insignes viros Florentiam victoriæ testes duxit .
 Deinde ad exercitum reversus tribus castellis ad oppugna-
 tionem Bargæ , quæ Pisanus in diversis locis erexerat ,
 captis , omnes qui oppidum obsidebant profligavit . Hunc
 præclarum belli artibus ducem eadem æstate (*h*) pesti-
 lens (*i*) morbus absumpsit . Funus magna pompa cele-
 bratum , sepultusque : ob rerum bene gestarum memo-
 riam in Reparata templo statua equestri supra portam
 posita . In eius locum Renerius (*l*) frater dissimilis 1363
 moribus , & virtute suffectus est . Pisani , cum Florenti-
 norum copiæ in stativis essent , Britannis , qui transa-
 cto inter Gallorum , & Britannia Reges bello in Ita-
 liam transcenderant ad tria millia (ii erant probati bel-
 lo viri) pretio (*m*) conductis , additis præterea militi-
 bus

NOTÆ.

(*e*) Quod Johanni dedicatum est , easenis sus-
 pensis . Antiuo more , qui etiam nunc vi-
 get hostilia arma . spoliaque Deorum tem-
 plis affigendi , ut læpius in Virgilio , ac
 Homero .

(*f*) Ignave bellum administrasse . Petiolo
 potiri poterat , Pisanique propius urgere , ni
 sceminis tempus & operam dedisset .

(*g*) Ducem quoque belli . Raynerium de
 Baschis una cum CL. hostibus cepit Farne-
 sius , qui lauream coronam a Florentiis
 oblatam magna animi moderatione recusa-
 vit . *Matth. Vill. lib. 11. Cap. 51.*

(*h*) Eadem æstate . anni MCCCLXIII.
 XIX. Junii morbo inguinis correptus dum
 ad S. Miniatum pergeret , nocte occubuit ;

delatusque Florentiam in S. Reparata tem-
 plo sepultus est .

(*i*) Pestilens morbus . morbus inguinis ,
 qui in Veneta , Illyrica , & Florentina di-
 tione grassabatur . Hoc eodem morbo Mat-
 thæus Villanus qui hæc de Farnesio narra-
 vit absumptus , cujus desiderium minuit
 Philippus paternarum virtutum hæres .

(*l*) Renerius Farnesius . in grati animi
 signum fratri suffectus .

(*m*) Pretio conductis . De Britannis con-
 ducendis Florentinos monuerat Petrus
 Farnesius , & quidem minori pretio , quam
 a Pisanis conducti fuerant : sed civium ani-
 mos amovit Justitiæ Vexillifer . *Matth.*
Vill. lib. 11. cap. 51.

1363 bus aliis, adeo ut speciem exercitus conficerent, agrum Pistoriensem nullo impediante populantur. Inde ad secundum a Florentia lapidem infesto agmine profecti omnia late præda, atque incendiis miscent: trajectoque Arno flumine Emporium (*n*) petentes omni ea ora ubere fane, ac referta incolis vastata, multis mortalibus occisis, aut captis, Pisas (*o*) revertuntur. Rursus exercitu Florentiam versus misso, per superiorem Arnun descendentes Fighinum expugnant, incolisque in captivitatem abductis direptum oppidum incendunt. Florentini, & ducis virtute, & militum numero impares, ut qui majori ex parte externo equite constarent, duce Renerio ad Lancisam hostibus obviam, ne ad urbem redirent, profecti, suasore Pandulfo Malatesta (viro fidei, ut postea traditum est, dubiæ) castra latiori campo, quam numerus militum pateretur metati sunt. Nota Florentini exercitus paucitate, Pisanorum (*p*) dux confusus, ad hæc prodicione Germanorum equitum alæ, quæ duce Artimano (*q*) simulato timore aufugerat, aggressus castra superior pugna fuit. Quadringenti eo prælio interfecti: dux belli, multique præterea strenui viri (*r*) capti, impedimenta omnia amissa: Lancisa (*s*) in potestatem hostium redacta, atque incensa. Britanni ad duo millia prædandi gratia tribus ab urbe millibus passuum profecti, populatis agris villisque incensis Fighinum redeunt. Poterat expugnari facile hostis, si fide integra dux Pandulfus, qui capto Renerio successerat, fuisset; sed ut compertum est, fallaci spe ductus imperio urbis inhiabat, quod per in-

com-

N O T Æ.

- | | |
|---|--|
| (<i>n</i>) <i>Emporium</i> . vulgo <i>Empoli</i> . | (<i>r</i>) <i>Viri capti</i> . cum Raynerio Farnese |
| (<i>o</i>) <i>Pisas revertuntur</i> . die XVIII. Julii | Joannes Obicius, Joannes Mangiadorus, |
| MCCCLXIII. Alberto Germano Duce. | & Bartholomæus Portigianus capti. |
| (<i>p</i>) <i>Pisanorum Dux</i> . Manettus Lamodajesi filius. | (<i>s</i>) <i>Lancisa</i> . seu Incisa Francisci Petrar- |
| (<i>q</i>) <i>Artimano</i> . Germano Comite. | chæ origine clara. |

commoda civium , & adverſa prælia haud dubie ſpera- 1363
 bat fore . Piſanorum milites agrum Aretinum Caſentina-
 temque crebris incurſionibus infeſtantes , opulenti præda ,
 qua venerant via Piſas conſeſſere . Diminutis Florentino-
 rum adverſo prælio militibus , cum de ſupplemento con-
 ſultarent , exulibus omnibus , qui variis de cauſis extorres
 patria erant , Senatus conſulto venia data eſt , ſi certo tem-
 pore propriis ſumptibus pro Republica militaſſent . Ad
 centum quinquaginta fuere , quorum opera admodum
 civibus utilis fuit . Exulum ductor fuit Benghius Bon-
 delmontes nobiliſſimo genere natus (t) , qui defenſioni
 Bargæ intentus , comparatis nonnullis præter eos pediti-
 bus , caſtella omnia per Piſanos denuo in expugnationem
 ejus oppidi erecta , captis omnibus qui cuſtodia præ-
 rant , incendit . Additis deinde ſibi incolis , qui tuto op- 1364
 pidum relinquere poterant , Britannos ſuis opem ferentes
 commiſſa pugna ſuperavit . In eo certamine multi ca-
 pti , interempti vero ad ducenti , & quinquaginta : qua
 victoria præmia Benghio (u) data , & in annum dux
 exulum factus . Altero dehinc anno Johannes (x) Augutus ,
 rei militaris ſcientia clarus , & bello aſſuetus , cum Bri-
 tannorum exercitu a Piſanis mercede paratus , primo im-
 petu Vallem Nebulæ ingreſſus , magna potitus præda in
 agrum Pratenſem tranſiit , omnibusque circum populatis
 agris , omnique regione qua tranſierat vaſtata , multista-
 men

N O T Æ.

(t) *Genere natus* . De hac præclara fa-
 milia , quæ his quoque temporibus florer ,
 multa refert *Joann. Baptiſta Caſottus in hiſt*
Deipara ab Impruneta , & Ugol. Verrinus de
Illuſtr. Urb. Flor.

Prisca Bonimontis ſoboles , Scolarius idem
Sanguis . Et ex uno descendit uterque parente .
Cum peteret Thuſcas Virgo Saluſtiana ſedes ,
Sanguine Regali geminos enixa reſedit ,
Unde genus clarum gemini traxere nepotes .

(u) *Benghio data* . ob bene navatam ope-
 ram , vexillum enim Piſanum una cum aliis
 XIII. captum Florentiam miſerat . *Philipp.*
Vill. lib. 11. cap. 75.

(x) *Johannes Augutus* . Anglus eo ſer-
 mone *Kauchorvole* appellatus , quod idem ac
Silveſtris Accipiter ; eo quod eum mater in
 ſilva inter accipitrum venationem genuerit .
Ammirat. lib. 12. p. 633.

1364 men equitibus (*γ*) amissis Pisas repetit . Bernabos interim Vicecomes occultus Florentinorum hostis , sperans eo nutriendo bello aliquem sibi aditum in Hetruriam dari , quo suæ opes auferentur , cuius pollicitationibus freti Pisani bellum moverant , tria equitum millia in eorum subsidium misit , eo nomine , ut diceret illos Pisanorum pecunia corruptos ad inferendum Florentinis bellum : quæ res Pisanis tamquam explorata victoria auxit animos , bellicque reddidit cupidiores . Simulabant tamen per fraudem , quo spe pacis injecta Florentinos negligentiores redderent , se quietis avidos esse . Itaque per Legatum (*ζ*) Urbani Pontificis tentata pax , Pisanis consulto iniquas condiciones petentibus , irrita fuit . Non tamen remiserant Florentini belli curam , quod petitæ pacis simulatione imminere apparebat ; sed exercitu decem millium electorum equitum comparato consilia hostium expectabant . Pace infecta , cum Britannis , præsidiisque a Bernabove missis , eæ (*a*) copiæ validum exercitum confecerant , in agrum Pistoriensem , Pratensemque per Vallem Nebulæ prædatum venere , tum per marinam in Mugellum progressi præda omnis generis parta , aliquot diebus in ea regione commorati sunt . Missi ad ejus oræ custodiam duo mille equites , majori ex parte Germani : cum levibus commissis (*b*) præliis , quibus victores discessere , docuissent Britannos certamine vinci posse , hostes considerantes , & inutilem & minime salutarem in eis locis moram , in agrum Pistoriensem redire necessario coegerunt : quo ex loco Florentiam versus profecti per
oram

N O T Æ.

(*γ*) *Equitibus amissis* . tercentis , ut *Philipp. Vill. lib. 11. cap. 81.*

(*ζ*) *Per Legatum* . Marcum a Viterbio Fratrum Minorum Generalem Florentiam missum .

(*a*) *Ea copia* . Sex millium veteranorum

militum .

(*b*) *Commissis præliis* . quorum uno triginta Germani milites Duce Henrico Monteforti centum Anglos profligavere . *Philipp. Vill. lib. 11. cap. 35.*

oram (c) agri Fesulani, quæ urbem respicit, Ravennanum usque venire, locisque circum omnibus, cæde, incendio, rapinis pervastatis, Florentiam reversi, propius urbem castris positus, propugnacula quædam extra Bononiensem (d) portam oppugnare. Postridie transiecto Arno in regiones Senæ propinquas, nulla belli crudelitate ommissa prædatum profecti, ubi paucos dies ad curandos faucios, qui vulneribus ex variis castellorum oppugnationibus acceptis ad duo millia erant, commorati, Vallem Arni superiorem petunt, frustra tentatis nonnullis prælio oppidis, Aretino, Cortonensi, Senensique agro populato, in Pisanorum fines, qua venerant via revertuntur, ultra sexcentos ex suis ea expeditione desideratis. Interim Florentinorum summa diligentia congregatæ apud Miniatæ oppidum copiæ, prope Pisas ad Gradus (e) posuere castra. Ingressi urbem milites ex citeriori Gallia a Bernabove missi, cum popularium animos auxissent, Florentinorum copias vinci posse arbitrati, Mediolanensis viribus maxime freti, castra hostium magno impetu, veluti ex improvise aggressi, cum Ducis prudentia ad subitos intentus casus, ita acies dispositas appareret, ut signis collatis, si res exigeret, ad dimicandum præparati viderentur, tumultu verius quam pugna excitato, ad suos se recipere coguntur. Cum in urbem Pisani rediissent, exercitus Florentinorum Liburnum, (f) tamquam portus custodem concessit, expugnatumque incendit. Inde cum fama esset Pisanorum copias, quæ

NOTÆ.

(c) Per oram agri Fesulani. hoc est per agros Fesulanos Florentiæ propinquos. Fesulæ procul a Florentia 4. pass. mill. Urbs est Episcopalis a Florentinis everfa anno. MXXIV. Colonia perantiqua.

(d) Bononiensem portam. per quam ad Bononiam iter, aliter S. Galli porta nuncupata.

(e) Ad Gradus. nempe ad Sanctum Petrum in Grado.

(f) Liburnum tanquam &c. Sumit Liburnum pro arce quæ Pisanum portum tuebatur, nunc Liburni nomine, tum arx, tum portus intelligitur; Qui intra paludes prope Montem Nigrum, inter Pisas 13. & Vada Volaterrana ad ortū 20. pass. mille positus est

1364 quæ ex illorum agro onustæ præda redibant, jam in proximo esse, ne interclusus distineretur, Volaterras proficiscitur; Britanni, Germanique nonnulli corrupti pecunia, cujus avida gens est, derelictis Pisanis agrum Senensem hostili more ingrediuntur. Deerat dux belli Florentinis, qui exercitui, in quo ad sexdecim millia hominum censebantur, præfset; nam antea Pandulfus minime Civitati gratus missionem postulaverat. Itaque accitum Galeotum Malatestam virum spectatæ virtutis, artibusque imperatoriis insignem exercitui præficiunt. Iis acceptis copiis Cascinam Pisanorum oppidum septem millia passuum urbi propinquum perrexit. Erat dux senex admodum, ac valetudinarius, in quo magis animi vires, quam corporis vigerent. Nequid ergo detrimenti caperetur, exercitus curam Manno Donato Florentino, viro impigro, bellicisque rebus exercitato demandavit, tribus additis Præfatis, quorum consilio, atque opera saluti castrorum provideretur. Mannus præ ceteris egregii Ducis consilio usus, qua ex parte castra debiliora videbantur, munitionibus, stationibusque militum firmiora reddidit. Sparsa per urbem fama, qua majora veris afferebantur, castra hostium laxiori asservari cura, quam disciplina militaris requirat, milites palatos, vagosque ferri, omniaque remisse, ac dissolute agi; Pisanos ad castra quam primum expugnanda movit. Johannes Augustus dux sagax, quotidie tentari castra laceffentium more jussit, quo in futurum negligentiores fierent, cum totis viribus pugnaretur. Ubi vero post ejusmodi frequentes congressiones tempus (g) adesse visum est, præsentis animo Britanni, Pisanique cum omnibus copiis hostium castra summa vi adoriuntur.

N O T Æ.

(g) *Tempus adesse visum est.* Tempus expectaverat Augustus, quo sol in hostium faciem vergeret, ventusque meridianus pulverem in eorum oculos conjiceret. *Philipp. Vill. lib. XI. cap. 97.*

tur. Primo congressu Mannus (b) vir strenuus cum quinque cohortibus, & ala equitum facta eruptione a latere hostes invadit, quem ceteri duces remotis castrorum munitionibus magno impetu sequuntur. Acriter, ac diu utrinque pugnatum est. Britanni prioribus victoriis elati forti animo certabant; nostri vero, ut acceptas injurias ultum, irent inflammati pœnas ab hostibus expetebant. Clamor ingens utrinque increbuerat, utrinque gladii micabant, summa vi, asperoque Marte cominus collato pede certabatur. Multi cadebant, plures vulnerabantur. Tamen cum aliquot horis pugnatum esset, inclinata hostium acie vincuntur. Longo fessi prælio Pisani, omnesque in fugam versi, dux cum paucis ad Sabinum oppidum, ubi equos reliquerat, effugit. Ad mille homines eo prælio desiderati, duo millia capti; externi milites majori ex parte dimissi sunt. Pisani ad unum in custodiis habiti. Censebant plures, si e vestigio oppugnatum Pisas iretur, facile fore, ut in tam trepidis rebus, ubi nullus locus consilii esset, in tanta tum captorum, tum interfectorum civium mœstitia, urbs imparata primo impetu caperetur. Raro in tanto terrore consilia expedita esse solere, mœstitiam debilitare animos, tanta præsertim clade percussos: Alii non (i) temere agendum affirmabant, munitam esse urbem, multosque ex acie equites, ac pedites qui in urbem confugissent superesse, tutiora consilia dubiis esse præponenda. Itaque cum urbis portis obequitassent, atque in tantæ cladis memoriam Galeottus nonnullos cives, & in his Lottum (l) Castellanum equestri donas-

E fet

N O T Æ:

(b) Mannus. Donatus Florentinus, cui imperitiam timebat, ne insidiis depre-

post Galleottum belli cura demandata erat. deretur.
 (i) Alii non temere agendum. Galleottus (l) Lottum Castellanum. una cum Pe-
 Malatesta felicem belli exitum inimicorum tro Ciacciono a S. Miniato, & Bostolino
 & gaudi committere noluit; ob locorum episcopi Aretino, uti affirmat Philip. Vill. lib. 11. c. 97.

1364 set dignitate, ad Miniatae revertitur, missis Florentiam cum captivis vilioribus, curribus quatuor & quadraginta; dignioris equis sunt advecti, quibus omnibus, quamvis acerrimi hostes essent, tamen benigne etiam a mulieribus cibus abunde datus. Ob hanc insignem victoriam statutum est, ut quo die, is sancti Victoris fuit, Pisani superati victique fuerant, equorum cursu quotannis victori pallium sericium præmio daretur. In agrum deinde Pisanum exercitus ductus magnis calamitatibus urbem afflixit, quæ res eos pacem petere coegit, quæ licet ab omnibus civibus improbaretur, ut qui urbem inimicam, & imperii æmulam expugnare, & in servitutem redigere in animo haberent, idque non multo tempore se assecuturos confiderent; tamen cum novum fœdus inire eos cum Bernabove omnes prædicarent, illique jam oppidum Petræ Sanctæ (m) traditum esse apparet, quo Florentinis bellum inferret, majores motus veriti, Oratores quinque Pisciam (n) miserunt, qui his conditionibus pacem dixerunt, ut Petræ Bonæ (o) castellum, quod belli causa fuerat, Florentinis traderetur, nonnullaque oppida Pisani in finibus eorum sita demolirentur. Insuper centum aureorum millia in decem annos æquis pensionibus solverent, utque priores immunitates Florentinis, qui negociandi causa Pisas se contulissent, restituerent. Ita secundo post cæptum bellum anno, quarto vero, & sexagesimo supra mille trecentos pax (p) constituta est; quinquennioque post Bernabovis bel-

N O T Æ.

- | | |
|---|--|
| <p>(m) <i>Petra Sancta</i>. Oppidum in ora maris Tyrreni positum, olim Feroniæ fanum, a Desiderio Langobardorum Rege Petra sancta dictum ad abolendam prophetiæ Dææ memoriam. <i>Briet. lib. 6. p. 2. Italia.</i></p> | <p>ab agro Senensi dirimens.</p> |
| <p>(n) <i>Pisciam</i>. Urbecula vulgo Piscia, a qua fluviolus Piscia S. Petri Patrimonium</p> | <p>(o) <i>Petra Bonæ castellum</i>. Pisanis ablatum per Florentinos par pari rependentes; cujus causa ad arma utrinque deventum anno MDLXII.</p> |
| | <p>(p) <i>Pax constituta</i>. MCCCLXIV. Prædie Kal. Septembris pax firmata, posteriore die Florentiæ publicata.</p> |

bellum exortum, cujus initia paulo altius videntur re- 1364
petenda. Confecta pace, Johannes Agnellus Pisanus Ghi-
bellinæ factionis princeps, qui Bernabovis auxilio, con-
silioque, dum Pisciæ de pace ageretur, urbis tyrannidem
occuparat, (q) haud multo post cum Lucam ad Caro-
lum Quartum Imperatorem Urbani Pontificis exhorta-
tione in Italiam reversum venisset, casuque quodam
prolapsus coxam (r) fregisset, in exilium a civibus, tu-
multu populi excitato, ut primum rumor Pisas dela-
tus est, agitur, Petrusque Gambacurta diversarum par-
tium in patriam suorum favore receptus Reipublicæ gu-
bernationem suscepit. Lucæ pro Imperatore erat Patriar-
cha (s) Aquileiensis, natione Germanus, qui oppidum
Miniate, quod se Carolo sponte dederat, Imperii nomi-
ne occupans, vicina Florentinorum loca novo bello ho-
stiliter invasit, ea mente, ut Florentinos, sicuti postmo-
dum accidit, ad redimendam ab Imperatore pacem im-
pelleret; quæ paulo post cum Imperator, qui Romam
ad Pontificem jerat, Lucam rediisset, datis Imperatori au-
reorum (t) millibus quinquaginta, secuta est. Non de-
stitit tamen Patriarcha, quin incursiones denuo faceret
in agrum Florentinum prædandi gratia: & quia jam fa-
cta pace Imperatoris nomine nequibat; cum signis mili-

E 2 ta-

N O T Æ.

(q) Occuparat. vide *Philipp. Vill. lib. 11. cap. 10. Truncium Ann. Pis.*

(r) Coxam fregisset. Dum super male contextos trabes Imperatoris. mimum intentus audiret, dissoluta machina in præceps actus est. *Ann. Pis. & Cor. us p. III. Hist. Med.*

(s) Patriarcha Aquilejensis. Caroli IV. Imperatoris. frater. Nicolaus: appellatus. Vide *Raynald. Ann. Eccl. & Matth. Vill. lib. 5. cap. 20. Decipitur Truncius in Pisanis Annalibus*, qui huic Aquilejensi Patriarchæ Mar-

quardi nomen tribuit, deceptus fortasse. Marquardi Augustani Episcopi nomine, qui & ipse a Carolo Imperatore Thuscix præfectus fuit.

(t) Aureorum. 50. & insuper quatuor aureorum millia singulis annis Carolo perfoluta. *Matth. Vill. lib. 4. cap. 76. Pax vero XXI. Martii MCCCLXIV. secuta, magnis lætitix signis publice datis, sed civibus privatim moerentibus, quippe pecunia exhaustis.*

- 1368 taribus Ecclesiæ Romanæ Florentinos populabatur, ob eamque causam (& id Pontifex (u) cupiebat) Legatum Romanæ sedis Cardinalem (x) Bononiensem ex Gallia oriundum suo nomine Imperator, antequam in Germaniam regrederetur, Senis, quamvis libertatem adscivissent, ac Miniati Lucæque præfecit. Ægre Florentini ferebant Miniatenses relicto priore cum eis fœdere, Imperatoris ducem, ac milites contra se recepisse. Tentarunt primo eorum animos, si quo modo ad priora fœdera, rejecta Legati potestate, redirent. Ubi ea res nequaquam successit, obsidione oppidum expugnare adorti, tum suis, oppidanorumque exulum, tum sociorum auxiliis oppidum circumfedere. Inclusis opem ferebat Pontificis, qui Lucæ morabatur, Legatus, ut qui Imperatoris voluntate id facere præferret. Bernabovem præterea Florentinorum hostem ad defendendum oppidum excivit, qui contra (y) fœdus antea cum Florentinis contractum, quo cavebatur, ut Vicecomites Hetruria, ipsi Lombardia abstinerent, milites subsidio obsessis mittere decrevit: ut tamen injuriæ honestam aliquam præferret causam, litteris Florentinos monuit, ut obsidionem relinquerent, utque castella de Miniatensibus capta restituerent. Id ne injustum omnino videretur, falso Imperatoris (z) nomine tutabatur, cujus jussu necesse sibi fore affirmabat arma adversus eos sumere, qui illum suaque oppugnarent. Non destiterunt tamen ab incepto Florentini, sed obsidioni intentiori

N O T Æ.

(u) Pontifex cupiebat. Urbanus V. Caroli amicus.

(x) Cardinalem Bononiensem. Guidonem de Bononia Episcopum Portuensem, Carolus Roma post coronam acceptam decedens ann. MCCCLXVIII Vicarium constituit, & Lucæ residere jussit. *Bosq. de Gest. Urb. V.* apud *Rayn. Ann. Eccl. T. 16.*

(y) Contra Fœdus: ann. MCCCLX. percussum. Oblitus Florentinorum benevolentiam, qui Imperatori in eum molienti auxilium denegaverant. *Leen. Aret. Hist. Flor. lib. 8. Matth. Vill. lib. 4. cap. 81.*

(z) Falso Imperatoris nomine. se enim ab Imperatore Vicarium constitutum ostentabat.

tiori cura incubuerunt, missisque (a) Viterbium ad Urbanum Pontificem Oratoribus, cum eo contra Bernabovem, quem nulla pacta servaturum constabat, fœdus iniere (b), cui Bononienses, Lucenses, Pisani, Patavinus (c), ac Mantuanus (d), Ferrariensisque (e) Princeps socii accessere. Bernabos interim cum Miniateses sua opera defendendos recepisset, primum pedites intromisit, tum Augutum a se pretio conductum cum exercitu ad liberandum obsidione oppidum ire iussit, qui castra hostium expugnare diffusus, apud (f) Cascinam consedit. Florentini præ metu illos castra locasse arbitrati, ducibus, qui exercitui præerant mandarunt, ut Britannos, quos paucos esse popularis rumor ferebat, e vestigio aggredierentur. Videbatur id consilium fore admodum periculosum, ideoque certamine abstinebant; ac sæpius a summo Magistratu acriter timoris, ac negligentiae, quod tamquam segnes in castris ociosi sederent, castigati, certam quodammodo victoriam fortunæ arbitrio commiserunt. Temerarium consilium malus eventus secutus est. Inita cum parte exercitus (nam reliqui in obsidione relictæ erant) cum hostibus, qui procul a castris aberant, pugna, cum illi timorem cedendo simulassent, nostros effusius sequentes in insidias deduxerunt. Tum Florentinus undique circumventus, reintegrata pugna,
Duce

N O T Æ.

(a) *Missisque Viterbium &c.* Non Viterbium, sed Romam Oratores missi Alexander ab Antella, Ugoccio Riccius, Blasius Guasconus, qui cum Arnaldo Cardinali Urbani Legato fœdus inirent. *Ammirat. lib. 13. p. 671.*

(b) *Fœdus iniere.* ann. MCCCCLXIX. XX. Novembris.

(c) *Patavinus.* Franciscus Carrariensis.

(d) *Mantuanus.* Ludovicus Gonzaga.

(e) *Ferrariensis.* Nicolaus Estensis.

Quibus additi Feltrinus Gonzaga Regii Lepidi Vicarius, Nobiles Corriggientes, & Aretini. *Ammirat. p. 671.*

(f) *Apud Cascinam.* Pisano in agro decem passuum millibus a Florentinorum exercitu consedit Augutus. *Leon. Aret. lib. 8.*

1369 Duce (g) exercitus, multisque præterea viris fortibus captis, Auguto victoriam concessit. Elati victoria hostes Florentiam versus profecti, late circum populatis agris, ad portas usque excurrentium more progressi ad quartum (h) lapidem castra posuerunt. Nequaquam adversa pugna territus Florentinus, majoribus viribus, nec minori cura obsidioni imminebat, novisque militibus missis, qui oppidum acrius premerent, omnibus rebus postpositis oppugnationem inceptam prosequitur. Britanni cum spoliato late Florentino agro ad Miniata redirent, quidam obscuræ famæ vir Luparellus nomine ad ducem (i) exercitus (is Robertus erat Comes Battifollis) clanculum noctu venit, pollicitus se aditum illis in oppidum daturum: ejus domus cum pro muro esset oppidi, hunc se nocte proxima, cum creta compactus esset, effracturum spondet. Verum ut oppidani ab omni ejusmodi suspitione, curaque averterentur, ab adversa oppidi parte scapas diluculo admoventi, oppugnarique eum locum summis viribus jubet. Ut erat constitutum, ad murum sublato clamore cum accessissent, oppidanis, militibusque ad defendendum oppidum intentis, demolito domus (l) muro Luparellus Florentinos admittit, qui ut in forum pervenere, excitato tumultu omnia terrore miscent. Tandem multa utrinque patrata cæde oppido potiuntur. Multi ex Bernabovis equitibus viri nobiles (m) capti, reliqui Lucam confugere. Recuperato Miniata

te

N O T Æ.

(g) *Duce exercitus*. Joanne Regiensi; qui Miniatensi obsidioni intentus cum hoste congregari negabat, sed ignavia a Florentinis accusatus, *Eamus, ait, quo inexpertium virorum stultitia nos trahit; sicuti animus non deest, ita nec consilium defuisse constabit.* Leon. *Aret. Hist. Flor. lib. 8.*

(h) *Ad quartum lapidem*. ut præ metu a Florentinis exercitus revocaretur, Miniataque obsidio tolleretur.

(i) *Ad Ducem exercitus*. Duo exercitus

Duceserant, quorum altero capto, alter oppugnationem persecutus est.

(l) *Domus muro*. Vid: *Corium p. III. Leon. Aret. lib. 8.* & præ omnibus *Ammiratum lib. 13. p. 673.*

(m) *Viri nobiles capti*. Principes defectionis autores, Ludovicus, & Blasius de Ciccionibus, & Philippus de Lazerinis, qui Florentiam ducti, & ab irata plebe pene oppressi, capite tandem mulctati perduellionis poenas dedere, *Leon. Aret. & Amm. ibid.*

te salutis anno (n) millesimo trecentesimo supra sexage- 1369
 simum nonum, Pontificis Legatus Lucensibus, Florentino-
 rum exhortationibus proximo anno acceptis aureis, quos
 Florentini mutuo dedere, ad millia viginti quinque, liber-
 tatem (o) restituit. Amisso Miniato, Bernabos, cum
 æstualet animo, veritus ne in Galliam a Fœderatis adver-
 sus se bellum transferretur (jam enim Bononiæ equitum,
 peditumque cohortes plurimæ convenerant) copias suas in
 Hetruriam traduxit, spe certa prodicione Agnellum in Ty-
 rannidem restituendum: quæ res secreto cognita Florenti-
 nos movit, ut trecentos sagittarios, qui saluti illius urbis
 providerent, Gambacurtæ mitterent, quorum opera con-
 silia omnia, & hostium conatus frustra fuere. Nam cum
 (p) proditorum industria Bernabovis pedites jam Pisana con-
 scendissent mœnia, a præsidio Florentinorum re detecta e
 muro dejiciuntur. Exclusi vana spe milites, cum agrum 1370
 Pisanum deprædarentur, missis a Florentia equitibus retro
 primum Serezanam, tum in patriam cessere. Pulsis He-
 truria hostibus, Florentinorum (q) copiæ, duce Manno
 Donato, qui in bellis suæ Reipublicæ summa cum laude
 versatus erat, in auxilium Pontificis adversus Bernabovem
 proficiscuntur. Cum Mutinam venissent, Bernabovis exer-
 citus Regium Lepidum obsidebat, castellis (r) quibus-
 dam

N O T Æ.

(n) Anno. Non MCCCLXIX. sed MCCCLXX. ab ejus defectione a Florentinis ad Imperatorem XVI. transactis annis, defecerat enim ann. MCCCLIV. *Marb. Vill. lib. 4. cap. 69.*

(o) Libertatem restituit. Detectis Bernabovis insidiis, qui Alderici Interminelli opera Lucam occupare moliebatur, cumque sibi & urbi timeret Legatus, acceptis 25. aureorum millibus civibus libertatem restituit, quam anno MCCCXIV. amiserant. *Corius p. III. Leon. Aret. lib. 8.* qui addit Florentinos Lucam ad Rempublicam fir-

mandam missos.

(p) *Proditorum industria*. Quos inter præcipui Marcus Travalda Pisanus, & Neapolitanus quidam, qui variis cruciatibus affecti, capite demum multati sunt. *Ann. Pis. ad ann. MCCCLXX.*

(q) *Florentinorum copia*. Bononiam Ægidio Tusculani Episcopo juxta lancitum cum Pontifice fœdus octingenti equites auxilio missi. *Leon. Aret. lib. 8.*

(r) *Castellis quibusdam*. ligneis, e quibus ignis saxaque in urbem conjicebantur.

1370 dam ad obsidionem urbis erectis. Johannes Augutus dux copiarum Bernabovis, prædæ cupidus, relictis cum præsidio castellis, in agrum Bononiensem transgreditur populandi gratia: oblata occasione Mannus una cum Feltrino (f) Regii tyranno castella hostium, superatis, qui in castra remanserant, expugnat: quo ex labore adeo defatigatus est, ut contracto morbo paucos intra dies expirarit, cujus imaginem Patavinus Franciscus (t) senior, ob ejus res, & pace, & bello egregie gestas, in Regia inter illustres viros egregia pictura locari curavit. Victoria parta, sociorum omnium copiæ, Florentinorum duce Rosso Riccio in Manni locum, suffecto in agrum Parmensem, ubi Bernabos erat, prædatum transiere. Agebantur in ejus fere conspectu hostium spolia, pecora, captivique utriusque sexus abducebantur: nullum aberat calamitatum genus, quas militaris insolentia patrare consuevit; quapropter mentione pacis injecta eam æquis legibus componi posse in spem ventum est. At Rossus, sociique tentandum aliquid laude dignum antequam ab armis discederent, rati, spe seducti Bargæ, per prodicionem recipiendi, cum ad oppidum pervenissent, vana spe lusi in insidias redeundo præcipitarunt. Capti Riccius, sociique, ut paci faciendæ assentiretur, Legatum adegerunt: quæ Bononiæ ea in primis conditione, ut captivi ab utrisque dimitterentur, anno supra mille trecentos septuagesimo, quo & Urbanus (u) Pontifex diem obiit, firmata est. Electus in Pontificem

N O T Æ.

(f) Feltrino. Gonzaga Ludovici Mantuæ Principis fratre Rayn. Ann. Eccles. ann. MCCCLXX. To. 16. Col.

(t) Franciscus. Corriariensis Mannum qui curandæ valetudinis causa Patavium se contulerat, ibique obierat, summo honore

est prosequutus. Leon. Arer. lib. 8. Hist. Flor.

(u) Urbanus Pontifex. patria Lemovicensis, Guilielmus Grisant antea vocatus, octavo Pontificatus anno, mense 4. dum in Galliam proficisceretur mortuus est. Flor. de Vir. Pont. & Mass. in Urb. Vita.

cem Gregorius (x) Undecimus cum Florentinis, Lucen- 1370
sibus, Pisanis, Senensibus, Aretinis fœdus renovavit.
Eodem anno missus Bononiam Legatus Cardinalis Bituri-
censis Augutum paulo post suum adventum ea mente,
ut Mediolanensi bellum inferret, conduxit (y), Galeotti
Malatestæ Itatorum qui sub Legato militabant ducis con-
silio usus, qui terram hostilem armis quam primum in-
vadendam esse decrevit, ut Vicecomites potius de suo-
rum salute, quam de inferendo ceteris bello animo agi-
tarent. Parato valido exercitu, Legatus fuis primo im-
petu hostibus oppidum Johannis prope Placentiam de Berna-
bove vi cepit. Sequenti anno Sancti Angeli (z) Car- 1371
dinalis, revocato Bituricensi (a) cum Bononiam Legatus
venisset, bellum profequitur, prælioque apud Brixiam (b)
cum hostibus commisso, Galeotti consilio illos fundit,
fugatque. Johannes Galeatus Virtutum (c) Comes, Berna-
bovis nepos, Francisci Estensis Ferrariensis Principis vir-
tute, qui captus fuit, defensus hostium manus evasit.
Inde victor exercitus, cujus Dux (d) Gallus erat, urbem
Vercellas (e) cum centum ferme oppidis pugnando in-

F de-

N O T Æ.

(x) Gregorius XI. die penultima Decembris ann. MCCCLXX. ut ex ejus litteris. Vid. *Greg. ann. 6. ep. cur. p. 17.* Hunc Lemovicensi Patria fuisse nonnulli asserunt. Petrum Belfortem appellatum vult Plat. sed aliusejusdem vitæ auctor Petrum Rogerii vocatum affirmat, cujus Pater Guillelmus Comes Bellifortis, ex quo in errorem inductus forte fuit Platina, ab oppido ejus ditionis familiæ cognomen deducens. vid. *Rayn. Ann. Eccl. To. 16.* Ita ipse *Baptista Sacchi* a Vico Platina, Platina denominatus.

(y) Conduxit. Descivit a Bernabovo Augutus ob imminuta stipendia, cum falso a Galeatio ejus filio accusatus fuisset, quod in Astæ prælio officio defuisset.

(z) Sancti Angeli Cardinalis. Guillelmus de Novelleto.

(a) Bituricensi. Petrus appellatus tit. S. Mariæ Transtiberim. *Rayn To. 16.*

(b) Apud Brixiam, scilicet ad Ruberiam. *Rub. Hist. Rav. lib. 6.*

(c) Virtutum Comes. Sic dictus a Comitatu Virtutum, quem dotis nomine una cum quingentis aureorum millibus illi dederat Isabella Caroli V. Soror. *Pigna Hist. Princ. Atest. lib 5.*

(d) Cujus Dux Gallus erat. hunc Hahuevod fuisse adnotat *Pigna Hist. Princ. Atest. p. 319.* sed idem est ac Augutus.

(e) Vercellas cum centum &c. Vercellæ Episcopi Othonis Flisci opera a Bernabovo defecerunt. *Cor. p. III.* Ipse Gregorius Philippo Constantinopolitano Imperatori scribens *To. 3. ep. secr. pag. 58.* apud Rayn. *infra duos menses* (inquit) *ultra centum castra per rebellionem, & alios modos dictorum perfidorum* (scilicet Vicecomitum) *tyrannidi subtrahita.*

- 1372 deditioem recepit. His malis, ac novo metu compulsus Bernabos Avinionem Oratores (f) misit, pacem a Pontifice quacunque conditione redempturus. Et quamvis
- 1374 bello Legatus superior esset, pecunia tamen, atque amicorum preces adeo valere, ut induciæ darentur, quas sibi redimendas quocunque pretio Mediolanensis censebat, tum ut bellum a se averteret, tum quoniam existimabat equites, peditesque Pontificis stipendio privatos necessario prædandi causa in Hetruriam transituros; quæ opinio virum prudentem minime fefellit. Nam publicatis (g) induciis, suasu quoque Legati, iter in Tusciam vertere.
- 1375 Erat enim, & Legati (h), & Pontificis consilium Florentiam imparatam armis, inopia præterea frumenti, quæ maxima erat, urgente, urbi fame belloque oppressæ facile libertatem adimi posse. Qua inani spe ductus Legatus cum id sæpe ab eo postulatum esset, & ad Pontificem usque missum pro frumento subministrando, ne quid comæatus ad illos importaretur, mandarat: cumque omnia illorum causa Legatus, & Pontifex se facturos publice prædicarent, frumentumque missuros, tamen secreto summa cum diligentia, ne ad eos deferretur, providebant. Existimabat enim homo levitatis Gallicæ populum, fame cogente, arma adversus civitatis principes sumpturum, & eam fore causam, ut bello etiam, ac seditione fatigata
 urbs

N O T Æ.

(f) *Oratores*. tres, quorum princeps Paulus Christianus.

(g) *Publicatis induciis*. Bononiæ a Guilielmo S. Angeli Cardinali, cui auctoritas concessa fuerat. *Rubeus Hist. Raven. lib. 6. To. 4. Epist. secr. p. 160. apud Raynaud.*

(h) *Et Legati, & Pontificis consilium*. Suspicati sunt Florentini ex composito. Augustum dimissum, ut eorum agros popularetur, & jam laborantibus fame venturæ segētis spem auferret. Sic *Leon. Aret. lib. 8.*

Hist. Flor. Cor. Hist. Med. p. 3. Addit præterea *Aretinus*, & *Plat. in vita Greg. XI.* in Pontificem commotos Florentinos eo quod Præfenses ad desciscendum impulisset, quod diluit *Rayn. To. 16. epistola Greg. XI. Senensibus scripta*, & aliis insuper quas Gregorius Lucensibus, & ipsis Florentinis scripsit. quarum prima prid. *Idus Apr. ann. V. Avin. 2. apud Villanovam Avin. Diocesis eodem anno.*

urbs in ditionem suam veniret. Sed civium (i) prudentia occultorum hostium nequitiam superavit: quorum 1375
 tanta fuerat, non solum spes, sed stultitia, Legati præfertim, ut nonnullos architectos Florentiam mitteret, qui locum condendæ arci ad continendam in fide urbem designarent: quibus rebus permoti omnes una mente ad tuendam libertatem, insanæque cupiditati obsistendum vehementius exarsere.

F 2 POG-

N O T Æ.

(i) Civium prudentia, occultorum hostium, nempe Pontificis & Legati qui occulte cum Joanne Auguto ad Florentini agri devastationem convenerant. Florentini cum vim vi repellere non possent, pecunia Augutum ex hoste amicum fecerunt. Vid. Leon. Aret. Hist. Flor. lib. 8.

POGGII BRACCIOLINI
 FLORENTINI
 HISTORIARUM
 FLORENTINI POPULI
 LIBRI SECUNDI
 EPITOME.

Florentini, fœderis conditionibus a Legato violatis, Vicecomitis auxilium contra Pontificem implorant. Bononia, multaque præterea oppida ad Florentinos deficiunt: unde excommunicationis sententia in eos lata. Duo Florentini milites Britannos duos singulari certamine prosternunt. Oppugnatur Bononia, non tamen expugnatur. Cæsena barbare & crudeliter diripitur. Vulscinenses Pontificis imperium abjiciunt; sed eorum oppidum proditione captum igne ferroque vastatur. Pontificis in Italiam adventus, qui post varios eventus occumbit. Urbanus Sextus in Pontificem electus a censuris Florentinos solvit, pacemque æquis conditionibus facit.

1375 **B**ellum inde difficile, ac periculosum anno quinto, ac septuagesimo supra mille trecentos secutum est, triennio ferme inter Florentinos, & præsides Gregorii Pontificis gestum, quod ab immensa, immoderataque aliena occupandi, tum Pontificis, tum Legati (a) qui Bononiæ præerat, ambitione

N O T Æ.

(a) Legati. nempe Guilielmi S. Angeli Cardinalis, ut dictum est.

tione profectum est . Erat Florentiæ , qualis nunquam 1375
 antea , frumenti caritas : quod sciens Legatus , cum interdixisset , nequid annonæ ex Flaminia , Bononiensique agro ad Florentinos comportaretur , speransque , ut fames , & bellum (duo ingentia mala) cives ad deditioem compellerent , tentata prius oppidi Prati (*b*) prodicione , eo Augustum exercitus Ducem , tamquam emeritis stipendiis liberum , ad capiendum oppidum misit . At ejus opera qui Florentinis occulte (*c*) favebat , & Pontificis Præfectis ob eorum dolos erat infestus , re detecta , proditores (*d*) supplicio affecti sunt . Fuerat præterea illi mandatum , ut agrum Florentinum ad annonam intercipiendam (& jam messis instabat tempus) longe lateque vastaret , quo majori fame populus vexaretur . Abbas (*e*) insuper Montis majoris , qui Perusiam pro Pontifice tenebat , orta inter Senenses , & Cionum Salimbenum eorum civem nonnullis oppidis quibus imperabat fidentem , discordia , contra Senenses auxilia equitum peditumque subministravit , fretus cum vires eorum contritæ essent , se ejus urbis imperio potiturum ; quod procul dubio accidisset , nisi Florentini animadverso Abbatis consilio rem Senensem defendissent . Timebant enim , ne cum Senas expugnasset , Legati consilia imitaretur . Intenta ne quid Respublica detrimenti caperet civitate , cum suis diffideret opibus , erat primorum consilium , tentandum Bernabovis esse animum ,

N O T Æ .

- (*b*) *Prati prodicione* . Petri Puccii a Caneto , & cujusdam Monachi opera . *Ammirat. lib. 13. p. 693.* forcipe percussus , inverso capite ad genua usque terra obrutus est . Id constat ex processu qui in Fiscali camera habetur , cujus exemplum in Stroziana L. 1210. a 132. Ex quo non Presbyterum , ut Ammiratus , sed Notarium Petrum fuisse colligitur .
- (*c*) *Occulte favebat* . Pecunia emptus Augustus Florentinis Prati prodicionem detexit .
- (*d*) *Proditores* . Supradicti . Sed Petrus a Caneto , ut primus prodicionis auctor ferreis catenis curru alligatus , candenti
- (*e*) *Abbas Montis Majoris* . Gerardus natione Gallus , *Pellinus Hist. Per. p. 1. lib. 8. p. 1113.*

1375 mum (*f*), in amicitiamque , ac foedus recipiendum , si quo modo id fieri posse spes daretur; quod facile factu esse existimabant , cum semper Legati vires minuendi desiderium praesetulisset , induciasque pretio impetratas haud satis firmas esse crederet , arbitantes quoque , etiamsi nihil auxilii in eo poneretur , tamen aliquid profuturam ad opinionem belli , ejus Principis societatem . Missis praeterea ad Legatum Oratoribus , qui de injuriis exostularent , pluribus verbis , *Se indignos esse , cum semper Patribus Ecclesiae fauissent , ut iniquo bello appeterentur , docuerunt . Nullam esse causam , cur amici , & paulo ante (*g*) juncti foedere , armis oppugnarentur , ne minima quidem injuria ab eis orta , quae Pontificis erga se animum alienum reddere a priori amicitia deberet . Rogare , atque obsecrare , ut milites revocet , neque sinat populum bene de se meritum oppugnari . Sperare Florentinos , parata eis fore Pontificis auxilia , si adversus aliorum injurias opus esset : suadere , ut potius veteres amicos servaret , quam novos hostes quaereret . Id facile esse , si Iohannem cum exercitu revocet , populationesque inhibeat . At ille , Nullum imperium se in eos habere , respondit : gentem esse liberam sui que juris , nulli obnoxiam , & aliena rapiendi cupidine flagrantem : illos missionem postulasse , neque stipendia a se amplius mereri : se volente agerent , quae rebus suis conducere judicarent . Quo responso Oratores tabulis obsignatis , quibus ei commeatum dabat , ab Legato receptis , extemplo ad Augustum misere , iisque lectis , tamquam soluta fide liber , statim foedus , ad id antea (*h*) praeparato animo , cum Florentinis iniit . Legatus poenitentia ductus , eorum*

N O T A E .

(*f*) *Animum* . Donato Barbadoro , Philippo Bastario , Nardo Andreae , Simone Ritofe , & Ugolino Lapi Oratoribus missis . *Amm. lib. 13. p. 693.*

(*g*) *Juncti foedere* . in Bernabovem ann.

MCCCLXXI.

(*h*) *Praeparato animo* . nam Pontificis Praefectis infestus erat , & pecunia Florentinis obstrictus , 130. aureorum millibus jam acceptis . *Leon. Aret. lib. 8.*

rum quæ scripserat contraria prioribus litteris e vestigio 1375
dedit, quibus ad prosequendam expeditionem hominem
monebat. At Dux prudens, cum prioribus acceptis litte-
ris Legati venia solutus, novo cum Florentinis fœdere
astrictus foret, suamque fidem alteri datam esse respon-
disset; centum triginta millibus aureis acceptis, pacato
similis in agrum Senensem profectus est. Dubia, ac sus-
pensa in rebus trepidis urbe, diversa civium animos consi-
lia versabant, bellumne adversus Pontificis Legatos pro
libertate (i) suscipiendum esset; an ineundum cum Ber-
nabove pro salute patriæ fœdus. Difficile videbatur con-
tra illos arma sumere, quorum partes sæpius defendis-
sent. Verebantur plures pro veteri amicitia novum odium
ostendere. Urgebat patriæ charitas, quæ ut se defenderet
hortabatur, dolebantque plurimi oppugnari se per eorum
superbiam, atque ambitionem, qui dominandi cupidita-
te omnia divina, humanaque jura perverterent. Religio-
nis timorem ponendum esse censebant, ubi is officeret li-
bertati; neque Censuras in perfidis hominibus verendas es-
se, qui omnibus, quæ Deo dicatos decent, abjectis, aliena
rapiendi studio flagrarent; supersticiosos animos depo-
nendos, cunctaque sine ullo discrimine pro libertate ser-
vanda, agendaque Gallicam (l) in Italia superbiam, atque
avaritiam, communem turbare pacem, singulaque ab il-
lis tentari quo suis cupiditatibus obsequantur. Sacerdo-
rum vitia enumerabantur, & quam intolerabilis eorum
fastus esset, quam abominanda servitus, palam cives fre-
mebant: nulla ex causa eos, qui Pontificibus semper fa-
vissent, iniquo bello ad servitutem peti; non cum Ro-
mana Ecclesia bellandum esse, sed fastui injuriæque ma-
lorum

N O T Æ.

(i) *Pro libertate*. Notum erat Legatum | dæ locum designaret. *Ammirat. lib. 13. p. 693.*
occulte Florentiam architectum misisse | (l) *Gallicam in Italia superbiam*. De
Matthæum Gattapanum, qui arcis conden- | Pontificis Præfectis sermo est.

1375 lorum Præfulum resistendum . Videbatur prudentioribus quibus cordi esset patriæ salus, externas in auxilium vires esse advocandas, sed maxime Bernabovem esse asciscendum ad belli societatem: exulceratum illius odio in (*m*) Sacerdotes animum Pontificique infestum, facile impelli posse, ut socia arma jungat; etiamsi cetera deessent, famam fœderis admodum profuturam, & ad firmandas existimatione hominum civitatis opes, & ad excitandas populorum Ecclesiæ mentes ad defectionem, cum nemo esset, cui non Gallorum superbia infensa foret. Cum hæc per urbem jactarentur, nonnulli (quibus mos est publicam rem in privatam vertere, quique aliorum laudi invidentes, omnia perditum iri, quam sana consilia sequi malunt, quorum ipsi non sint auctores) religionis specie prælata, huic sententiæ obtrectabant, bellum dissuadentes, & infidam Tyranni (*n*) societatem. Variis sententiis distracta urbe, placuit electorum civium (is major solito numerus fuit) quorum auctoritate de bello, aut pace agi posset, sententias exquirere. Advocata igitur concione, cum diversi, ut quemque privatam trahebat studium, diversa sentirent, vir eloquens (*o*) Patriæ salutem rebus omnibus præferens, & Rempublicam, quibus poterat artibus defendens, in hæc fere verba locutus est. *Scire vos arbitror, præstantissimi cives, non solum hominibus, sed*

Et. o.

N O T Æ.

(*m*) *Odio in Sacerdotes*. Adeo in Sacerdotes ferebatur; ut Ambrosii Ortulani Præpositi Monasterii S. Barnabæ equileo exanimati corpus currui impositum in triumpho speciem per urbem ad suspendii locum deportari jussit; Simonem præterea de Castillione Primicerium, Martinum de Rubeis, Præpositum Domus Orientalis portæ, Brancam de Cutinis, Jannolum de Cuticis, Canonicos, excruciiari; & Primicerium imposita papyracea mitra simul cum aliis equorum caudis alligatos per ur-

bem trahi. Joannem Abbatem Monasterii Sancti Petri de Climate una cum aliis Menacis se præsentem jussit interfici. Sed fusius ejus crudelitatem in Sacerdotes narrat *Rayn. in Ann. Eccl. To. 17. ann. MCCCLXXIII.* ob quam sententia in Bernabovem lata *Avin. in palae. Apost. VII. Idus Jan. Pontif. Greg. ann. III.*

(*n*) *Tyranni*. Bernabovis, cujus foedifragus animus omnibus innotuerat.

(*o*) *Vir eloquens*. Aloysius Aldobrandinus Confalonarius. *Ammirat. lib. 13. p. 693.*

& omnibus animantibus natura insitum esse , ut libertatem 1375
 appetant , & procurent , proque ea adipiscenda conseruanda-
 que omnibus viribus enitantur , odioque habeant illos , a qui-
 bus libertatis periculum imminere conspiciant ; est quippe com-
 mune beluis , quæ ratione carent , ut naturali cogente appe-
 titu solutæ vinculis , tamquam vagandi concessa libertate læ-
 tari , & gestire videantur . Quod si in brutis , quæ tantum
 sensu moventur , hunc naturalem animi motum ad appeten-
 dam libertatem inesse videmus , quanto nos magis , quos Deus
 ratione , prudentia , intellectu reliquis animantibus præstare
 voluit , naturam ducem sequi , & libertatem , qua nihil in-
 ter mortales est præstantius , nihil jucundius , nihil optabilius ,
 a maioribus nostris summo labore partam (p) tueri debemus ?
 Etenim cum plurima bona nobis rerum parens natura conces-
 serit , nihil tamen generi hominum libertate melius , nihil uti-
 lius elargita est . Cari liberi , cari parenres , fortune , opes ,
 domicilia nobis esse debent ; at hæc omnia cariora , ac jucun-
 diora libertas facit , in qua est , ut vita nostra animi quiete ,
 ac voluptate fruatur . Quid enim hæc fortune bona vitæ
 mortalium prodesse in seruitute videntur , quam boni , ac
 præstantes viri malis omnibus fædiorem putare . Etenim ,
 cum animo , & corpore constemus , ut nostis : alterum ita
 liberum est , ut nullo pacto inuitus ad seruiendum compelli
 queat , alterum seruitio aptum , animo in quo ratio est , ser-
 uire , & obsequi debet . Quæ igitur pars excellentior habetur ,
 libertatis cupiditatem ingenitam secum ferens , si suo munere
 fungi posset , morti profecto eam præferret , quam ut serua-
 rent , non solum singulos Romanos (q) , sed & (r) legio-
G
nes

N O T Æ.

(p) Summo labore partam . excusso Impe-
 ratorum jugo sub Henrico Quarto , ann.
 MCLXXX. & Gualterio Athenarum Du-
 ce , qui urbis imperium occuparat , expul-
 so .

(q) Singulos Romanos . ut Curiatios , De-
 cios , Fabios , & Brutum , qui filios suos pro
 Patriæ libertate seruanda capite plecti iussit .

(r) Et legiones . ut Virg.

Æneada in ferrum pro libertate ruebant .

1375 nes ad certam mortem profectas legimus, interitumque ser-
 viti prætulisse. At sunt quidam, qui nullo illius desiderio du-
 cantur, cum semper aut vixerint sub tyrannis, aut ingenio
 sint stupido, ut natura ipsa illos ad servendum genuisse vi-
 deatur; quibus magis satiandi ventris, quam ornandi ani-
 mi cura est, qui non in hominum, sed in pecudum numero sunt
 rejiciendi; nos vero quorum majores propter egregiam animi
 virtutem, Imperantium servitutem excusserunt, quique per
 varia discrimina, periculaque, ac labores libertatem heredi-
 tariam, tamquam hujus Civitatis alumnam nobis relique-
 runt, omni ope conari, enitique oportet, ne veluti abjecto
 animo, mente debilitati, libertate neglecta, adeo a virtute
 majorum degenerasse videamur, ut quod illi contra multorum
 (f) Imperatorum potentiam tenuerunt, nos contra quorun-
 dam Sacerdotum libidinem tueri minime valeamus. Prisci
 Romani, a quibus hæc urbs (t) primum constituta est, cum
 ducentos (u), & quinquaginta ferme annos sub Regibus
 vixissent, Tarquinii superbiam non ferentes, liberam ciuita-
 tem a dominatu regio reddidere. Nos qui quadringentos fer-
 me annos liberi viximus, nunc gustata tanto tempore dul-
 cedine libertatis, superbam Sacerdotum tyrannidem æquo ani-
 mo feremus? & cum illi rejectis Regibus libertatem adsciue-
 rint; nos qui tanto tempore liberi viximus, nunc ea relicta
 novis dominis serviemus? Multæ quondam defatigatæ vi-
 ctæque, bello invictæ, & malo domitæ libertatem amisere
 urbes; omnia tamen priusquam hosti cederent expertæ sunt,
 ut inopiam, famem, vastitatem, obsidionem ferendo, liber-
 tatem tuerentur. Nos qui jam tot annos cum variis hostibus
 pro libertate bellum gessimus, quibus non modo non diminutæ,
 sed

N O T Æ.

- (f) Multorum Imperatorum. præcipue Henri IV. & Caroli IV. } cta colonia fuit.
 (u) Ducentos & quinquaginta. annis tan- } tum CCXLIV. Romam sub Regibus fuisse }
 ximus initio lib. 1. cum a Triumviris dedu- } asserit Livius lib. 1. Dec. 1.

sed aucta bello vires sunt, nunc deficiemus animo, cum opi- 1375
 bus nostris & hostium cupiditati obviam ire, & nova au-
 xilia comparare possimus? Sciunt (x) omnes jure gentium, &
 lege naturæ vim vi repellere, & injuriam propulsare licere,
 quæ si alia ratione nequimus, ad bellum est confugiendum,
 quod justissimum ferunt omnes, cum pro libertate, & fugien-
 do aliorum imperio suscipitur. Id vero, quod me maxime ad
 victoriam hortatur, odium est singulorum ferme qui Pontifici
 parent, adversus superbam insolentemque, ac execrandam Gal-
 lorum dominationem, & avaritiam plusquam tyrannicam,
 qua locorum Præsides abutuntur: simul enim, ut bellum sus-
 ceptum senserint, omnes libertatis desiderio ab eis deficient.
 Neque vero parvi existimandum puto, quod socia Bernabo-
 vis nobiscum arma jungendi facultas est, quæ res, quo fiat
 animo, nequaquam querendum videtur. Scio illum plus sua,
 quam nostra causa sollicitum esse: sed magis quid agat, quid
 nobis conducatur, quam qua ab eo id mente fiat, animo ad-
 vertendum est; quamquam certus sum vires Sacerdotum si-
 bi esse suspectas, odio habet Gallorum potentiam, qui in Ita-
 lia tyrannidem exercent. Infensus (y) est eorum opibus,
 quas non augeri per nostrum incommodum, sed suis sumpti-
 bus minui cupit. Itaque, & bellum adversus, non Pontifi-
 cem, sed tyrannum vos absorbere cupientem gerendum, &
 adjungendas nobis huius Principis vires, si salvi esse veli-
 mus, censeo. Sunt nobis comparanda huius suffragia, cuius
 magis quam nostra interest debilitari in Italia Pontificis vi-
 res. Multum nobis, tum ad belli gerendi famam, quæ plu-
 rimum in bellis valet, tum ad perturbandum Ecclesiæ sta-
 tum,

G. 2. tum,

NOTÆ.

(x) Sciunt omnes &c. Ratio doctis, neces-
 sitas barbaris, & mos gentibus, & feris na-
 tura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim qua-
 cunque ope possent, a corpore, a capite, a vita sua
 propulsarent. Cic. pro Ann. Mil.

(y) Infensus est eorum opibus. quas ut il-
 lis adimeret, villas, possessiones, redditus,
 nec non jura ditionesque ecclesiarum, oc-
 cupavit detinuitque. Rayn. Ann. Eccles.
 T. 16.

1375 tum, & populos ad rebellionem excitandos, quibus nostis superbe, ac vaneque a Gallis Præsidibus imperari, hæc societas conferet. In hanc sententiam cum ab omnibus ferme itum esset, tuendam libertatem decrevere, & octo (z) summæ auctoritatis viri, qui absque provocatione (a) bello administrando præessent, creati; & de fœdere cum Bernabovæ his conditionibus conclusum (b): Ut quatuor ipse, Florentini trium millium peditum, equitumque copias, quibus hostium impetus reprimeretur compararent (c): Octoviris Magistratum ineuntibus, in primis cum pollicitationibus, tum auxiliis mittendis, qui populos in Pontificis ditione erant, sollicitandos visum est; quod facile factu fore videbatur, cum omnium animi Gallorum fastidio omnia perpeti, quam illorum imperium mallent. Primi Tifernates (d) pellendos tyrannos, libertatem adsciscendam armis sumptis, ingenti tumultu clamitantes, partem præsidii, quod in urbe erat, interficiunt. Reliqui cum in arcem fugissent, ac diutius nequicquam oppugnantur; tandem continuis malis domiti, misso a Florentinis adversus eos auxilio, se se civibus, arcemque dedidere. Hos secuti auctore Johanne (e) urbis Præfecto Viterbienses rebellarunt: cujus factio, cum in oppido prævaleret, illius beneficio tyrannidem occupat; quorum virtutem Flasconis (f) urbs vicina imitata, arce capta, & ipsa

N O T Æ.

- (z) Octo summa auctoritatis viri. nempe Octovirum Magistratus, vulgo *di Balia*. Hi vero octo Sancti communiter appellati; fuere autem Alexander de Bardis, Joannes Magalottus, Thomas Strozzius, Guccius Gucci, Matthæus Soldus, Joannes de Monis, Joannes de Dinis, & Andreas Salviatus. *militaria extulisse, unum Communitatis, alterum in quo aureis characteribus speciosum libertatis nomen erat inscriptum. S. Antonin. tit. 22. cap. 9. §. 1. & Rayn. Ann. Eccl. To. 16. ann. MCCCLXXVI.*
- (a) Absque provocatione. cum summo imperio. *(d) Tifernates. aliter Castellani, quia a Civitate Castelli.*
- (b) Conclusum. ann. MCCCLXXV. mense Septembri. *Cor. p. III.* *(e) Johanne Urbis Præfecto. Franciscum e Vico Viterbii Præfectum fuisse narrat Rayn. Ann. Eccl. To. 16.*
- (c) Notandum Florentinos duo signa *(f) Flasconis, vulgo Montefiascone.*

ipfa ex fervitute fe exemit . Audita tot (*g*) populorum 1375
 uno tempore libertatem appetentium defectione , qui Pe-
 rufiæ præerat Abbas (*h*) , duplici quas munierat confifus
 arce , Johannem Augutum , qui palam (*i*) Legati partes
 fequebatur , cum parte copiarum , quæ Perufii confede-
 rant ad recipiendum Tifernum (ea propinquior urbs erat)
 mifit : quem cum profectum effe conftaret , Perufini Gal-
 lorum exofi superbiam , in libertatem fe vindicarunt .
 Nam sublato clamore , quo tyranni ad mortem deposce-
 bantur , concursuque populi in forum facto , copias Ab-
 batis , quæ in urbe refederant atroci fuperatas pugna , in
 arcem compulere , ubi obfessi undique , omni fpe fubfidii
 ablata , cum nulla quies a prælio daretur inclufis , arcem
 poft menses aliquot , eo pacto , ut fine injuria abire lice-
 ret , civibus tradiderunt . Eodem tempore Eugubium , Spo-
 letum , Tudertum , Forumlivii , Afculum , Gregorii fpre-
 to imperio defecere . Forumlivii in potestatem Baldaffa-
 ris (*l*) Ordelaſſi , cujus pater in ea urbe Princeps fuerat ,
 pervenit ; quam poftmodum Bernabovis , ac Florentino-
 rum auxilio , quorum favore præfidiisque omnes hæ civi-
 tates fervitutem rejecerant , tenuit . Arx Afculana , cui Go-
 metius (*m*) Hispanus , urbique præerat , quamvis fuma
 vi oppugnaretur , tamen , quia haud parvo præfidio , fru-
 mentoque munita erat , ad decem menses obfidionem per-
 tulit .

N O T Æ.

(*g*) *Tot populorum* . Fulginates etiam Trincio Pontificis Præfecto trucidato libertatem adfcivere . *S. Ant. p. III. tit. 22. C. 1. §. 6.*

(*h*) *Qui Perusia præerat Abbas* . Montis Majoris , de quo fuperius dictum .

(*i*) *Palam Legati partes &c.* occulte vero Florentinorum ob pecuniam amicus .

(*l*) *Baldaffaris Ordelaſſi* . Cum Poggio confentit etiam *Ammiras. lib. 13. p. 695. Sigism. vero Marchesius, Hist. Foroliv. & cum eo Platina in Vita Greg. XI. nullatenus Bal-*

daffaris nomen apponunt , fed ajunt Civitate libertati reſtituta , appellatum Sinibaldum , Ciccum , & Thebaldum , Franciſci filios ; ut eorum auxilio , ac prudentia gubernaretur .

(*m*) *Gometius Hispanus* . de Bernotiis , vel potius de Albernotiis , Princeps Spoletani Ducatus , arcisque Afculanæ , quæ ab eo defecit anno MCCCLXXV. menſe Febr. Ipſe in arce obſeſſus eam Decembri Florentinis ceſſit . *Cor. p. III. Hist. Med.*

1375 tulit. Ei cum Johanna (n) Regina, in gratiam Pontificis, auxilium tulisset, superati ab ea missi equites domum rediere, tandem arce reddita, obsessis cum rebus suis abire permissum est. Mirum videbatur, adeo omnium qui-
 1376 bus Pontifex imperabat populorum, ob impotentem dominatum, immensamque Præfulum avaritiam, unum animum, unamque esse mentem, ut vel perire, quam subijci eis mallent: & cum singulæ (o) urbes ac provinciæ ad defectionem spectarent, non tamen omnibus, licet idem optantibus, eadem deficiendi dabatur occasio. Parvo tamen tempore universorum animi ad capessendam libertatem conversi sunt. Videns Gregorius Pontifex omnia Florentinis secunda esse, nec prudentiam a fortuna sejunctam, veritus ne Bononienses aliorum exempla imitarentur, Britonum ad decem millia equitum, peditumque, qui vagi, absque stipendio in Gallia populabundi in armis erant, conduxit (p). Hos sua consuetudine, fortitudinisque jactantia, ac propriis viribus fretos omnia pollicentes, cum ex eis peterent, an Florentiam ingredi sperarent, superbe nimium respondisse ferunt, non dubitare se, quin quo sol ingrederetur, & ipsis quoque penetrandi facultas esset. Gallica profecto arrogantia, & fastu plena, in Alexandro aut Cæsare non ferenda. At ii cum postmodum Alpes transissent, ne agrum quidem (q) nostrum conspexere. Florentiam deinde Pontifex Oratores (r) misit, pacem pollicitus, & Perusii, Tifernique libertatem,

N O T Æ.

- | | |
|--|--|
| (n) Johanna Regina. Sicilia: utriusque. | (q) Ne agrum quidem &c. cum enim Bononia eo tempore defecisset, ad sua recuperanda intentus Legatus, in Florentinos se ferre non potuit. |
| (o) Singulæ Urbes. Ortona, Narnia, Civitas Vetus, Urbinum, Firmium &c. Cor. Hist. Med. p. III. | (r) Oratores misit. Nicolam Spinellum, a Juvenatio, Senescalcum Provinciæ, & Bartholomæum Jacobi, Januensem J. C. Ammirat. lib. 13. ad ann. MCCCLXXV. & Matthæus Vaira de Vita, & Gestis Nic. Spinelli p. I. lib. I. |
| (p) Conduxit. Duce Roberto Gebennensi, Genevensis Comititis fratre, Basilicæ XII. Apost. Card. Flaminia, Piceni, aliarumque Provinciarum Legato. Rayn. To. 16. Ann. Eccles. Hunc infra Antipapam videbimus Clementis nomine. | |

tatem; modo ab armis, sollicitandisque populis abstine- 1376
 rent. Verum cum variæ Senatum distinerent sententiæ, di-
 emque ex die respondendo ducerent, Granaroli (f), Bo-
 noniensis agri oppidi, defectio Legato nuntiatur; ad quod
 recuperandum, dum Augustus cum suis proficiscitur co-
 piis, Bononienses (t) a Legato Florentinorum opera de-
 sciscunt: quibus cognitis Oratores re infecta Avinionem
 redeunt. Augustus, cum nec oppidum summis viribus op-
 pugnatum recipere potuisset, Bononiam vero redeundi
 nulla spes foret, Faventiam (u) Pontificis oppidum nil
 tale veritum occupat: hostilemque in modum direptum,
 ac civibus fortunisque omnibus spoliatum Nicolao Estensi
 Principi Ferrariensi (x) tradit, qui dirutam urbem (cu-
 jus imperio Astorgius Manfredus Florentinorum opera
 postmodum potitus est) paulum instauravit. Florentini
 Bononiensium rebellionis culpam, ac doli crimen non
 evitarunt. Nam cum pax offerretur, & urbium nonnulla-
 rum libertas, rectius, tutiusque videbatur honestæ pacis,
 quam inutilis belli consilia sequi. Fraus præterea visa est,
 ac dolus, cum de pace ageretur, tantam urbem ad defe-
 ctionem sollicitare: sed plus ad salutem (y) amissa Bo-
 nonia, quam oblata pax nonnullis, quibus natura insi-
 tum

N O T Æ.

(f) *Granaroli Bononiensis agri.* Agri Fa-
 ventini Castellum fuisse ait *Platina in Vita*
Greg. XI. Pertinere ad Ravennatem Ecclesiam
 refert *Rub. Hist. Rav. lib. 6.* & a Lugō Raven-
 natis Ecclesiæ oppido millia ferme pas-
 suum abesse. Hujus defectio Astorgii Man-
 fredii Faventini Reguli opera secuta est.
 Ex quo Faventinæ ditionis fuisse puto. *Vid.*
Rub. Hist. Rav. lib. 6.

(t) *Bononienses a Legato &c. desciscunt.*
 Florentinis suadentibus, & auxiliantibus:
 nam duo equitum millia, & quingentos pe-
 dites una cum libertatis vexillo misere. *Gi-*
rard, Hist. Bon. lib. 25.

(u) *Faventiam Pontificis oppidum.* Au-
 gustus cum Bononiam regredi nequiret,
 unde ut Granarolum recuperaret discesserat,
 Faventiam ingressus, iram in Pontifici fide-
 les populo evomuit. *Leon. Aret. lib. 8. Hist.*
Flor. & Rub. Hist. Rav. lib. 6. Addit vero ab
 Episcopo Ostiensi, urbis præside verito ne
 aliarum exemplo Faventia quoque deficeret,
 Augustum appellatum, Britonesque intro-
 missos templa domosque diripuisse.

(x) *Ferrariensi tradit.* Quadraginta;
 vel ut alii, quos inter *Plat. in Vita Greg. XI.*
 viginti ducatorum millibus acceptis.

(y) *Ad salutem.* Florentiæ.

1376 tum est, ut privata studia publicæ utilitati prævertant, conducere visa est. Hinc indignatio Pontificis se delusum existimantis, iraque in Florentinos incensa est, qua motus, & Britones, gentem natura immitem, ac crudelem, in Italiam adversus Florentinos transcendere jussit, & jure Pontificio contra ipsos censuit agendum. Moris est Romanorum Pontificum, cum in quempiam ob commissum facinus animadvertere volunt, ut eum per Viatorem, ad criminis defensionem vocent. Fisci Procurator in (z) publico in frequenti Cardinalium senatu, circumstante undique densissima ex omni hominum genere corona, illius injurias, & delicta, in quem sententia sit ferenda exponit. Tum petit, ut lectis ad id Judicibus causa discutienda mandetur; deinde ut citetur reus, ut causam dicat, quæ omnia a Pontifice sunt (a) servata. Nam & ejus in Florentinos enumerata (b) sunt beneficia, & multis capitibus, de injuriis in Pontificem disputatum. Decreta citatio, in qua omnes ferme Magistratus nominabantur, omnes insuper narrabantur cives, qui belli auctores fuissent, quique ad id favorem, auxiliumque præstitissent, præscripto tempore quo ad se defendendos venirent, Florentiam delata est. Magnum ea res in populo motum fecit, variusque sermo ferebatur, tum contra Pontificis Præsides, tum adversus cives, qui bellum paci prætulissent; tandem multis disceptationibus habitis placuit Oratores duos ad Pontificem, qui causam Civitatis tuerentur, mitti.

N O T Æ.

(z) *Fisci Procurator*. Vulgo Fiscalis, qui tunc temporis erat Jacobus Cecca, Florentinis infensissimus. *Ammirat. Hist. Flor. To. 2. lib. 13. p. 697.*

(a) *Omnia a Pontifice sunt servata*. nam Petro tit. S. Laur. in Lucina Presb. Card. cura, ut de re inquireret, fuit demandata; ac Pontificiis litteris Florentinorum Magistratus, omnesque, qui operam suam contra

Pontificem navarant, frustra jam admonitos ad Avinionensia subsellia compelleret, die ultima Martii causæ dicendæ constituta. *Rayn. Ann. Eccl. T. 16.*

(b) *Enumerata sunt beneficia*. inter quæ præcipuum, quod eis Carolus IV. multa benevolentia, & sollicitudine conciliasset. *Vid. Rayn. ibid.*

ti. Ii fuerunt Donatus Barbadorus (c) Jurisconsultorum 1376
eloquentissimus, & Scriba Dominicus Silvestri filius, qui
cum Avinionem (d) appulissent, tandem data publice
loquendi potestate, Donatus apud Pontificem, & Roma-
næ Ecclesiæ primores, qui ad audiendum convenerant
hujusmodi orationem dicitur habuisse. Si æquis auribus
(neque jam, ut videor, præjudicata re (e) nos auditurus
esses) Beatissime Pater, aut æquo jure disceptari liceret,
non minore virtute animi, nec minore legum fiducia meo-
rum civium causam tuerer, quam ipsi libertatem suam forti-
tudine, & prudentia defenderunt. Nam facilis esset de-
fensio, quæ divino, & humano jure nititur, nisi plures cupi-
ditate (f), quam ratione ducerentur. Testarer (g) quippe
nullam belli gerendi justiore[m] videri causam, quam ea, quæ
sumitur pro repellendis injuriis, & libertate servanda; di-
cerem magis in culpa esse, magisque a recta via declinare,
qui alteri inferunt injuriam, quam qui propulsant illatam;
dicerem justissimam illorum esse rationem, qui pro suæ liberta-
tis, pro sui status tutela, pro patria defendenda arma susci-
pere cogentur; iniquissimam vero eorum, qui pro rerum alie-
narum appetitu, pro imperii cupiditate socios, atque amicos
iniquo lacefferent bello. Verum quoniam tempora (h) nobis
sunt, & apud multorum infestos animos mihi dicendum est,
utar ea defensione, quam ipsum Deum primo, tum omnes ho-
mines, in quibus modo recta insit ratio, comprobaturos esse con-
fido.

NOTÆ.

(c) Donatus Barbadorus. cum Donato Barbadoro Alexandrum ab Antella conjungit Leon. Aret. lib. 8. Hist. Fl. Sed nulla apud illum de Scriba mentio. Discrepan- tiam vero Aretini, & Poggii tollit Junior Ammiratus lib. 13. p. 697. inquit Legatos fuisse Donatum Barbadorum, & Alexan- drum ab Antella, iisque additum Domini- cum Sylvestri, quasi in consilium.

(d) Avinionem appulissent. prid. Kal. Apr.

hæc enim præscripta citationis dies fuerat;

(e) Præjudicare. Hoc est animo oc- cupato, & in contrariam partem incli- nante.

(f) Cupiditate. ulciscendi. referendum hoc ad Cardinalem Bituricensem, & Card. S. Angeli.

(g) ab honestate causæ.

(h) Tempora nobis sunt. intelligendum infesta, seu contraria,

1376 fido. Neminem sanæ mentis esse arbitror, Sanctissime Pater, quin libertatem natura appetat: quin partam, & tuendam sibi, & conservandam putet: quin illam existimet omnibus, quæ homini fortuna bona dederit, præferendam: quæ si dulcis, si jocunda, si exoptanda cuiquam videri debet, illis jocundior, dulcior, optabilior sit necesse est, qui diutina in libertate vixerunt. Nos annos paulo minus quadringentos libertate potiti sumus, quæ ita nobis natura jam insita est, & infixæ cordi, ut pro illa servanda, si opus sit, noster populus mortem appetere sit paratus. Imitari enim conantur civēs nostri Romanorum in ea re virtutem, a quibus originem traxere, quos legimus pro communi libertate sæpius summa cum gloria occubuisse. Hujus retinendæ voluntas nos compulit, ut quod natura ipsa suadet, vim vi repellentes, servitutem rejiceremus, rem nostris moribus maxime adversantem. Quod si belluis ratione carentibus a natura concessum videmus, ut corporis salutem, qua possint re tueantur, servitutemque naturali quodam munere horreant; quanto magis viris, ratione, & animi præstantia præditis infixæ salutis, libertatisque debet esse cupido? Et his præcipue, qui longo tempore in libertate consenuerunt. Sua cuique salus cara esse consuevit, at libertas debet esse carissima, sine qua ne vita quidem videtur esse viris bonis, & fortibus expetenda. Etenim cum pluribus de causis bella suscipi soleant, nulla tamen justiora, nulla probabiliora esse possunt, quam quæ geruntur pro defendenda patriæ libertate, in qua domus, liberi, uxores, fortunæ, templa, diuina, & humana omnia continentur. Itaque si ad tuendam adversus appetitum tyrannicum tot sæculis possessam libertatem, non voluntas, sed necessitas nos coegit, non a tua sapientia accusandi videmur, sed laudandi; non a te oppugnandi, sed defendendi sumus; non odio a te aut malivolentia, sed amore, & caritate tractandi. Id enim egimus, quod ad viros fortes, & patriæ amatores pertinere sapientes volunt.

volunt. Id quasi-vimus, ad quod consuetudo, leges, jus gen- 1376
 tium, ipsa naturæ vis, amor patriæ nos hortari, & impellere
 videbatur. Non arma contra tuum statum movimus, sed
 repulimus contra nos mota: non laceessimus bello tuos, sed
 obstitimus lacessenti. Multis injuriis provocati, multis tenta-
 ti (i) dolis salutem nostram tutati sumus: & id quod etiam
 bestiis est innatum, vitæ discrimen aufugimus, & miseram
 servitutem. Tulit anno præterito temporum conditio, ut fame
 premeretur populus noster: ad hanc sublevandam Legatum
 tuum Bononiensem, tamquam benivolam nobis, & amicum,
 sicuti palam ostentabat, summis precibus oravimus, ut ex agro
 Bononiensi, ex Flaminia, quæ loca frumento referta diceban-
 tur, annonam ad nos devehî pateretur. At ea res, quæ illum
 ad pietatem, ad misericordiam, ad subveniendum necessitati-
 bus nostris impellere debuisset, ad crudelitatem, ambitionem,
 impietatemque provocavit. Nam cum palam, quæ postulata
 erant, promisisset, occulte gravi edicto prohibuit aliquod egestati
 nostræ subsidium ferri: malis usus consultoribus, inanique spe
 motus e vestigio adjecit animum per famis occasionem posse
 populum nostrum, si quo insuper bello urgeretur, ad urbem
 ei tradendam compelli. Quod nos suspicantes, hoc ipsum sup-
 pliciter a Sanctitate tua petivimus: idque facile impetratum
 est. At bona verba malum opus est consecutum, & oblata a
 te spes in desperationem versa. Tu ipse optimus es testis,
 litteris te mandasse Legato, ut nostrum populum annona
 mittenda sublevaret. At is spe nostræ civitatis subjiciundæ,
 pro frumenti subsidio armatos in nos misit: pro veteri amici-
 tia nova inimicitia ostentata est: pro copia rerum quæ spera-
 batur, summa nos inopia affligere curavit. Exercitum duce
 Auguto in agrum Pratensem, cum spes esset ejus oppidi per-

H 2. prodi-

N O T Æ.

(i) Multis tentati dolis. a Guilielmo populandum miserat, Pratumque ad defe-
 Cardinali S. Angeli, Bononiæ Legato, qui ctionem sollicitaverat, quod non sine noxa
 Augutum occulte ad Florentinum agrum fieri potuit. Leon. Aret. l. b. 8. Hist. Flor.

1376 proditionem recipiundi, ire jussit, & simul mandatum, ut segetem omnem ex agris nostris raperet, ac pervastaret, quo majori fame populus urgeretur; ut merito dicere possimus nos ab eo pro amore odium reportasse. Non erat hæc spes nostrorum civium, ut eorum libertas fame urgente appeteretur: non eorum erga Romanam Ecclesiam merita postulabant, ut pro beneficiis, quæ multa in Pontifices extiterunt, eis malefici redderentur. Nam quæ major crudelitas, quæ major immanitas esse potest, quam fame, re omnium crudelissima urgere homines ad servitutem? Misericordia, & pietate digni sunt famelici, non impietate, ac crudelitate, etiam adversus belluas improbanda. Ferae bestiae, & immanis asperitas fame domari consuevit: liberi vero populi servitus nequaquam fame est appetenda. Quod si quos misericordia, & pietate uti decet, ad illos potissimum id opus spectat, quos Deus ministros, & opifices misericordiae instituit, qui astringuntur arctius ad obtemperandum summi Dei præceptis majori ex parte in caritatis beneficio constitutis: omnia Dei mandata sunt salutaria, sed nullum tantopere servari jussit, quam caritatem, in qua & misericordia, & legis mandata omnia continentur. Quod est autem majus misericordiae officium, quam cibo famem sedare? Humiliter petentibus cibum dare? Ipsa nos hortatur natura, atque impellit ad beneficentiam, & humanitatem, & ad communem vitam animantium conservandam. Ea efficit, ut non solum deprecantibus hominibus, sed canibus etiam gestu blandientibus præbeatur cibus. Peter aliquis forsitan, nunquid a nobis aliqua in re offensus, nunquid ullo errato nostro, nunquid nostra culpa irritatus contra nos esset Legati animus? nihil minus: summa vigeat inter nos concordia (1), summa animorum conjunctio videbatur, summa ostendebatur benivolentia, neque
 ulla

N O T Æ.

(1) Inter vos concordia. Confœderati Bernabovem, ut jam vidimus in primo librum cum Pontifice fuerant Florentini in libro ..

ulla minor in nos suspitio descendere poterat, quam nostram civitatem ab eo tam iniquis facinoribus esse oppugnandam: primum annona concessa verbo, re denegata est, ut fame destineremur: tum exercitus in nos velut hostis traductus est: oppidi (m) proditio tentata, postremo militibus mandatum, ut messis, quæ adhuc in agris erat, corrumperetur, quæ eo spectabant, ut tamquam iumenta fame domita servitutis jugum subiremus. Hæc tanta pericula cum nobis imminerent, quid agere debuimus Pater Sancte? an cervices præbere nos jugulare cupienti? quod tu nobis, si te consuluissemus, tamquam universorum Patrem, consilium dedisses? Quam nobis salutis ostendisses viam? fame urgetur civitas Florentina, subsidium in te denegatur: ab his quos minime oportuit oppugnari. Crudele id etiam in hoste esset, ne dum in eo, qui se amicum profitetur. Exercitus contra nos destinatur; idest contra eos, qui minime tantum facinus suspicabantur. Hæc immanitas non ferenda. Proditione tentantur oppida nostra, ut propinquo bello defatigaremur. Quæ omnia cum hostis crudelissimi opera existant, nulli dubium est, quin arma pro salute propria sumere cogeremur. Iniqua sunt hæc quæ retuli, & præter officium Deo dicati. Sed quod sequitur multo iniquius. Mandatur duci exercitus (n), ut frumenta ex agris rapiat, ut segetem omnem perdat, quo famis malo coacti Legatum nobis dominum constitueremus. At hæc, tot tantaque etiam adversus barbaros Christi hostes acerrimos essent penitus improbanda. Num hæc igitur adversus nos molita, aut dissimulanda, aut patienda videbantur? non a te Pastore Ovium Christi potius vindicanda? Tu Legati tui cupiditatem insanam, tu dominandi libidinem immoderatam comprimere, tu ignem excitatum extinguere, tu filiorum tuorum libertatem tueri, tu be-

nefi-

NOTÆ.

(m) Oppidi. nempe Prati.

(n) Duci exercitus. Joanni Augusto.

1376 neficiorum (o) erga Pontifices nostrorum memoriam sumere , tu causam eorum vel solus defendere debuisti . Num igitur nos , quos quies , ac libertas a tuo Legatolaceffita , appetita , & procurata est , subimus belli culpam , cum certemus pro patria , pro uxoribus , pro liberis , pro libertate ; an tuus (p) Legatus , a quo malorum omnium initium est profectum ? Certe Sanctissime Pater , si recte advertere , si Vicarii Christi mentem , aut officium sumere uoles , nullam hujus belli in nos culpam referes , nullum nostrum delictum judicabis . Nos quippe paruimus necessitati , quæ etiam desides excitat , atque igna uos ; arma extorsimus de manu odientium nos , ne periclitaremur . At multi ab Ecclesia defecerunt : fatendum idem ; sed superbia id tuorum presidium , & avaritia , qui pro uincis imperabant , quibus nihil nefas esse uidetur , contigit . Neque ii a te , sed a ministris iniquis desciverunt ; quibus si ad nos miseria subleuandos paulum fauimus , nequaquam uidemur errasse : nisi forsitan , qui ultro porrigendum caput censet cum gladio occursanti , aut minitanti ferro tradendam sponte libertatem . Nihil nos contra tuam dignitatem , nihil contra auctoritatem egimus , Pater sancte , nihil contra Romanam Ecclesiam moliti sumus . Tollere quarentibus salutem nostram , auferre libertatem uolentibus , ueluti fræna coniecimus , quibus eorum impetus tardaretur . Suscipe nos igitur tuendos ,
ut

N O T Æ.

(o) Beneficiorum erga Pontifices. Fufe Leon. Arer. lib. 8. Hist. Flor. beneficia enumerat : Florentinos scilicet a Friderico Primo , & Henrico ejus filio armis appetitos , eo quod pro Pontificibus itarent . Idem passos a Friderico II. qui Romam nunquam reuersuros Pontifices dixit , quandiu illis Florentinorum deesset auxilium . Manfredum Siciliae Regem a Florentinis cæsum ad Beneuentum , & hinc Ecclesie pacem restitutam . Addit insuper Ludouico Bawaro Romam vexanti solos pene ex omni Italia Florentinos obstitisse , ejusque Antipapam Petrum

de Corbaria rejecisse , Joannique firmiter adhæsisse . Vide insuper Ammirat. To. 2. lib. 13. p. 697. & Ugol. Ver. lib. 1. de Illust. Flor. Sapeque Sarmatici contempsit Cesaris arma , Pontificum dum Sacra piorum , arasque tuetur Theutonicis obsessa diu Florentia turmis , Exitium frustra minitantem spreuit Osbonē . Compulit infæctis discedere rebus utrumque ; Sic primum , & pariter Federicum inuicta secundum . Ausonia cladem Tuscis dejecit ab oris . (p) Tuus Legatus . Guilielmus Card. S. Angeli , ut supra .

ut filios, Pater sancte, & tuæ pristinae pietatis in mentem veniat. Recordare miserationum, quæ in Pontifice esse debent. Subeat memoria, nos olim contra Imperatores, contra Reges, contra Tyrannos arma cepisse, quibus Romanam Ecclesiam tueremur, & Romanorum Pontificum status a viribus impugnantium validior redderetur. Tibi vero persuadeas oro, nos inuitos ad hoc bellum descendisse, in quo sola libertatis tutandæ ratio quæsita est, idque solum actum, ut patriam defenderemus. Quod si qua nos graviore censura, prout adversarii nostri quærent, ac dictitant, notari voles, feremus æqua mente, quoad facultas erit, & ad illius auxilium confugiemus, qui non deserit (q) in se sperantes, quique oppressorum causas tamquam justus patronus suscipere consuevit. His dictis varium murmur inter adstantes exortum est, partim adversantium (r), partim faventium Florentinis; multi tamen ex majoribus animum Pontificis incendebant, qui cum turbatus indignitate pristina, se contra eos jure acturum respondisset, tum versus ad Christi simulacrum, quod cruci affixum pendeat, Donatus (s), Pro-voco ad te, inquit, omnium Pater omnipotens, qui relictus es iudex, nec falli potes, postquam humana desunt suffragia, testorque nos immeritos iniquo iudicio opprimi. Sed tu veram in extremo iudicio sententiam feres. Multas tandem post disceptationes (t) damnati (u) Florentini, ac extra Christianorum consortium ejecti, interdictumque aqua, & igni,

NOTÆ.

(q) Non deserit in se sperantes. juxta illud: Sperantes autem in Domino misericordia circumdabit.

(r) Adversantium, partim faventium. Advertabantur Galli, favebant Itali omnes, nonnullosque ex adstantibus ad lacrymas Florentinorum oratio compulit.

(s) Donatus. Barbadorus coram Pontifice Orationem his verbis clausit: Respiciat me Deus salutaris meus, adjutor meus esto, ne derelinquas me, quoniam Pater meus,

& Mater mea dereliquerunt me. Ad quæ conversi Gallorum nonnulli ridentes, pedibus tanquam stultum petere ausi sunt. Ammirat. Junior. To. 2. prima partis lib. 13. p. 699.

(t) Post disceptationes. Pontificis Donato respondentis, ut videre est in Leon. Aret. lib. 8. Hist. Flor.

(u) Damnati Florentini. Fusius Rayn. Annal. Eccl. To. 16. Leon. Aret. lib. 8. Ammir. To. 2. lib. 13. Briet. Annal. Mundi p. III. To. 2.

1376 & igni, ipsi quoque, & eorum bona in servitutem, & prædam condonata: qua ex gravi censura id Florentina Respublica consequuta est, ut maximo rerum suarum incommodo, omissis mercaturis quas variis in Regnis exercebant, multisque deperditis (x) bonis, redire omnes in patriam compulsi sint, & multorum amplæ fortunæ amissæ. Avinione insuper, in qua Florentini ultra quingentos negotiandi gratia erant, certa præscripta die jussu Pontificis pulsi. Britones interim a Pontifice conducti, transalpinæ Genuæ Cardinali (y) duce, Alpes transgressi, in agrum Astensem descendunt. Inde Alexandriam, Terdonamque petentes, Ferrariam veniunt, ut magnis itineribus confecti milites curatis corporibus, quæ ad bellum necessaria essent providerent. At Florentini, cum pro explorato haberent, Cardinalis consilium esse Bononiam obsidione cingere, milites haud parvo (z) numero, duce Rodolpho Camerte (a), eo mittunt: qui urbem ingressus, re frumentaria, ac omnibus quæ ad defendendam urbem necessaria videbantur, comparatis, loca quæ facilem in Etruriam aditum hostibus præbere possent, summa ope intercisis itineribus munit. Frumenta ex agris, villisque in oppida comportari jubet. Publicata (b) Florentiæ tam acri Pontificis censura, populorum omnium consuetudine, magis de pace, quam de bello sollicita Civitas ad eam

pro-

N O T Æ.

(x) *Deperditis bonis*. Florentinorum damna refert vitæ Gregorii scriptor. *Gest. Greg. XI. apud Bosq.* relatus a *Rayn. To. 16. Ann. Eccl. Walsinghamus Hist. Angl.* addit Florentinos in Gallia non solum bonis spoliatos, sed Turcarum more in servitutem redactos.

(y) *Cardinali Duce*. Roberto Gebenensi, Genevæ Comitis fratre, de quo supra.

(z) *Haud parvo numero*. Duo equitum millia, & quingentos pedites missos asserit

Girardaccius Hist. Bonon. lib. 25. Duo millia equitum, quorum quingenti a Bernabovæ (Comite Lucio ejus Genero Duce) Bononiam missos refert *Cor. p. III. Hist. Med.*

(a) *Rodolpho Camerte*. Varano.

(b) *Publicata Florentiæ tam acri censura*. Mense Aprili qua urbs a Sacris interdicta fuit, bona civium occupantibus concessa, personæ capientibus jure servitutis traditæ, aliæque, quæ videre erit in *Rayn. Ann. Eccl. To. 16.*

procurandam ad Galliæ (c), Pannoniæque Regia Gallorum (d) stirpe oriundum, Reges, tum ad Johannam Siciliae Reginam Legatos (e) misere. Britones vero, cum Bononiam circumfessissent, sacerdotis unius proditione Montis (f) Georgii castellum capiunt, ac diripiunt: & quo terror ceteris injiceretur, oppidanos omnes, nulla sexus, aut ætatis habita ratione, ad unum interficiunt. Capto oppido, dum apud Bononiam essent, Galli duo data fide in urbem profecti, cum in cœtu militum jactabundi in Florentinos, ut ignavos imbellesque, & in nullius rei usum verbis admodum contumeliosis asperius invecti essent, orta cum adstantibus verborum concertatione, multo insolentius sunt locuti ad provocationem usque desilientes, si qui respondere vellent. Tum Bettus Biffolus Florentinus, & Guido (g) Astianensis fraterna iuncti amicitia in medium prodeuntes se ob honorem, decusque patriæ contra provocantes certaturos profitentur. Die præstituta cum extra urbem ambo in campum descendissent, tandem in aciem prodeunt, in Legati (h), totiusque exercitus conspectu. Biffolus Britonem adversarium ex equo dejecit: inde pedestri Marte ad terram prostratum superat. Legato victi vitam postulanti donat. Idem & Guidonis decus fuit; nam superatum Gallum concessa vi-

I ta

N O T Æ.

(c) *Gallia Rex*. tum Carolus V.

(d) *Gallorum stirpe oriundum*. Ludovicus I. Ungariæ prius, dein Pannoniæ Rex, Caroli Martelli Galliæ Regis ex patre nepos. *Abraham. Barschai Chron. de Reg. Hungaricis* p. 915.

(e) *Legatos misere*. Horum nomina non apponit Ammiratus, addit vero ad Pontificem rursus Legatos missos qui pacem quocunque modo inirent; sed Pontificis explorato infenso animo, re infecta rediisse. Hi autem fuerunt Pacinus Strozzius Eques, Alexander ab Antella, Michael Castellanus. *Ammirat. lib. 13. p. 699.*

(f) *Montis Georgii Castellum*, Bononia

15. pass. mill. distantis.

(g) *Guido Astianensis*. Senensis, & Bettus Biffolus Florentinus jactis in terram galeis, quod Britones antea fecerant, quisque adversario galeam imposuit, quod pro statuti certaminis signo habitum fuit. *Ammirat. To. 2. lib. 12. p. 701.*

(h) *In Legati &c. conspectu*. Legatum increpat S. Antoninus p. 3. tit. 22. cap. 1. §. 4. *cum duellum*, inquit, *sic prohibetur lege non solum Canonica, sed etiam Divina, quia hoc est Deum tentare, ut dicitur 2. q. V. Monomachiam; non catholice, nec iuste Legatus permisit ipsum Duellum, & presens adstitit.*

1376 ta tamquam victoriæ munus Legato largitur . Qua ex re præter verborum actas gratias, dona quoque a Legato egregia, & equi armaque eorum, qui victierant, data. Ita insolentia hostium repressa, & Florentinorum animi in spem erecti. Hoc duellum Redolphi secutum est prudens responsum: nam cum hostes proditione potius, quam prælio urbem tentarent, Redolphus ad omnia pericula propulsanda sollicitus, timensque Bononiensium, quorum animi sunt natura mobiles, parum tutam fidem, intra mœnia se continebat, intentus diurnis, nocturnisque vigiliis, ne qua intestina conjuratio, cujus fama occulta ferebatur, incautum opprimeret. Grave videbatur Legato sua consilia in cassum verti; per caduceatorem igitur Redolphum interrogavit, cur tamdiu otiosus portas non egrederetur: Cui Redolphus suo nomine renuntiari jussit, ideo eum non egredi urbem, ne ipse ingrediatur. Conjuratio (i) autem per unum ex consociis detecta, defectionis auctores capitis supplicio mulctati. Spe omni per fraudem recipiendæ urbis præcisa, Bononiam ab Legato Oratores missi, qui deditioem populo suaderent, pollicerenturque data publica fide, omnium quæ hæcenus patrassent veniam: quod magis ad irritandos animos popularium est actum, quam ut speraret, id quod petebat persuaderi civibus posse. Auditis Oratoribus, tantus amor libertatis retinendæ fuit, ut contempta eorum oratione, quæcunque indigna se passuros potius affirmarent, quam in eorum ditionem redirent, quorum insolentiam, avaritiam, fastidium, arrogantiam, superbiam diutius experti forent. Eo responso indignatus Cardinalis, se non inde antea abiturum minatus est, quam eorum sanguine & manus, & pedes lavisset.

N O T Æ.

(i) *Conjuratio &c. detecta*. die XII. Sept. MCCCCLXXVI. & quinque ex conjuratis, qui portam Cardinali tradere moliti fuerant, Bononiensibus ipsis annuentibus, capite mulctati. *Ammirat. lib. 13. T. 2. p. 703.*

visset. Quæ verba etiam in Phalaride tyranno, aut quo- 1376
vis immani barbaro execranda, & digna odio extitissent.
Irritati, offensique his dictis Bononiensium animi acrius,
diligentiusque tuendæ libertati incubuere. Ita potiundæ ur-
bis desperatione Legatus permotus, ab ea quoque spe de-
jectus posse se in Florentinorum agrum prædatum transire,
saltus (l) enim undique fossis, armatisque occupati erant,
cumque instaret hyems, exercitum in hiberna Cesenam de-
duxit, expectaturus rei gerendæ tempus, & Pontificis vo-
luntatem. Ibi facinus infandum, & in Nerone horren-
dum Legati scelere commissum est: ut nequaquam mi-
rum videatur, oppida Pontifici subjecta a suorum Præsi-
dum crudelitate descivisse. Britones Cesenam ingressi,
tamquam in urbe ex hostibus vi capta, omnia sacra, pro-
fanaque pro libidine diripiunt. Non virginum pudicitia
a militari luxuria tuta erat. Nullus pudori locus, nullum
ætatis, aut sexus discrimen, nulla pietas, nulla venia.
Omnia militari crudelitate, & avaritia agebantur. Ne-
que hæc, cum cives apud Legatum quererentur, ullo jure
coercebantur, sed in dies major sceleribus dabatur licen-
tia. Tandem cum sæva tyrannide oppressa civitas gransan-
tium militum acerbiter ferre nequiret, sumptis armis,
commissoque certamine, Britones (m) magna cum cæde
urbe ejecit. Deinde cum ultionem veriti cives in armis
essent, suasionem Galeotti Malatestæ, jurejurando quoque
Legati confisi, pollicentis se omnis injuriæ oblitum eis ex
animo parcere, cædisque culpam in suos rejicere affirman-
tis, arma deposuere. At is, cui cariora omnia, quam fi-

I 2 des,

N O T Æ.

(l) *Salvus &c. occupati erant.* Timentes enim Britonum adventum Octoviri exercitum 400. lanceis, 200. equitibus, 1000. peditibus auxere; corruerant insuper auro Joannem Malastrettam, & Franciscum Bu-

dam Legati Duces, ne in Florentinorum agrum descenderent.

(m) *Magna cum cæde.* Octingentis obtruncatis.

1376 des, & jusjurandum erant, milites in urbem jussit irrum-
 pere, pœnamque de sociis inique trucidatis a civibus su-
 mi. Hi improvise oppidum nil minus veritum, sed pro-
 missis, sacramentoque Legati fretum ingressi, omnia cru-
 deli, ac miserrima cæde complent; a nulla (n) crudelita-
 te temperatum est. Viri pariter, ac mulieres, pueri, &
 infantes in cunis reperti cæduntur, in vicis, in plateis, in
 domiciliis, in templis sævitum. Sanguis indigna cæde per-
 emptorum manabat undique. Virgines quoque Deo di-
 catae ad supplicium raptæ; matres parvulos complexæ fi-
 lios una cum liberis stratae conspiciebantur, etiam super
 altaribus pueruli, qui eo confugerant, interempti. Non
 Sagunti (o) excidium crudelius fuit: ad unum omnes,
 nisi qui in primo (p) tumultu ex urbe effugerant, fœda
 morte perierunt. Occisorum (q) numerus ad quinque
 millia traditur fuisse. Legati quos ad Pontificem missos re-
 tulimus, infecta pace redierunt, minante Pontifice se ad eos
 castigandos in Italiam venturum, sumpturumque de ho-
 stibus supplicium, qui tam inique Romanam Ecclesiam
 propria hereditate spoliassent. Necessaria Reipublicæ de-
 fensio cum civibus videretur, prorogatum (r) Octoviris
 imperium est, jussique, ut e Republica censerent, forti ani-
 mo de pace belloque agerent: qui cognito rursus infesto
 Pontificis ad bellum animo, signis militaribus constitutis,
 in

N O T Æ.

(n) *Annulla crudelitate &c.* de qua S. An-
 toninus p. III. tit. 22. *nedum Prælatum Ec-
 clesiasticum vices tenentem Vicarii Jesu Christi,
 sed Herodem, & Neronem dedecuisse tam sa-
 va, scelestaque vindicta.*

(o) *Sagunti excidium.* Ab Annibale di-
 rutum, incolis omnibus igne ferroque ab-
 sumptis. *Tit. Liv. Dec. 3. lib. 1.*

(p) *Primo tumultu effugerant.* Angli. ra-
 pinæ potius quam cædis cupidi Cælenates

ut se a Britonum ira eriperent, hortati sunt.
S. Ant. p. III. tit. 22. cap. 1. §. 4.

(q) *Occisorum numerus &c.* Tantæ cædis
 culpa Galeotto Malatestæ etiam inferenda;
 sperans etenim se urbe civibus vacua faci-
 lius (ut accidit) positurum, milites conti-
 nere noluit. *S. Anton. ibid.*

(r) *Prorogatum Octoviris imperium.* qui
 vulgo *gli Otto Santi* appellabantur.

in quibus ad communem exhortationem omnium, qui se dignos libertate judicarent, libertatis nomen inscriptum erat, ea Redolpho duci, cujus opera (f) egregia ante fuerat, summo populi consensu dedere. Pontifex interea mentem in Florentinos hostilem gerens, mare ingressus (t) classe, quæ adverso vento in varia loca dispersa est, post quartum ex quo Massilia solverat mensem Cornetum (u) appulit. Inde per ostia (x) Tiberis in urbem inventus est. Eo rursus Oratores (y) a Florentinis ad componendam pacem missi, cum frustra omnia tentata renuntiassent, summis utrinque viribus necessaria ad bellum parantur. Vulsinenses (z) primi post adventum Pontificis, signum libertatis secuti opera Johannis Præfecti urbis rebellant. Augustus interea cum quatuor millibus hominum cum Florentinorum, ac Bernaboyis pollicitationibus, tum pecuniis (a) allectus ad eorum partes transit,

1376

1377

EX

N O T Æ.

(f) Opera fuerat ante egregia. nempe in Bononia defendenda.

(t) Mare ingressus Pontifex. Paratis in Rhodano una & viginti triremibus, alio iter simulans, ne a Gallis (queis Pontificis curia emolumento erat) detineretur, die XIII. Sept. MCCCLXXVI. Avinione discessit, Januamque appulit XVIII. Octobris. *Plar. Ammirat. & Ubert. Fol. Hist. Gen. lib. 8.* ubi etiam ejus navigatio describitur foeda tempestate, multorumque naufragio miseranda. Itinerarium Greg. fufius descripsit *Petrus Amelius Aleſtensis Episcop. Senogal. & Rayn. Ann. Eccl. To. 16.*

(u) Cornetum appulit. post quartum, quo Massilia solverat, mensem, & Natalis Domini festum ibi celebravit. Sic *Rayn. ibid.* Anconam appulisse, non vero Cornetum nonnulli referunt, quos confutat *P. Eldovinus*. Inde erratum existimo, quod Pontifex triremem Anconitanam conscenderit, ut scribit *Julianus Saracinus Histor. Anc. p. II. l. 9.*

(x) Per ostia Tiberis, Corneto solvit

Pontifex XIII. Januarii MCCCLXXVII. Ostiamque delatus per Tiberis alveum XVII. ejusdem Mensis Romam Pontificiam sedem retulit post ann. LXX. & duobus mensibus queis in Gallia exularat. *Ciaccon. in Greg. XI. Romam ingredientis pompam accuratis sed incomptis versibus describit Petrus Amelius, seu Æmilius Aleſtensis Senog. Ep. apud Masſon. de Rom. Pont. lib. 6. & apud Rayn. To. 16. Ann. Eccl. p. 551.*

(y) Oratores. Pacinus Strozzius, Alexander ab Antella, & Michael Castellanus, qui Avinionem eum adierant.

(z) Vulsinenses. vulgo *Popoli di Bolsena*. Vulfinium urbs est ex 12. primis Thulcorum Colonia. Cum in Pontificiam ditio- nem concessisset, patrimonio Sancti Petri addita est. *Brietius Paral. Geog. append. ad Fo. 2. & de his populis Juven. Sat. 3.*

Aut positis nemorosa inter juga Volseniis, aut Simplioibus Gabiis, aut prona Tiburis arce.

(a) Tum pecuniis allectus. stipendia enim 250. Florenorum millia a Florentinis oblata.

1377 ex quo sociorum opes adauctæ sunt. Redolphus (b) vero, qui exercitui præerat, vir, ut ipsemet fatebatur, mobilis animi, Fabriani oppidi recipiendi spe injecta transitionem fecit. Qua ex re, ut moris est eorum, qui fidem frangunt, capite inverso Florentiæ publicis in locis depictus (c) est. Is sumptis a Pontifice Britonibus, in Piceno eos, qui Florentinorum partibus favebant, persecutus est. Ad ea loca missus Lucius Germanus Comes, ut sociis opem ferret, acie instructa Redolphum superavit, qui victus salutem fuga petens, ferme solus Tolentinum (d) pervenit. Capti ex ejus exercitu ad mille hominum sunt: ducenti interfecti. Signa militaria complura ex hostibus capta, Florentiam delata. Gregorius, quod viribus, aut consilio desperabat, assequi astu, calliditateque se consecuturum putans, Florentiam Oratores (e) misit, tentatum si quo modo posset, quod vi nequiverat, civili fieri dissensione. Quo postquam venire, cum sibi mandatum dicerent, ut ad Populum verba facerent, data magistratuum omnium, & primorum, qui plurimi convenerant, concione, longo sermone paternam benivolentiam, singularemque caritatem, quam Pontifex in Florentinum populum habuisset, explicarunt, quem certe nosset nunquam declinasse a summorum Pontificum voluntate: *Scire se non civitatis culpa quod vigeret, bellum exortum esse, sed quorundam (f) opera, quibus magis discordia externa,*

N O T Æ.

(b) Redolphus vero. Varanus Camertes a Florentinis ad Pontificem defecit. Ad hoc forte inductus, quod cum Fabrianum cepisset, privatiq; juris facere vellet, Florentini prohibuerunt, ut refert *Leon. Aret. Hist. Flor. lib. 8.* Vel ex eo motus ad desciscendum, quod Florentini Augustum ad sua stipendia evocassent, eique magis blandirentur, unde invidiæ causa. Sic *Scipio Ammir. lib. 13. Hist. Flor. p. 705.* Aurum quoque Pontificis plurimum apud illum valuisse

credendum.

(c) Depictus. & Civitate qua donatus fuerat, privatus. *Leon. Aret. lib. 8. Ammirat. p. 1. Tom. 2 p. 705.*

(d) Tolentinum. Urbem Piceni, nunc Marchiæ Anconitanæ.

(e) Oratores. Religiosos Viros, quorum unus ex S. Augustini, alter ex Fratrum Minorum familia. *Ammirat. p. 1. To. 2. l. 13.*

(f) Sed quorundam opera. nempe Octovirum di Balia.

na, quam pax, & quies civium quaestui esset; non publicam, 1377
 sed privatam quæri utilitatem, & qui bello gerendo præfecti
 essent, ab his bellum per privatum commodum trahi, impedi-
 rique pacem, quæ facile componi posset, si per illos liceat, qui
 libertatem verbo præferentes, re vera in servitute cives te-
 nere velint: nunquam defuturam bellorum materiam, dum
 suas opes ex aliorum calamitate auferent: multos esse, qui li-
 bertatis specie, quæ dictu pulcherrima videatur, non liberos,
 sed servos esse cupiant cives suos: non bellum, non arma,
 non seditionem, non eorum servitutem a Pontifice quæri, sed
 pacem, concordiam, otium, cum his præsertim, quos non vo-
 luntas, sed potentiorum timor inuitos ad arma compulisset:
 cupere Pontificem, ut qui materiam bello subministrant, ad sa-
 nam redeant mentem, & ut civium saluti quandoque con-
 sulant: offerre se pacem quacunque velint conditione; proinde
 uterentur in decernendo illa, pro qua se pugnare dicerent liber-
 tate: & ad Parentem, qui passis manibus, & grato animo
 eos sit recepturus, redire velint, & pace oblata frui: belli
 suasores ab eis esse rejiciendos, neque permittendum, ut per
 continuationem (g) magistratus potentiorum animi irritentur
 ad opprimendum Populi libertatem; eo enim modo facile in ty-
 rannidem, ut sæpius multis contigit, descendi posse, quam non
 solum non cupiat, sed maxime horreat Pontifex. His dictis
 decreto publico responsum est Oratoribus: Florentinos sem-
 per summa fide erga Romanos Pontifices extitisse, obser-
 vantiam eorum in Romanam Ecclesiam nunquam sua culpa ad
 eam diem intermissam. Beneficia variis in rebus, & tempe-
 statibus in illos collata commemorata sunt: belli culpa in suos
 relata Præsules, qui ad Italiam missi ambitione, & tyranni-
 de aestuarent. Iniquitas eorum, cupidoque dominandi insana,
 & simul

NOTÆ.

(g) Per continuationem Magistratus. Octo-
 virum, quibus toties prorogatum impe- p.706.

1377 & simul illorum injuriæ ad id tempus explicatæ. Ingratus illorum animus etiam patefactus est, qui tot immemores beneficiorum, per simulationem, ac dissimulationem Florentinos velle pessundare manifesto sint deprehensi. Necessario eos pluribus injuriis, dolisque (h) provocatos ad Rempublicam defendendam cepisse arma, id absque eorum damno, qui bellum excitarint, haudquaquam fieri potuisse: quæ res si molestæ Pontifici foret, non sua qui pacem semper appetissent, ac postulassent, sed suorum Præfectorum causa accidisse. Rogare eos, deprecarique, ut Pontificem ad pacem hortarentur, quam, si æqua daretur, nunquam se recusaturos testati sunt. Reversis Romam Legatis, quæque egerant expositis, irritatus Pontifex, cui minime ejusmodi consilium (i) cessisset, quotidie indignationis animi edebat signa, tum sententias in Florentinos populorum auribus replicando, tum movendo, ac sollicitando Italiæ urbes, ut publice eorum cives expellerent; quarum plurimæ suis decretis, quoniam iniqua videbantur, minime paruerunt. Vulfinienses interim, qui post defectionem in societatem venerant, quorundam oppidanorum prodicione a Britonibus capti, omnis generis præda in avaritiam militum concessa, magis quam hostili odio cruciantur. Stupratæ mulieres virginisque, viri in captivitatem ducti, ædificia incensa, mœnia everfa sunt. At in Gallia Galeatius Bernabovis frater, urbem Vercellas (l), quam in Pontificis potestatem ante bellum redactam scripsimus, a Gregorio data pecunia recepit;

N O T Æ.

(h) Dolisque provocatos. ut sæpius diximus a Guilielmo Cardinali S. Angeli, Bononiæ Legato, qui frumenti inopia laborantes, tametsi antea promississet, non sublevavit, sed in eos dolose Augutum ad mensis devastationem misit.

(i) Ejusmodi consilium cessisset. discordias ferendi populumque in Octoviros irritandi.

(l) Vercellas &c. data pecunia recepit. Nullatenus pecuniam dedisse Galeatium ait Corius p. III. p. 194. sed cum Vercellis potiri Sabaudia Comes tentasset, Joanne Flisco Vercellensi Episcopo per fraudem in vincula coniecto, indignantes cives Galeatium ad urbis imperium advocasse.

cepit ; quod in Bernabovis contumeliam propter fœdus cum Florentinis initum, factum esse omnes arbitrati sunt. Pontificis in Italiam adventu non solum non auctæ sunt, sed ejus diminutæ vires. Crudelitas Britonum, quorum barbaries sanguine humano grassabatur, multos ad defectionem in Piceno excitavit. Ad has Florentinorum ulciscendas injurias Pontifex Ramundum nepotem contra eos cum parte exercitus per agrum Senensem maritimum ire jussit, qui castris positus Grossetum, quod præsidio valido tenebatur, diutius oppugnavit. Verum cum Augustum auxilio illi adventare præsensisset, tanti Ducis timore motus, relicta oppugnatione, retrocedens ex Senensium finibus discessit. Augustus vero Perusiam cum exercitu contendens, agros propinquos hostili more populatur. Inter hæc Ananiam urbem Campaniæ ad Pontificem tertio Legati missi, quærentes si quo modo cum eo de pace agi posset: cum multis dictis, tentatisque, re infecta reversi Florentiam, retulissent, mentem Pontificis a pace averfam, intentamque bello; communi consilio obsistere tam iniquo hosti decernunt. Octoviris in annum pacis, bellique gerendi imperium prorogant, stipendio (m) insuper, & supplemento exercitus summo studio intendunt. Cum infensa Pontificis mens acriter nimium Florentinos persequeretur, observatæ autem ad eam (n) diem ejus essent censuræ, sententia omnium fuit, ut nulla auctoritate ejusmodi haberentur Interdicta, sed palam omnibus in locis sacris cerimoniarum pristinus servaretur cultus. Tepeſcē-

K re

N O T Æ.

(m) *Stipendio insuper &c.* Pecunia exhaustos Florentinos a Clero Civitatis, Diœcesisque Florentinæ auri vim magnam extorsisse, & Ecclesiasticorum bona publicasse, ut bellum in Pontificem gererent, refert Rayn. Ann. Eccl. To. 16. p. 543. Sacros etiam apparatus venditos addit Corius p. III.

(n) *Ad eam diem.* Ad menses decem, & septem censurarum jura inviolata fuerant. Sed XXII. Octobris die Ecclesiasticis omnibus indictum, ut priori intenderent cultui, poenæque pecuniariæ absentibus Episcopis intentatæ. Scip. Ann. Hist. Flor. p. I. To. 2. p. 709.

1377 re enim erga Deum pietas videbatur , si supplicationes , & sacra negligenterentur; neque iniquas sententias adeo vrendas dicebant , ut Christi fides ablegari ex hominum mentibus videretur: parendum esse Pontificum censuris , cum illius præcepta , ac vestigia sequerentur , cujus in terris Vicarios esse profiterentur . Non enim de Religione , sed perfidia injuriisque Pastorum Ecclesiæ certamen esse . His rebus cognitis Pontifex , cum victoriam desperasset , remissa paulum acerbitate animi in mitiorem sententiam conversus , paci quærendæ animum adjecit , missoque Oratore Florentiam Urbinatæ Episcopo , se ejus componendæ arbitrum lecturum ait Bernabovem eorum socium . Non caruit ea Bernabovis nominatio suspitione fraudis dolique , qui subesse videbatur . Multi periculosum putabant fore tantam rem credi homini ambitioso , & nuper hosti , quem non erga ipsos benivolentia , sed odium in Pontifices ad coeundam cum Florentinis societatem coegisset . Dubitabatur , ne & Pontificis gratiam vel iniqua pace inire , & Florentinorum opes debilitari , ut suæ auferrentur , vellent . Multi quoque in posterum providentes suspicabantur , non pacis cupiditate , sed ut Bernabovis voluntatem sibi conciliaret , eum virum belli componendi auctorem lectum , & videbatur haud dubia suspitio apud illos qui habebantur prudentiores . Sed cum veluti certa spes pacis fesso bellis populo ostenderetur , & Bononienses (o) , quorum gratia magna ex parte trahebatur bellum , armis positis in gratiam Pontificis rediissent , omnium

N O T Æ.

(o) *Bononienses &c.* Primores Raspantis factionis Pontifici inensos Bononiensis Populus ad concordiam evocatos partim ferro absumit , partim in vinculis habet . Inde Joannem de Lignanis , Ugolinum Gallucium , & Sanctum Danetium una cum Francisco Foscarara mercatore ad Pontificem de pace mittunt , quæ Guidonis Monachi opera constituta est . *Gerardacius Hist. Bon. lib. 25. p. 363.*

mnium animi (p) in ejus quoquo modo quærendæ curam 1377
 conversi sunt . Igitur missi ad Bernabovem Legati , qui
 peterent , ut ejus statuendæ auctor esse vellet , Serezanum
 (q) eum perduxerunt , quo , & Cardinalis (r) Ambia-
 nensis appulerat Pontificis Legatus . Convenerunt eo Gal-
 lorum Regis , ac Johannæ Reginae , Venetorumque , ac
 Florentinorum concordia firmandæ gratia Oratores . Pa-
 cis conditionum , quæ Florentinis graves admodum vide-
 bantur , & bello deteriores , auctor Bernabos dicebatur ,
 ut sociorum damno receptum ad Pontificis gratiam , cujus
 antea hostis fuisset , haberet . Petebantur inter cetera octin-
 genta florenorum millia , quæ ob sumptus in id bel-
 lum factos Pontifici darentur ; horum altera pars a Flo-
 rentinis , altera a sociis danda erat . Multa præterea adj-
 ciebantur , quibus palam erat Bernabovis animum haud
 recta sentientem partibus Pontificis favere , quæ quamvis
 aspera , ac difficilia civibus essent , pacem tamen bello &
 iniquis conditionibus præferendam plures censebant . Erant
 frequentes excubiæ , dum hæc agerentur , ad portam (s)
 civitatis Pisanam , expectantes noctu siquid ab Oratori-
 bus afferretur . Ad sextum kalendas Aprilis anni octavi ,
 & septuagesimi supra mille trecentos , hora noctis secunda ,
 pulsata (t) magno impetu porta , cum peteretur , & quis 1378
 esset , & quidnam afferret novi ; ut aperirent quam primum

K 2 respon-

N O T Æ .

(p) *Omnium animi* . Mirum quidem ad id inductos in Pontificem adeo efferatos animos , ut B. Catharinam Senensem pacem eum Pontifice jam suadentem pene obruerint , gladium ignemque minitati , licet pro Florentinis ad Pontificis animum leniendum Avinionem usque pergere non recusaverit . *S. Anton. p. III. tit. 23. p. 24. §. 16. Rayn. To. 16.*

(q) *Serezanum* . Urbs in limine Liguria prope ostia Macræ fluvii , quæ Bernabovi parebat .

(r) *Cardinalis Ambianensis* . Othio Brunisincensis . *Cor. p. III.*

(s) *Portam Civitatis Pisanam* . unde Pisanam iter , sancti Friani aliter appellata .

(t) *Pulsata magno impetu porta* . Hoc ab antiquo historico confictum suspicatur , nec immerito *Scipio Ammirat. To. 2. lib. 13. Hist. Flor.* atque ex eo arguit , quod ille referat eodem die XXVII. Martii urbis portam pulsata , Avinione Pontificium Palatium pene medium combustum , a mercatoribus Florentinos de Gregorii morte admonitos ; sed postea sui immemor secum ipse pugnet , narretque Pontificem die VIII. Aprilis decessisse .

1378 respondit, quoniam civitati salutaria, & olivum victoriæ infigne deferret. Referata statim porta, vigiles inter se vociferantes prospera allata, olivum advectum, pacem factam esse; neminem qui id dixerit invenerunt. Hæc verba paulatim per loca portæ propinqua, deinde per urbem confestim vulgata, adeo mentes hominum excitarunt, ut domo exeuntes, congratulantesque invicem pacem firmatam, accensis in signum lætitiæ ignibus, nullo certo auctore moti festam noctem agerent. Ibant plurimi ad summum magistratum sciscitantes, nunquidnam advenisset certi, & unde hæc prodisset fama; nullo nuntio præter verba portam percutientis invento, domum quisque, spei tamen plenus rediit. Eadem postmodum (u) hora, dieque compertum est, Gregorium excessisse e vita, cujus mortem pax subsecuta est. Hoc, quod loco miraculi habetur, sæpius accidisse, ex antiquis historiis compertum est. Ego autem (x), qui Romæ ad secreta Johannis XXIII. Pontificis eram, idem contigisse verum testimonium ferre possum. Bellum vigeat (y) inter ipsum, & Ladislaum Apuliæ Regem, miseratque suas, tum equitum, tum peditum copias cum Ludovico Andegaviæ Duce, quem Siciliae Regem declararat; contra Ladislaum; quæ cum flumen (z) Lyrim (id eo loci Pontificis terras a regno dirimit) transissent, castraque prope Pontem curvum
in

N O T Æ.

(u) Eadem postmodum hora dieque, &c. nempe ad sextum kal. Aprilis. sic *Brier. Ann. Mundi part. III. To. 2. Plat. in Vita Greg.* quinto kal. ejusdem mensis. Alii vero pene omnes auctores die XXVII. Martii occubuisse restantur. Sic *Ciacon. Panvin. Girardacius, Seth. Calv. & Rayn. To. 16.* qui nonnullos alios id sentientes adnotat.

(x) Ego autem qui Roma ad secreta &c. In Poggii vita quadraginta annis Pontificum a

secretis Poggium fuisse diximus, ut & ipse *Invest. 3. contra Philolph.*

(y) Bellum vigeat. Ann. MCDXI. in Ladislaum, quem uti Angeli Corrarii fautorem Joannes XXIII. Siciliae Regno privarat. *Rayn. Ann. Eccl. To. 17. & Theod. Niemus in vita Joannis XIII.*

(z) Flumen Lyrim. Campania, juxta cujus ripas Ladislai copiæ profligatæ.

in Aquinatis agri finibus posuissent : Ladislaus vero cum 1378 exercitu obviam profectus castra ex propinquo metatus esset, commissa postridie ante meridiem pugna, Ladislaus magna suorum strage pluribus amissis, aut captis victus fugatusque (a) est: quæ victoriæ eadem hora Pontifici Romæ nuntiata est. Nam cum pranderet, secretiorisque cubiculi porta gravi ictu sæpius percussa esset, admiratus vero Pontifex hominis temeritatem, quisnam esset, petitum misisset, apertis foribus, humana effigie vir adstans Johanni referri iussit Ladislaum victum, fuscum, ac fugatum esse. Re ad Pontificem delata, iussusque intrmittere hominem, cum ad portam rediisset, neminem comperit; petens nominatim ex janitoribus, qui ædium fores observant, quisnam ingressus esset, neminem omnino se vidisse responderunt. Illa & postridie hora certior Pontifex factus est suos commisso prælio victoria potitos. Triduo post diffusam pacis famam Gregorii morbus vesicæ (b) dolore contractus litteris nuntiatus, primum ut Oratoribus mandaretur effecit, ne pacem firmarent, verbisque tempus protraherent: quod Bernabovis animum maxime ad iram promptum propemodum incendit; tum illius obitus significatus, Bernabovem, ceterosque (c) ad proprios quenque lares re infecta redire coegit. Electus in Pontificem Urbanus (d) Sextus, nullo

N O T Æ.

(a) *Fugatusque est.* Et pene captus, ni fuga Rocaficcam vicinum castrum altissima in rupe positum pervenisset. *Leon. Aret. lib. 8. Hist. Flor. Collen. Hist. Neap. lib. 5.*

(b) *Vesica dolore.* seu *male di Pietra*, ut *Leon. Aret. lib. 8. Hist. Flor.*

(c) *Ceterosque ad proprios quenque lares.* Quos inter Cardinalis Ambianensis una cum Narbonensi Episcopo Pontificis consanguineo, qui Serezanæ de pace acturi

convenerant, Romam ad novi Pontificis electionem se contulerunt.

(d) *Urbanus Sextus.* Antea Bartholomæus Butillus Archiep. Barenensis Neapolitanus. *Brier. Ann. Mundi par. III. To. 2. Plat. de Vit. Pontif. Rayn. To. 17. Ann. Eccles. Scip. Ammirat. p. I. To. 2. lib. 13.* additque fuisse Bartholomæum a Perignano, ita nuncupatum ab oppido Perignano Pisanae ditionis, unde ejus avus originem duxerat.

1378 lo odio in Florentinos usus. Sublatis Gregorii (e) censuris, solutioneque (f) non parva pecuniæ infra certum tempus promissa, qua postmodum Alexander (g) Quintus Pontifex in Pisano Concilio illos donavit, pacem eis æquis conditionibus dedit. Quieta ab externis bellis civitate, pax in dissensiones domesticas versa est. Nam civiles discordiæ e vestigio civitatem invadere: quæ pestis omni externo bello perniciosior est; inde enim & Rerumpublicarum interitus, & urbium sequitur everfio. Ferebatur a multis id divino iudicio fieri, quo civitas hostis Pontificum, & belli impii auctores plecterentur. Alii Rerumpublicarum mores, naturamque aserebant, ut civili quandoque dissidio vexentur: neque mirandum esse, id Florentinam urbem passam, quod maximis (h) quondam Rebuspublicis accidisset. Duodecim (i) ferme anni inter Gregorii mortem, & initium primi belli, quod cum Johanne Galeatio Virtutum Comite gestum est, intercessere: in quibus raro ab intestinis discordiis cessatum est. Quatuor ferme annos vario Reipublicæ statu cives conflictati sunt, multaue (l) cum cæde civium, tum

exi-

N O T Æ.

(e) *Sublatis Gregorii censuris*. Legatos sex veniam petentes Romam ad Urbanum miserant Florentini; Pontifex vero Simeoni Volaterranensi Episcopo, & Francisco ab Herbano ex S. Augustini familia censuræ tollendæ facultatem dedit, de quo gratiæ Deo actæ Florentiæ die XXIX. Octobris. *Ammirat. ibid.* Prædictam fuisse a Christo S. Catharinæ pacem, illique inhibitum ne Florentia, pace infecta, discederet, refert *Raymundus Capuanus* in ejus Vita.

(f) *Solutioneque non parva pecuniæ*. 150. Florenorum millibus Florentini mulctati, ut *Ammirat. lib. 14.*

(g) *Alexander Quintus*. Ex eo putandum Florentinos solutione liberatos, sive quod pro Pontifice in Ladislaum arma laturus se promississent; sive quod armis suis Paulo Ursino conjunctis Romam Alexandro restitissent. *Ammirat. Hist. Flor. part. I.*

To. 2. lib. 17. Rayn. Ann. Eccl. To. 17.

(h) *Maximis quondam Rebuspublicis*. Romanæ præsertim, quæ civilibus discordiis tandem everfa.

(i) *Duodecim ferme anni a morte Gregorii*. Mors Gregorii incidit in annum MCCCLXXVIII. bellum cum Virtutum Comite inceptum MCCCLXXX.

(l) *Multaue cum cæde civium*. Horum præcipui capite mulctati fuere, Petrus de Albicis, Jacobus Sachettus, Cyprianus Mangionus, Bartholomæus Siminertus, & Donatus Barbadorus, cujus in Florentinos merita superius narravimus. *Scip. Ammir. lib. 14. p. 747.* Quibus adjunctos fuisse Thomam Strozium, & Benedictum de Albertis asserit *Leon. Aret. lib. 9. Hist. Flor.* Philippum vero de Cosis, Rubeum Riccium, Gregorium de Cardinalibus aliosque nobiles plebejo impetu occisos.

exilio (*m*) res transacta. Nam tum optimates (*n*), tum 1379
 plebs infima, tum mixti ex omni civitatis ordine urbem
 regebant: donec composito in melius rerum statu civitas
 certo regendi ordine quievit. Illud vero animadversum
 memoratu dignum, seu justum, seu injustum cum Gre-
 gorio bellum susceptum fuerit, Octoviros, qui bello ge-
 rendo præfuerunt, parvum infra tempus post illius mor-
 tem defunctos (*o*) esse omnes, genusque eorum (*p*) ma-
 jori ex parte deletum. Convenerant post factam pacem
 in Umbria, Picenoque agro ad sex millia hominum mi-
 litarium, in quis Carolus (*q*) Bernabovis filius, & An-
 tonius (*r*) Scala, pulsus patria erant, ad belli societatem
 egestate compulsi, qui ex bellis præteritis otiosi supere-
 rant, prædæ, & latrociniis intenti. Hi communes o-
 mnium hostes, cum singulis civitatibus adversarentur, Pe-
 rusinos, Cortonenses, Senenses populati ad redimen-
 dam

N O T Æ.

(*m*) *Tum exilio.* 31. cives ab urbe di-
 missi, aliique 36. absentes ad iudicium vo-
 cati; sed cum minime paruissent, bonis spo-
 liati & in exilium missi sunt. *Ammirat. lib.*
14. p. 733. Melchior Stephanus 76. civium
 nomina enumerat, quorum 53. Florentia
 pulsi, ceteri pecunia mulctati.

(*n*) *Tum optimates, tum plebs infima.* Sor-
 tis ultimæ Confalonarius electus Michael
 Lando. Priores vero Joannes Capponius
 lanarius, Leonardus Franciscus, Silvester
 Campiobesus, Joannes Bartolus, Silvester
 Joannis, aliiq; ab Ammirato relati artifices
 fellularii. Creati deinde a populo 64. equi-
 res ex optimatibus, duobus tantum plebejis
 immixtis. *Ammirat. lib. 14.*

(*o*) *Defunctos esse omnes.* Quid mirum,
 cum pene omnes senes essent?

(*p*) *Genusque eorum majori ex parte deletum.*
 Joanes Magalottus ann. MCCCLXXVII.
 sine filiis defunctus. *Ur Joann. Baptista Ciai.*
in suo MS. Andreas Salviatus anno circiter
 MCCCLXXXVIII. extinctus, ejusque
 familia cum eo collapsa. *Istor. Geneal. fam.*
Salv. MS. apud Can. Thomam Salviatum.
 Joannes de Mone ab exulibus Florentinis

Aretii occisus, successoribus caruit. *Mem.*
hist. Nicolai Rodulph. MS. apud Can. Ghirar-
 dinum. Andreæ de Bardis incertus exitus;
 certum tamen, illum sine prole decessisse.
Nic. Rodulph. ibid. Simon Perrucius Maga-
 lotto iussus (qui ann. MCCCLXXVII.
 occubuerat) nec ex se, neque ex fratre ma-
 sculam prolem reliquit. *Alb. Geneal. Bern.*
Benr. Arch. Segr. Hetruria Principis. Reli-
 quorum familiæ, nempe Guccii Guccii,
 Matthæi Soldi, Joannis Dini, & Thomæ
 Strozzi diu perdurarunt, quorum aliquæ
 nostra quoque ætate florent.

(*q*) *Carolus Bernabovis filius.* Bernabo-
 ve a Galeatio in captivitate redacto, Ca-
 rolus, Crema, Parma, aliisque quæ illi
 paterna divisione obvenerant locis spolia-
 tus, Mediolano quoque pulsus fuit. *Angeli*
Hist. Parm. lib. 2. p. 201.

(*r*) *Antonius Scala.* a Francisco Carra-
 riensi una cum Brunoro captus, ac in Mon-
 tis Silicis arcem custodiendus missus fugam
 arripuit, ac patria exul latronum more in
 omnium agros irrumpit. *Hieron. Corte To. 2.*
lib. 13. p. 248.

- 1385 dam (f) pacem compulere. Data est quoque a Florentinis haud parva pecunia, ne suos fines vastarent. Verum cum gravius instarent, multosque in dies terrerent minis, inter Galeatium (t), Florentinos, Bononienses, Lucenses, Senenses, Perusinos pro communi adversus hos prædones salute novum foedus est initum, edito decreto, quibus sumptibus, quibusve copiis imperium tutarentur. Exercitus dux Bartholomæus (u) Severinas vir prudens, & rei bellicæ expertus declaratus est: militaria exercitus signa
- 1386 anno sexto, & octuagesimo post mille trecentos nomen (x) pacis litteris aureis in vexillis scriptum esse voluerunt.

POG.

N O T Æ.

- (f) *Ad redimendam pacem*. octo florenorum millibus. *Ammirat. To. 2. lib. 15.*
- (t) *Inter Galeatium &c.* kal. Septembris in Vico Lignani Mediolanensis ditionis ad quinquennium foedus firmatum. Foederis conditiones videre est apud *Mala. vol. 9. Hist. Sen. Gerard. Hist. Bon. To. 2.*
- lib. 25. & *Ammir. To. 2. lib. 15. p. 775.*
- (u) *Bartholomæus Severinas*. hoc est Bartholomæus Smeduccius a Sanseverino. *Pompejus Pellinus Hist. Per. p. 1. lib. 9.*
- (x) *Nomen pacis &c.* non libertatis, ut in bello contra Gregorium XI.

POGGII BRACCIOLINI
FLORENTINI
HISTORIARUM
FLORENTINI POPULI

LIBRI TERTII

EPI TOM E.

Ioannes Galeatius Vicecomes Bernabovem patrum dolo circumventum veneno absumit, Mediolanique dominatum occupat. Veronensem, ac Patavinam ditionem, dominis expulsis, suo adjungit imperio. Orto Florentinos inter, & Senenses bello, his favens Galeatius in Florentinos arma convertit; sed ab iis repulsus sua defendere cogitur, magnisque modo adversa, modo variantis fortune casibus agitur. Genuensis Ducis opera pax constituitur. Notum postmodum insurgit bellum, Mantuanoque in agro pessime Vicecomes habetur. Cum Florentinis Veneti fœdus ineunt, quorum opera induciæ cum Vicecomite in decem annos factæ. Pisa a Galeatio magna auri vi emptæ. Perusia Senæque ab eo cum multis Hebruriae locis occupatæ. Robertus Imperator in Italiam a Florentinis evocatur, qui adversa fortuna usus in Germaniam revertitur.

1386

Quietis tum (a) a bello, tum a civili dissensione (b) civibus, Reiquepublicæ statu rite composito, pacem totius ferme Italiæ Johannes Galeatius turbavit, qui tum Virtutum Comes, tum Tyrannus appellabatur, quoniam nullo jure Mediolani, ceterarumque Galliæ urbium, quas Vicecomitum familia paulo ante possederat, imperium tenebat: hujus ambitio nimia, & imperandi libido bellum contra Florentinos excivit gravissimum omnium, quæ civitas antea pro libertate susceperit. Nam & cum tyranno præpotente res ei fuit, & in duodecim (c) annos summis utriusque viribus bellum protractum. Urbs quoque id temporis florebat viris egregiis, opibusque, neque in gerendo bello animus, aut consilium, aut pecunia deerat; de quo priusquam scribere aggrediar, paulum ab instituto digrediendum videtur, quo vita moresque Johannis usque ad belli primordia recenseantur. Solus cum (d) Bernabove patruo Mediolanum tenebat Galeatius, urbesque omnes a patre relictas. Timebat autem illius potentiam, filiorumque (e), qui plurimi erant ætate adulta, & paternas urbes regebant. Quapropter suspicionem ampliora cupiendi simulato metu fugiens (f), tamquam rerum humanarum pertæsus humilitate vitæ, rerum contemptu, veste vili, victu haud sumptuoso, boni viri, & fortunæ bona

con-

N O T Æ.

(a) *Quietis tum a bello.* Quod ad Aretium recuperandum gesserant Florentini, ut Leon. Aret. *Hist. Flor. lib. 9.* recuperatum autem est 40. millibus aureis Conciaco solutis. *Ammirat. To. 2. lib. 15.*

(b) *Tum a civili dissensione.* Plebeja enim factio vulgo *de Ciompi*, quæ adeo urbem ab ann. MCCCLXXVIII. usque ad ann. MCCCLXXXIII. vexaverat, penitus eversa.

(c) *In duodecim annos.* nempe ab ann. MCCCXC. usque ad ann. MCDII.

(d) *Solus cum Bernabove patruo.* nam

Aetius Joannis Galeatii frater occubuerat ann. MCCCLXXXI. *Campi lib. 3. Hist. Crem.*

(e) *Filiorumque, qui plurimi erant* Quinque *Corius p. III.* enumerat, Marcum, Ludovicum, Carolum, Rodolphum, & Martinum ex Regina Scaligera ejus uxore susceptos, queis si foeminas, & liberos aliunde susceptos adjicias, 32. invenies secundum *Ammirat.*

(f) *Fugiens.* Papiam profectus est Galeatius, Mediolano patruî curæ concredito. *Jacobus Poggius in hujus Hist. versione.*

contemnentis famam quærebat. Quo vero ab insidiis, quæ 1386
 suæ vitæ parari in diem dicebantur, tutiorem redderet vitam,
 uxorem duxit Bernabovis (g) filiam, tamquam salutis pi-
 gnus firmum, ac stabile, & ab insidiis tutum. Summa be-
 nivolentia, & humanitate in omnes erat, semper patrum
 ore habens, & ad eum rejiciens, si qua in regenda urbe gra-
 viori consilio egerent. Sed vir callidus, majora quam
 quæ ostentarentur agitabat animo, quod postea suo tem-
 pore patefactum est. His anxius curis Galeatius, cum re-
 ferretur sibi insidias veneno parari; sive verum id erat,
 seu ad tegendum scelus confictum, & ipse Socerum dolo
 capere statuit. Finxerat antea quandam vitæ religionem,
 qua parvi facere, quæ ceteri appetunt, existimaretur, &
 apud vulgus sanctitatis cujusdam contraxerat fidem: regi-
 men Mediolani, quod commune erat Patruo, quem sem-
 per patrem appellare solitus erat, Papia (h) sibi urbe ad-
 habitandum electa, permiserat. Cum tempus (i) rei ge-
 rendæ constituisset, simulavit voti solvendi gratia se ad
 certum Religionis templum (l), id est ultra Mediolanum,
 velle proficisci, & cum prope mœnia transiturus esset,
 Bernabovem rogavit, cum illius videndi esset cupidissi-
 mus, ut sibi obvius procederet. Ille nil mali veritus, cum
 duobus (m) majoribus natu filiis, magnoque civium nu-
 mero extra urbem Nepoti (n) occurrit, cujus jussu (ita
 enim composita res erat) ab ala equitum, ad id tectis
 L. 2. armis.

NOTÆ.

(g) Bernabovis filiam. nempe Cathari-
 nam secundis nuptiis ascivit post Isabellæ
 primæ uxoris obitum. Cor. p. III. Campi Hist.
 Crem. lib. 4. p. 90.

(h) Papia. olim Ticinum a Ticino flu-
 vio urbem mœnia prætergrediente, a Ligu-
 ribus, Levis, & Maricis ante Mediolanum
 ædificata, a quo in Austrum distat 20. mill.
 pass. Strabo autem lib. 5. Geograph. ab Umbris

Ticinum ædificatum asserit.

(i) Cum tempus &c. ad Idus Majas.

(l) Ad certum Religionis templum. Dei-
 paræ dicatum in Varesii vico.

(m) Duobus majoribus natu filiis. Ludo-
 vico, & Rodulpho.

(n) Nepoti occurrit. usque ad Hospitale
 S. Ambrosii. Cor. p. III. Pellin. Hist. Per. T.
 1. lib. 9.

1386 armis parata, circumventus cum filio (o) majori (nam alter inter tumultum evaserat) capitur, inque castellum, quod portæ urbis imminet, perductus in carcerem (p) coniectus est. Reliqui filii, qui plures erant, in suam quisque (q) urbem diffugere. Prædictum ei fuerat, comitatum Nepotis nil minus redolere, quam religionem, cum plurimus esset, & armatus. At ille nil adversi ab nepote metuens, fatis volentibus (r) præteritæ vitæ (admodum enim crudelis, & impotens moribus fuerat) pœnas dedit. Ob hoc tam subitum, tamque atrox facinus, haud parvo in urbe tumultu oborto, atque ad rei novitatem singulis animo suspensis, Johannes ad sedandam aliquo plebeni pabulo, domum (s), reliquaque tum Bernabovis, tum filiorum quæ in ædibus erant, fortunas omnes populo concessit, qua præda favorem popularium sibi conciliavit. Utque vero futuras tolleret seditiones, patrem, filiumque (t) veneno sustulisse dicitur. His & sororis mortem.

N O T Æ.

(o) *Cum filio majori.* cum duobus filiis captum testantur *Corius p. III. Ammirat. To. 2. lib. 15.* Non ideo tamen Poggius castigandus. Potuit enim primum cum Bernabove major filius capi, deinde vero aliquo post tempore etiam Rodolphus. Constat enim ex iisdem scriptoribus, duos præterea ejus nothos Sacramorum, & Galleotum, non tamen eodem die, captos fuisse. *Pellinus ibid. Campius lib. 3. Girardaccius lib. 25.*

(p) *In carcerem coniectus est.* Perductus postea cum Ludovico Tretium ad Abduam munitissimum oppidum, quod ab illo conditum fuerat ann. MCCCLXX. ut *Briet. Parall. Geog. in append. ad Tom. 2. & Rodolphus in S. Columbani oppido clausus.*

(q) *In suam quisque urbem.* hoc est in eam, quam quisque a patre acceperat.

(r) *Fatis volentibus.* Plura in superstitionem accepta narrat *Petrus Azarius Novariensis Notarius in col. lice. MS. apud me, ob-*

servatque in domo Geminorum eo tempore, quo Bernabos captus fuit, Saturnum, Jovem, & Martem conjunctos fuisse. Addit *Corius p. III.* Lapidem anguem in Rodulphi domus culmine positum ictu fulminis collapsum octo circiter ante diebus, & per idem pene tempus Vercellinam portam comitantibus filiis Bernabove ingresso ligneum pontem, vix illis præteritis, dissolutum, magna sequentium equitum clade.

(s) *Domum reliquaque, &c.* non tamen hæc populo diripienda concessit, quin prius cælati argenti sex currus, aureorumque septuaginta millia sibi reservasset.

(t) *Patrem filiumque.* Bernabovem, & Ludovicum veneno epulis infectis. Cognita illapsi veneni vi, Bernabovem tanta pœnitentia ductum testantur, ut ne lacrymis quidem efferatus ceteroquin animus percerit. *Cor. par. III. & Girard. Hist. Bonon. lib. 25.*

tem (u) pro marito, qui patruī filius erat, lacrymis orantis, ut se ab ea molestia eximeret, adjecit. Omnes deinde urbes ad quas Bernabovis liberi confugerant, illis pulsīs recepit, quorum pauci mortem evasere. Ita trium (x) potentia ad unum redacta est. His regnandi initiis secunda fortuna usus Galeatius, e vestigio majora secum agitare cepit, & ætate, majorumque gloria animum imperandi cupidine æstuantem in dies stimulante, non contentus urbibus, quas nullo jure tenebat, cum animo concepisset Patavini (y), ac Veronensis (z) Principum discordia facile eorum urbes suo subsidere imperio posse, id vero aperto Marte multis de causis assequi desperaret, mentem ad dolos, & pristinas calliditates convertit. Cumque inter eos summa pax vigeret, ac concordia: legatis ad utrumque clam mittendis, serendisque invicem calumniis, ac maledictis, præterita quoque odia refricando, asserendoque alterum alteri insidias occulte moliri: brevi perfecit, primum ut similtas oriretur, deinde aperto odio utrumque incensis animis ad arma, & bellum ambo Principes, ignari quem finem datura essent fata, profilirent; & cum diutino, quod a Galeatio nutriebatur bello nunc hortando, nunc subsidia seorsum pollicendo defessi essent, ambos bello fatigatos, pecuniisque, ac viribus exhaustos oppressit: primo Veronam Antonio (a) Scala Principe in-

exi-

N O T Æ.

(u) *Et sororis mortem.* Violantidis quam primum Leonoro, seu Leonello Clarentiæ Duci, Britanniarum Regis filio desponsatam refert *Comes Blandrates Eques Hierosol. Hist. Marchionum Principumque Montisfer.* Inde a Leonello relictam Joannis Montisferati Marchionis filio nupsisse. Hoc vero a domestico quodam interfecto, tertio conjugii vinculo patruelis sui Bernabovis filio colligata est; Ut *Donatus Acciajulus Florentinus* testatur, utcunque sentiat *Campi Hist. Cremona lib. 3. p. 73.* Viridis alterius sororis nomen pro Violantide perperam usurpans.

(x) *Ita trium potentia.* nempe Matthæi, Bernabovis, & Galeatii, quos inter defuncto Joanne Archiepiscopo divisum Imperium fuit.

(y) *Patavini.* Francisci Carrariensis.

(z) *Veronensis.* Antonii Scaligeri.

(a) *Antonio Scala, &c.* Sibi timens Antonius navim conscendit, quam ad omnes eventus paratam prope oppidum habebat, & una cum filiis, & uxore per Athesim Venetias petiit anno ætatis suæ 25. duodecimo vero ejus imperii. *Corte Hist. Ver. To. 2. lib. 2. p. 207.*

1387 exilium, ne in manus hostium perveniret, profecto: tum Patavium, capto Francisco (b) Carrario seniore (quem in carcerem, ubi & mortuus est, traditur) in potestatem red-egit. Mirantibus vero cunctis Italiae populis, querentibusque harum opulentissimarum urbium expugnationem, haud injuste id bellum Galeatius a se susceptum assererat, proculque ab se omnem injuriae ambitionisque culpam rejiciebat, pacem praeseferens, & in illa asserens se perman- surum. Quo vero magis sua occultarentur consilia, ut- que omnem regnandi cupiditatem dissimularet, majorem natu (c) filium Florentinos sacro de fonte, ut moris est, levare voluit: quæ res singulis persuasit Galeatium sibi fi- nem statuisse cupiditatis, & id tamquam novum foedus pacis servandæ fore. Omnia ab eo agebantur, quibus su- spitionem ampliora petendi ex animis hominum amo- veret, persuaderetque se ocium cupere, & quietem, sed unum volvebat lingua, alterum pectore versabat. Orta, ut fit, ex Florentinorum rebus secundis invidia, Senenses ad odium post captum Aretium excitavit, æstimantes quantum sociorum opibus adjiceretur, tantum detrahi vi- ribus suis, quod multarum calamitatum causam præbuit, & belli futuri semen. Anno ante Bernabovis obitum, qui fuit quartus, & octuagesimus supra mille trecentos, ur- bem Aretinam ceperant Florentini, cujus agri jurisque erat Lucinianum, a Senensibus Aretinorum bellis civilibus antea occupatum: quod oppidum Florentini, ut suæ di- tionis cum repeterent, Senenses vero se reddituros nega- rent, integram rem omnem Bononiensibus judicandam.

per-

N O T Æ.

(b) Capto Francisco Carrario seniore. Se-
nior dictus, quod filium haberet ejusdem
nominis. Dum, ut Galeatium adiret, Me-
diolanum versus iter faceret, Comensi in ur-
be captus, ac in Meodoviæ oppidum con-
jectus excessit: anno MCCCXCV. Scardeo-
nius lib. 3. Classe XIII de Patavinis pace, vel
bello claris p. 285. & lib. 2. Class. IX.
(c) Majorem natu filium. cui Joanni
Mariæ nomen ex voto imposuerat. Natus
est non. Sept. MCCCLXXXVIII. Ab-
biatæ, ut Corinus p. III. prope finem.

permittunt; qui auditis Oratoribus, restituendum esse, pecunia (d) a Florentinis recepta, decernunt. At illi eo iudicio (e) minime paruerunt, ex quo occulta eorum odia in Florentinos cæpere, quæ tandem apertum bellum inter Galetium, & Florentinos excitarunt. Sumpta est belli gerendi occasio a Politiano, quod ob injurias a Senensibus illatas ultro ab eodem fœdere deficiens, sponte postmodum in populi Florentini potestatem concessit. Ejus oppidi incolæ, ut sui arbitrii homines, aliquandiu Senensibus tamquam Patronis hæserant, ut eorum auctoritate ab Aretinis, ceterisque finitimis populis tutiores essent. Verum cum Senenses (f) ultra quæ fœdere permitteretur, in eos juris sibi vindicassent, superbe nimis, contumelioseque imperabant: quo factum est, ut cum sæpius Florentinorum opera in itæ inter eos conventiones minime a Senensibus servarentur, avareque præterea, ac injuste in illos imperia exercerentur, fœdere, & societate eorum posthabita, se, suaque libere Florentinis dederent. Recusata (g) tunc est ab eis ea deditio, paci sociorum, & concordia consulentibus,

N O T Æ.

(d) Pecunia a Florentinis recepta. octo aureorum millibus, quæ a Raynaldo Janfiliatio Bononiæ per soluta. *Malavolt. p. II. lib. 9. p. 159. Hist. Sen.*

(e) At illi eo iudicio minime paruerunt. Temere hoc Poggius refert, ut ex aliis scriptoribus constat, aliæque, & satis notæ fuere belli causæ, Bononiensium iudicio paruisse Senenses, asserunt *Leon. Aret. lib. 9. Hist. Flor. Pollinus Hist. Perus. lib. 9. Malavoltus Hist. Senen. p. II. lib. 4.* quin immo *Scipio Ammiratus p. I. Tom. 2. lib. 15.* asserit anno MCCCCLXXXVII. mense Decembri, Confallonero Petro Oricellario, Lucinianum Raynaldo Janfiliatio equiti traditum Florentinorum nomine.

(f) Cum Senenses, &c. Nulla Senensium injuria Politianenses ad defectionem compullos testatur *Malavoltus Hist. Sen. lib. 9. p. II.*

& *Spinellus Hist. Politiani lib. 3.* sed ex civili discordia inter duos de Pecora, quorum in partes divisi confluerant oppidani. Potior pars Joannem secuta Girardum ejecit; adventientemque ad res componendas Senensium Legatum armis excepere. Poenitentia autem ducti, ne pœnas luerent, Florentinis per Legatos se dedere.

(g) Recusata est ab eis deditio. Amice nimis egerunt Florentini, poterat enim inviolato fœdere Politianum ultro se dedens retineri. Sic Romani, etsi Campanis in Samnites auxilium petentibus denegassent, cum Samnitibus enim fœdere juncti erant, Campanos tamen se dedentes acceperunt, & contra Samnites Valerium, & Cornelium Consules cum exercitu misere. *Livius lib. 7.*

1387 tibus, Oratoribusque ad utrosque missis, componendis (*h*) discordiis operam impendunt. At Senenses arbitantes iisdem auctoribus omnia excitata; tamquam bellum ultro appetentes, Legatis irarum pleni, Mediolanensisque promissis ad Tusciæ imperium anhelantis onerati, contumeliosius respondent, missaque (*i*) extemplo legatione, fœdus cum eo conditionibus (*l*) admodum homini acceptissimis, ut Florentinis bellum inferat, ineunt. Hac re Florentinis nota, Oratores denuo Senas missi, si quomodo possent illorum animi ab ea cogitatione averti. Verum arrogantius quam antea responso dato, non esse sui juris aliquid cum Florentinis pacisci, cum se jam in Galeatii clientelam contulissent, re infecta reversi sunt. Comes veluti ejusmodi rerum inscius Florentinis obtulit de compositione acturum se, & si opus foret, auxilio futurum. Testatus (*m*) quoque palam est, neque deditioem ullam fecisse Senenses, neque etiam, si eam obtulissent, ne bello cum Florentinis antiquis sociis decernere cogeretur, accepturum fuisse. Hortabatur vero, ut Politiano (*n*) abstinerent, quo in potestatem Senensium rediret: quæ res cum agitaretur, adeo duræ fœderis leges imponebantur, ut tamquam iniqua servitus recusarentur: quo accidit, ut

in-

N O T Æ.

(*h*) *Componendis discordiis.* Concordiam inter Senenses, ac oppidanos a Florentinis conciliatam die XXIX. Octobris MCCCLXXXVII. asserit *Ammiras. p. I. Tom. 2. p. 796.*

(*i*) *Missaque extemplo legatione.* quinque Senenses Mediolanum missi, quorum princeps Orlandus Malavoltus. *Malavolt. Hist. Sen. lib. 9. p. II. p. 163.*

(*l*) *Conditionibus homini acceptissimis.* Fœdus iniere die XXII. Septembris, & Galeatio jus belli pacisque datum, quod quidem non nisi illi acceptissimum esse poterat.

(*m*) *Testatus, &c.* Carrariensi bello Vi-

comes implicitus, ne a Florentinis mora illi injiceretur, Senensibus se minime ad hæsurum pollicitus est, eorumque Legatos qui apud eum convenerant, non alia de causa quam firmandæ cum Florentinis pacis detineri ostentabat.

(*n*) *Politiano abstinerent.* Politianenses a Senensibus ad Florentinos rursus defeecerunt, ditionique Florentinorum Politianum in Camerali libro adscripserunt: vigebat enim lex, ne nisi totius populi consensu ea alienare liceret, quæ in hoc libro descripta fuerant. *Leon. Aret. Hist. Flor. lib. 9. S. Antonin. tit. 22. cap. 3. §. 20.*

contra socios suos arma sumere, cum nulla in re a nobis fuerint violati? Sed eum immoderata dominandi libido precipitem agit, ut nullum fœdus, nullam fidem, nullum jusjurandum, nullam societatem sibi, modo imperium augeat, servandam ducat, & quod jure nequit, vi, atque injuria consequatur. Quibus artibus, quibus calliditatibus, quo astu usus sit, ut nos imparatissimos opprimat, considerate. Primum Senensium animos contra nos irritavit, atque incendit; conceptam malivolentiam multis promissis fovit, si bellum excitaretur: fœdus deinde cum eis iniit, in quo id primum ejus opera est adscriptum, ut bellum nobis inferret: deinde ad sopiendas mentes nostras tamquam pacis cupidus de concordia cum Senensibus se acturum spondit, missisque Oratoribus, non pacem, sed belli semina dispersit. Quo secutum est, ut ei Senenses ultro se se dederint: quod cum vobis permolestum esse, & præter fidem ostenderetis, litterisque id graviter ferre videremini, ille suis utens artibus aperte negavit ullam per Senenses factam deditioem, & si quam facerent, se irritam habiturum. Missi deinde Senas equites sexcenti, tamquam eorum fines tutiores reddituri: quæ res supervacanea visa est, cum nondum ulla arma essent mota. Sed cui nota erant consilia sua, cuncta, quæ ad prolatandum imperium utilia sibi existimabat, preparabat. Facta est insuper per Petrum Gambacurtam inter Comitem (f), Senenses, ac Malatestas idem sentientes, ac nobiscum, & cum Bononiensibus nova pax jurejurando firmata: quam ille nequaquam servavit, sed ardore nobiscum decertandi, iniquo edicto Florentinis omnibus suo imperio interdixit: pauloque post Iohannem Actium Ubaldinum virum bello insignem cum equitibus mille Senas ire iussit: qui ut primum Perusiam pervenit, urbem amicam, & nobiscum

NOTÆ.

(f) Inter Comitem. Galeatium, qui Virtutum Comes etiam appellabatur.

1389 *biscum fædere junctam fide posthabita secum sentire (g) persuasit. Senas cum appulisset, in agrum Politianensem incursionem fecit. At ille quæ gesta erant se inscio facta asseverans, singula ejus consilia ad nos fallendos dirigit. Quid igitur amplius expectamus viri prudentissimi? Quid fidem ejus amplius experiundam ducimus, quæ nulla neque litteris, neque verbis, neque Oratoribus est habenda? Ludus jam est ei dolis, & perfidia nos fallere. Plura insidiis ab eo, quam aperto Marte videtis agi: & non quid loquatur, sed quid moliat, est advertendum. Itaque abjiciendas moras omnes inutiles censeo, & spem omnem servandæ ab eo pacis desperandam. Satis diu ab eo delusi sumus: prædicat pacem, bellum tractat. Viribus igitur Galeatii fraudibus, & iniquæ ambitioni obviam est eundum, parandaque singula ad arma, & defensionem spectantia. Adsunt nobis vires, adsunt consilia, omnia, modo adsit voluntas vestra, & consensus omnium, ad Rempublicam conservandam abunde nobis sunt. Multa dies afferet, quibus poterit hic ambitionis impetus tardari: sperandumque Deum optimum maximum rupti fæderis (h) vindicem affuturum, victoriamque justissimam, & pro tuenda libertate gerentibus bella daturum. His multorumque adhortationibus civitate commota, omnium consensu bellum suscipiendum esse decernitur: Decemvirique (i) sine provocatione, quibus cura belli demandatur, creantur. Qui cum Magistratum iniissent, magno animo, nec minori prudentia exercitum summo studio comparant, Legatosque (l) quatuor in ulteriorem*

N O T Æ.

Gal-

(g) *Sentire persuasit*. auctore, ut dictum est, Biordo.

(h) *Rupti fæderis*. per Petrum Gambacurtam Pisarum Dominum firmati.

(i) *Decemvirique*. Creati mense Octobri, ad *Ammirat. To. 2. lib. 15.*

(l) *Legatosque quatuor*. Plures a Florentinis Legatos missos testatur *S. Anton. Tit. 22. & Leon. Aret. lib. 9.* sed nomina silent, non sic alii Scriptores, qui Philippum Adi-

marium, Philippum Corsinum, Christophorum Spinum, & Matthæum Arrighium commemorant, quorum duo a Galeatio intercepti non nisi post pacem Pisis firmatam patriæ restituti. Nullo autem fundamento hoc asseri testatur solers *Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 15. p. 796.* qui publicas scripturas perlustrans nullam nisi de Adimario mentionem factam testatur.

Galliam, qui auxilium a Rege petant, mittunt: quorum 1389
 duo in itinere positus insidiis deprehensi sunt, jussuque
 Galeatii contra jus gentium in carcerem trusi: reliqui
 ad Regem (m) perveniunt. Eodem ferme tempore per 1390
 Johannem Ubaldinum Miniatis proditio tentata est, cujus
 nonnulli oppidani præmiorum spe corrupti auctores e-
 rant. Sed ea per conscios (n) detecta, fontes supplicio
 affecti sunt: multa insuper castella (o) Senensibus finiti-
 ma, ut ab iis, qui jam cogitationes omnes ad bellum de-
 stinassent, variis nequicquam tentata dolis. Mediolanensis
 vero, ut a se omnem belli culpam averteret, eamque in
 Florentinos rejiceret, palam questus est se ab eis (p) ve-
 neno appetitum, inque suam necem conspiratum esse.
 Bernabovis (q) quoque filios adversus se sollicitatos: igno-
 minia præterea causa, ut infidum, & fraudolentum in
 concionibus, Riccii (r) præsertim oratione notatum: quæ
 cum variis (s) litteris, ac sermonibus divulgasset, sin-
 gula optimis argumentis, & epistolis, & verbis confuta-
 ta sunt, itaut palam esset diverticula ab eo ad subterfugi-
 endam belli per injuriam illati infamiam quæri. Ad Flo-
 rentinos (t) quoque litteras dedit, quibus tamquam pa-
 cis cupidus bellum indixit, & veluti invitus ad suscipien-
 dum bellum coactus, quæ eodem pacto ut mendaces ejus
 opera

N O T Æ.

(m) *Reliqui ad Regem.* Galliarum Caro-
 lum VI.

(n) *Per conscios detecta.* per Bernardum,
 & Ludovicum de Guizzis.

(o) *Castella.* quæ inter Anglarium, ut
S. Anton. p. III. Tit. 22. cap. 3.

(p) *Ab eis veneno appetitum.* De Floren-
 tinis hoc suspicatus fuerat, quod jam de
 Antonio Scaligero innotuerat. Deprehen-
 sus enim Placentiæ Antonius quidam Orto-
 nensis ob venena, quæ secum deferebat, tor-
 mentis adactus, ea se parasse jussu Scaligeri
 fassus est, ut Galeatii puteum inficeret. *Cor.*
p. III.

(q) *Bernabovis quoque filios, &c.* Caro-
 lum, & Luchinum, qui Florentinorum sti-
 pendii militabant.

(r) *Riccii præsertim.* Joannis Riccii ora-
 tione, in qua Galeatium dicebat, *Aliud*
fronte simulare, aliud corde sentire.

(s) *Cum variis litteris divulgasset.* Venē-
 tis, Januensibus, Pisanisque scripsit; sed
 omnia a Florentinis refutata sunt. *S. Anton.*
Hist. Flor. P. III. Tit. 22. cap. 3. §. 4.

(t) *Ad Florentinos.* Diffidatoriam, ut
 appellant, Florentinis scriptam videre est
 in *Leon. Aret.* in fine lib. 9. adjecta etiam Flo-
 rentinorum responsione.

1390 opera reprobatae sunt . Ut vero Pisanos in suam societatem traheret , Oratoribus ad eos missis , confictis mendaciis quo procul a belli culpa videretur , non servari a Florentinis pacem criminabatur , & simul , ut secum sentirent postulabat . At illi (u) in fide perstantes nunquam se pacis violandae auctores futuros respondent . Varii qui per hostem fiebant belli apparatus Florentinos compulere , ut & ipsi omni ope necessaria ad bellum pararent : neque solum , ut vim vi repellerent , sed ut ultro armis extra Hetruriae fines hostem lacefferent . Itaque Augutum ex (x) Apulia accitum , mortuo in itinere , dum ad exercitum veniret , Renaldo Ursino (y) belli duce , cum sex equitum millibus in Galliam contra Galeatium mittunt , ut recta uri , populationes agrorum fieri , incendiis omnia fumare , defectiones populorum , ceterasque belli clades , castra hostium Mediolani portis potius imminere videat , quam insatiabili imperandi cupidine Hetruriam semper armis sollicitam reddat . Loysium (z) vero Capuanum in Senensium agros adversus Ubaldinum decernunt ; solique nullis externis viribus praeterquam Bononiensium freti , qui pro communi defendenda salute sumptus suppeditarunt , & Cortonensium , qui in amicitia perseverarunt , bellum omnium maximum , quod ad eam diem gesserint , suscipiunt : cum diversae factionis Principem Perusini , Senenses , Malatestae , Ferrariensis , Pupiique Comes

N O T A E .

(u) *In fide perstantes* . non fidem tantum servarunt Pisani , sed a bello Galeatium amovere conati sunt , Legatumque Joannem de Lanfranchis Equitem ad Florentinos miserunt , qui eos de omnibus certiores redderet . *Truncius Ann. Pis. & Ammirat. To. 2. lib. 15. p. 800.*

(x) *Ex Apulia* . melius ex Campania : Cajetam enim Campaniae urbem esse , tum ex *Baudrando* , tum ex *Brietio To. 3. Parall. Geog.* satis constat . Cajetae degentem Au-

gutum , indeq; accersitum asserit *Amm. lib. 15 :*

(y) *Mortuo Renaldo Ursino* . Aquilae ejus ditionis urbe in Regno Neapolitano . Ab iis ipsis , quos beneficiis cumulaverat , Ursinus occiditur , dum Florentinis opem ferre cum quadringentis militibus moliretur . *Leon. Aret. lib. X.*

(z) *Loysium vero Capuanum* . Sibi fidum eum esse putantes Florentini , quod Florentinam matrem , Nicolai Acciajoli sororem habuisset .

incurfiones crebræ , populationesque (jam enim equites 1389
 (o) , peditesque permulti Senas convenerant) in agrum
 Politianensem hostili more fierent . Interea Bononienses ,
 Pifanique , qui focii erant , prospicientes quantum incen-
 dium excitatura efset futuri belli flamma , ad quam au-
 gendam haud parvum a Galeatio fomentum subministra-
 tum iri homines , sicuti postmodum fecit , arbitrabantur
 (jam enim belli materiam quærens , equites (p) sexcentos
 Senensibus , veluti mercede ab eis conductos , ut propriæ
 salutis consulerent , miserat) Florentinos , ut una suos quo-
 que Oratores pro pace inter eos , & Politianenses reinte-
 granda Senas proficisci vellent , per Legatos hortantur : quo
 impetrato , Senas mature profecti pacem (q) æquis legi-
 bus faciunt . At Galeatius , cum pacis cupiditatem præse-
 tulisset , tandem ardore belli gerendi victus , Florentinos
 omnes rupto (r) fœdere , eam præferens causam , quod
 tamquam exploratores sua consilia exteris nota facerent ,
 quodque suos hostes pecunia juvissent , suis (s) finibus abi-
 re iussit ; a quibus contrarium edictum manavit : publice
 namque decretum est , ut in septennium omnibus , qui illius
 imperio parerent , Florentiam , ad aliasque eorum urbes ,
 & loca libere veniendi , morandique data immunitate ,
 jus potestasque efset . Petrus vero Gambacurta , qui Pisis
 præerat , vir prudens , & pacis cupidus , belli pericula

M ani-

N O T Æ.

(o) Equites , &c. A Vicecomite Paulus Savellus cum tercentis militibus missus .
Corius p. III.

(p) Equites sexcentos . Joanne Ubaldino Duce .
Girardaccius p. II. lib. 26.

(q) Pacem æquis legibus faciunt . Nemini magis quam Bononiensibus pax hæc curæ erat ; Vicecomite enim Bononiam magno cum exercitu adventante , verebantur , ne memoria veteris dominii excitus ad sua repe-

tenda animum intenderet .

(r) Rupto fœdere . Justa de causa ruptum fœdus . Florentini enim Franciscum Carrariensem Vicecomitis captivum Astæ detentum ad fugam excitaverant , inque urbem receptum opibus adjuverant .
Ammiratus p. I. To. 2. lib. 15.

(s) Suis finibus abire . octo dierum spatium .

1389 animadvertens, concordiaë (t) curam suscepit, accitisque diffidentium (u) Legatis inter Galeatium, Senenses, ac Malateſtas, Florentinos vero ac Bononienses, ea lege novum ad triennium fœdus composuit, ut neque Mediolanensis in Tuscia, neque reliqui in Gallia quicquam novi juris, aut imperii sibi quærerent, aut vendicarent; additumque ut ex eo nihil priori fœderi, in quo Pisani, Perusinique (x) focii ascripti erant, derogaretur. Jussit, dum hæc agerentur, Galeatius contra jus gentium, & datam fidem, Johannem Actium Ubaldinum egregium ea tempeſtate belli ducem cum mille equitibus Senas ire, tamquam id postulantibus fociiis ad tutandos eorum, si qua in re opus eſſet, fines: qui cum per Flaminiam iter faceret, Perusiam veniens, eam auctore Biordo (y), qui illius tyrannidem usurparat, a Florentinorum societate avertit. Senas inde profectus, ac Dux belli factus, quæ ad ejus curam pertinerent paratis diligenter, agrum Politianensem adversus (z) contractæ pacis leges populabundus ingreditur. Multa itaque in dies, cum conspicerentur a Galeatio fieri, tentarique, quibus manifesto comprehenderetur illius animum ad fallendum, & bellum gerendum promptum eſſe, pararique audirentur majores, quam ratio pacis requireret, equitum copiæ, varia civium sententia animos futuri incertos verſabat. Prudentiorum ta-

men

N O T Æ.

(t) *Concordia curam suscepit*, cujus firmandæ gratia, Florentiam primum, deinde Mediolanum profectus Joannem Galeatium suam in sententiam perduxit. *Pellinus Hist. Per. p. I. lib. 9. Truncius Ann. Pis. p. 169.*

(u) *Diffidentium Legatis*. horum nomina apud *Malavolt. Hist. Sen. p. II. lib. 9. p. 165.*

(x) *Perusini que focii*. Nullo a scriptore hoc in fœdere Perusinos commemoratos asserit *Pellinus Hist. Perus. p. I. lib. 9. licet Leon. Arer. lib. 9. Hist. Flor. Malavolt. Hist. Sen. p. II. lib. 9. & Ammirat. p. I. To. 2. lib. 15. opposi-*

tum referant.

(y) *Biordo qui illius tyrannidem occupavit*. Biordus, seu Bigordus Michellotus Tuderiti, Ascisii, aliarumque urbium Dominus, Perusium quoque ab Ecclesia deficiens sibi adscivit, cujus postea, pace facta, Vicarius a Pontifice electus est. *S. Antonin. p. III. Tit. 22. & Cesar Crispoltus Perusinus lib. 3. p. 287.*

(z) *Adversus contracta pacis leges*. quas inter, ne nihil in Tuscia hostile ageret, ut supra.

men erant consilia , bellum cum tyranno quamprimum 1389
 suscipiendum esse: facilius coalescentes vires conteri posse,
 quam cum robustiores factæ essent. Tutius videri teneris
 adhuc tyranni opibus obsistere, quam inveteratis: ardere
 illius animum imperandi cupiditate. Jam Senensium pa-
 trocinium, vel potius imperium contra jus fœderis usur-
 passe: jam Perusinos ex amicis hostes reddidisse: jam in
 Etruria præter conventa, quæ nunquam servavit, suas vi-
 res protulisse, omniaque illi fide & jurejurando esse po-
 tiora: jam multos pecunia (a), promissis stipendiis cor-
 rupisse: non esse expectandum adeo illum potentem red-
 di, ut eis, quod jam cupiat, leges, ut victis imponat:
 Forti & elato animo obstandum tyranno, libertatemque
 tuendam: imploranda ceterorum auxilia, quibus eadem
 belli pericula imminere videantur: scribendos novos mi-
 lites, exercitum parandum, quo & sua defendi, & alie-
 na oppugnari queant: fauturum Deum justæ causæ, &
 populum a servitute tyrannica exempturum: animi tan-
 tummodo adsint, consilia, & vires non defuturas. Concio
 post hæc electorum (b) civium habita, in qua aliquibus
 dictis sententiis Johannes Riccius Jurisconsultus in hunc
 modum orationem habuit, egregiam, & Reipublicæ sa-
 lutarem. *Si quis forte vestrum dubitet præclarissimi cives,*
qua mente sit erga nos Iohannes Galeatius Virtutum Comes,
is profecto omnem abjiciat dubitationem necesse est, si illius ad-
hanc diem vitam considerabit: ea enim mentis, & animi
ejus verum testimonium præbet. Verum, ut quæ occultiora
sunt, forsitan multis tamquam oculorum conspectui subjiciantur,
evolvenda paucis nobis est ejus præterita vita, & ex ea

M 2 futu-

N O T Æ.

(a) Pecunia. Joannem Bonacursium, ignominia notarunt, ac publice pingi
 Florentiæ Confalonarium scutorum mil- | jusserunt.
 libus a Galeatio corruptum constat. Quo | (b) Electorum civium, seu in concilio
 cognito fugientem Florentini prodicionis | electorum civium, vulgo de' Ricchiesi.

1389 futurorum conjectura capienda. Scitis olim hunc hominem cum
 quandam sanctitatis speciem verbis, & habitu vestium præ-
 setulisset, primum ejus pietatis opus ob insanam dominandi
 cupiditatem in capiendo, necandoque Bernabovo extitisse: &
 quem ipsa natura lex, & vis sanguinis ad amorem, ac pie-
 tatem, & decus tantæ familiæ impellere debuisset, hunc am-
 bitio res pessima inter mortales ad impietatem compulit, &
 crudelitatem. Et nedum patruī, sed ne sororis (c) quidem
 pro viro deprecantis misertus est, illorumque funera morte
 sua cumulat, patruīque filios præter unum omnes sustulit,
 ne qui superessent paternæ cædis ultores. Neque his contentus,
 cum trium fratrum (d) imperium ad se rede-gisset, majori
 quam antea siti flagrans dominandi superioribus flagitiis alia
 addidit minime contemnenda. Veronæ, ac Patavii Principes,
 serendis occulte, nutriendisque per internuncios discordiis, dolo,
 & inanibus pollicitationibus deceptos ad inimica arma compu-
 lit: & cum seorsum utrique facere se simularet, adeo vires
 eorum diutino bello contrite sunt, ut ipse utrunque no-
 vis ar-
 mis facile debilitatum superarit. Hac fide, atque adeo sum-
 ma perfidia amborum Principum urbes in suam ditionem par-
 vo negotio rede-git. Sed quo pluribus dominabatur, eo major
 incesserat imperandi appetitus: & cum non essent finitimi, ad-
 versus quos auderet armis (e) certare, animum ad Etru-
 riam adjecit, expectans si qua ex tempore no-
 vandi occasio da-
 retur. Ecce Senensium levitas est exorta, quæ tamquam an-
 sam dedit illi ad arma in Etruriam promovendi, quam ille
 e vestigio nonnullis levibus innixus causis, sed quæ facilli-
 me confutarentur, contra jus gentium violato fædere arripuit.
 Quid enim rei est sibi in Etruria a suis finibus admodum re-
 mota? quid est illi negotii pro Senensibus quos nemo laceffit,
 contra

N O T Æ.

(c) Ne sororis quidem. Violantidis Ber-
 nabovis filii uxoris.

(d) Trium fratrum. Matthæi, Berna-
 bovis, & Galeatii.

(e) Adversus quos auderet armis certare.

Veneros enim extimescebat.

mes, ac plures alii sequerentur. Galeatius contra se exer- 1390
 citum proficisci animadvertens (nam Augustus cum suis
 copiis Bononiam (a) missus erat, cumque eo Carolus
 Bernabovis filius, & Luchinus patrio pulsi imperio)
 Ubaldino, apud quem plurimi equites Senis convene-
 rant, mandat bello quam posset aspero Florentinos inces-
 feret, ut potius se, suaque a propinquo validoque hoste
 tueri, quam de transferendo in Galliam bello cogitare co-
 gerentur. Senenses e vestigio in proximam regionem, quæ
 Chiantia appellatur, excursiones fecere, prædaque abacta
 confestim, ut Florentinorum milites propinquos jam adesse
 intellexerunt, abiere. Eodem tempore Politianum
 ultro se dedens receptum est. Duæ in eo (b) factiones
 erant: cum ad arma ventum esset, quæ Senensibus (c)
 favebat pulsa, Senas profecta odia eorum in Politianenses
 renovavit; altera (d) factio missis Legatis se dederat Flo-
 rentinis. Eo plures equites missi sunt, ut Senensium a-
 gros vastarent: est enim oppidum inter hostes situm, ex
 quo usque ad propinqua Senensibus loca incursiones fie-
 ri, prædæque abduci possunt. His itaque initiis nona-
 gesimo post mille trecentos anno, cum bellum, quod
 in duodecim annos protractum est, captum esset, variis
 vero utrinque præliis, ac rapinis animi irritati, belloque
 intenti essent, dux Senensium (e) cum tribus equitum
 millibus, peditibus mille in Vallem Arni superiorem tran-
 N scen-

N O T Æ.

(a) Bononiam missus erat. Bononiam
 missus Augustus ut sociis auxiliaretur, in
 quos a Galeatio Jacobus Vermius cum sep-
 tem millibus, & octingentis militibus mis-
 sus erat, cui adhæserant Albertus Gallu-
 jus, Gens de Pepolis, & de Panico. Gi-
 rardaccius Hist. Bon. To. 2. lib. 26.

alteri fratri faventes.

(c) Quæ favebat Senensibus. Duce Girar-
 do de Pecora.

(d) Altera factio. Duce Joanne de Pe-
 cora Girardi fratre. Vide Spinellum Ben-
 cium Hist. Montispolitiani lib. 3. p. 34.

(e) Dux Senensium. Actius Ubaldinus;

(b) Duæ in eo factiones, una uni, altera

1390 scendit, nonnullorum spe, promissisque, qui Johannis (f) oppidum ei, si circa ortum solis die proposita (g) advenisset, se prodituros polliciti fuerant. Hi pridie quam tempus statutum erat, oppidum (nam noti, domesticique erant) absque suspitione ingressi, sibi portæ unius postridie (& jam hostium timor incesserat) custodiam poposcerunt, qua impetrata (nihil enim inesse doli suspicari poterant) intenti mane expectabant hostes. Saluti fuit eorum adventus tardior quam compositum fuerat. Nam cum custodes, tamquam suspensi animo muros, turrimque sæpius ascenderent, speculantes nunquid hostes adventarent, & ob id nonnulla in eis fraudis signa conspicerentur, orta palam suspitione oppido pulsi sunt. Dux paulo post cum equitatu adveniens, re palam facta, ab oppugnatione destitit. IncurSIONibus tamen late, longeque in vicina regione (h) nil hostile timente factis, ac subito incurSU captis pluribus, magna parta præda Senas rediit. Constans fama est, idque ab omnibus dictum audi vi, si paulo ante patefactum dolum accessisset hostis, eum procul dubio incolis nil mali suspicantibus oppido fuisse potiturum. Rei (i) proditiONis exilio mulctati, publiceque in foro ad ignominiam sceleris depicti. Favet in ea re fortuna admodum Florentinis; nam si ea successisset fraus, facile futurum erat, ut hostis Aretio potiretur. Intersecta enim erat via qua illi urbi succurri posset, & Johannes cognomento Tedescus ex familia Petramalæ, quæ

N O T Æ.

(f) *Johannis Oppidum*, nempe Joannis Tedeschi oppidum, Principis nomine nuncupatum, quo expulsus a Florentinis in bello Aretinensi, nunc Ubaldino favente per amicorum proditiONem recuperari posse sperabat. *Leon. Aret. lib. X.*

(g) *Die proposita*. XXV. Aprilis.

(h) *In vicina regione*. nempe in Aretina, & in Valle Ambræ.

(i) *Rei proditiONis*. Antonius ab oppido S. Joannis antea Dominicanæ familiæ adscriptus, tunc vero Ubaldini Cancellarius, & Ciampolus Ricasolanus, ut *Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 15.*

quæ Ghibellinæ factioni favebat, tamquam hereditariæ (l) 1390
urbis imperium affectabat. Quod haud magno negotio in
oppido undique hostibus claulo, & adhuc partium (m)
memoria recenti eventurum fuisse putabant. Cum hæc
parum processisset, alterius oppidi proditio & tentata, &
perfecta est. Lucinianum diximus antea Aretini agri Bo-
noniensium sententia Florentinis adjudicatum, ac vi recu-
peratum esse. Quidam ejus loci incolæ pretio corrupti,
quorum domus pro muro oppidi erant, re antea compo-
sita noctu effracto muro Ubaldinum (n) cum equitibus
admittunt, oppidumque Senensibus restitunt. Oppidani
consciis proditiois exceptis ad unum omnes spoliantur.
Ita dolo (o), fraudeque Senenses Lucinianum usurpant.
Inde in Politianenses, Aretinosque excursiones quotidie fa-
ctæ, & segetum corruptio secuta, ut magis quam hostili
furore, suasionem Senensium in hostium fines militaris li-
centiæ grassaretur. Cum plura deinceps loca, partim fru-
stra oppugnata, partim vi proditioeque, in quibus arx
(p) Baptistollis tribus passuum millibus Aretio propin-
qua, & Sancti Justi, Pancratiique (q) castella fuere, ab
hostibus capta forent, Senas dux (r) reversus in morbum

N 2 inci-

N O T Æ.

(l) *Tamquam hereditaria urbis*. non enim alii quam sibi, quippe nepoti Petri Sacconi, olim Aretii Domini, urbem illam deberi assererat.

(m) *Partium memoria*. Ghibellinæ sibi faventis.

(n) *Ubaldinum*. non Ubaldinum, sed Joannem Tedescum admissum vult *Ammir.* ut in sequenti annotatione.

(o) *Ita dolo fraudeque*. Joanne Tedesco de Petramala curante, qui ab oppidanis auro corruptis admissus mille peditibus, & 300. equitibus Luciniano potitus fuit. *Ammirat. p. I. To. 2. lib. 15.* Aliter rem narrat *Malavolt. Hist. Sen. p. II. lib. 9.* qui Lucinianum in Senensium deditioem ultro venisse narrat, Legatorumque nomina Senas pro-

fectorum addit.

(p) *Arx Baptistollis*. Egressis oppidanis ad messem colligendam Presbyter quidam arcis custodem ad epulas accitum comprehendit, hostesque introduxit. *S. Antonin. p. II. Tit. 22. cap. 3. §. 7.*

(q) *Pancrati Castellum*. ab oppidanis Senensibus proditum una cum 30. Florentinis militibus, qui præsidio erant.

(r) *Senas dux reversus in morbum incidit*. Joannes Actius Ubaldinus obsidendo S. Justi oppido, quod est juxta Arbiæ fluvium, in morbum incidit; Senasque profectus die XXV. Junii defunctus est, non sine veneni suspitione, ut ait *Malavolt. Hist. Sen. lib. 9. p. II. & S. Antoninus.*

1390 incidit, ex quo & defunctus est, magnoque honore, & pompa funus (f) celebratum. Vir nobilitate gentis clarus, & scientia rei militaris suæ ætatis peritissimus, ut qui ab Auguto ceteris Italiæ ducibus prudentia, & bellicis artibus præferretur. Huic suffectus Johannes Tedescus dux belli egregius, magnique animi, & partium studio Florentinis hostis acerrimus, acceptis a Senensibus copiis Marcianum, incolarum defectione, & simul præsidium, quod in eo erat, cepit: Custos (t) arcis ad dolos parum cautus, & ipse fraude arcem amisit, ex quo postmodum capite punitus est. Michelottus (u) vero Perusinus factione pulsus domestica sub Florentinis cum sexcentis equitibus stipendia faciens in Perusinos profectus, cum capto castello, quod Rutinam dicunt, noctu cum paucis urbem data a multis fide, qui ad se descituros polliciti erant, ingressus esset, tandem majora viribus ausus, cum omni ope destitueretur sociis omnibus ad unum desideratis interficitur (x). Dum hæc in Etruria geruntur, Augutus ex Bononiensi agro cum parte exercitus in Mutinenses profectus omnis generis præda parta, equitibusque ad urbis custodiam missis, qui ei occurrerant, aut cæsis, aut captis, militem onustum in castra reducit. Franciscus quoque Carrarius, illius filius, quem amisso Patavio Galeatus in carcere tenebat, Florentinorum (y) auxiliis, ad quos capto.

N O T Æ.

(f) *Funus celebratum*. in Cathedrali Ecclesia, in qua tumultatus. *Malavolt. ibid.*

(t) *Custos arcis*. cum oppidanos omnes in Florentinos milites convertos vidisset, eos in arcem una cum Nerio ab Auguto Florentino cive recepit. Qui custodem pavidum agnoscens, arcemque haud defendi posse dictitans, eam hostibus vendidit, custodique retulit, se cum Angelo Salimbeno hostium duce pactum vitam resque omnes liberare fore, si arx ei traderetur. Sibi timens custos, Senenses in arcem admisit. *Fufius Ammirat. lib. 15. To. 2. p. 807.*

(u) *Michelottus*. de Michelottis factionis de Raspanti appellatæ Princeps ab aliis adversæ factionis civibus jam ejectus. *Pellin. Hist. Per. p. II. lib. X.*

(x) *Interficitur*. non pugnando interfectus, sed quadam in domo, ubi se abdiderat, inventus, populari impetu dilaniatus est. *Pellin. ibid.*

(y) *Florentinorum auxiliis*. nec non Venetorum, qui clam a Piceni Regulis auxilia illi impetrarunt. *Scardeon. lib. 3. Class. 13. de Pat. pace, & bello claris.*

capto patre confugerat, fretus, ad mille hominibus coactis ex improvise, conspirantibus in hoc civibus, urbem paternam (z) recuperavit, cunctaque ditionis Patavii oppida, atque ipsam urbis arcem (a) admodum munitam vi recepit: omnibus, qui illius præsidio erant, quoniam ita in deditioe convenerat, dimissis: quæ res, & Venetis vicinum Galeatium timentibus, & Florentinis summo gaudio fuit. Horum exemplum secuti Veronenses, sed non eandem fortunam experti ab eo desciverunt. Discordia namque (b) post defectionem inter cives orta, partim antiquam libertatem repetentium, partim Antonium Principem postulantium, tempus, facultatemque ad urbem recuperandam hosti præbuere. Nam cum Ugolottus Blanciardus (c) unus ex belli ducibus, vir pace, ac bello prudentiæ singularis cum exercitu appropinquasset urbi, alterius, quæ intestina dissensione antea exacta erat, factionis (d) ope urbem ingressus, pulsus, aut captus diversarum partium viris, nobilem, atque opulentam urbem nullius partis respectu habito in prædam militibus concessit, quæ civium omnium fortunis direptis, cum viris, tum bonis, tum omni ornamento spoliata, mili-

N O T Æ.

(z) *Urbem paternam recuperavit.* Patavium aggressus, juxta Monasterium Carmelitarum intra prima moenia sub ponte Bovetæ vi irrumperens, eo potitus est ann. MCCCXC. XIII. kal. Jul. *Scardeon. ibid.*

(a) *Arcem vi recepit.* Decem, & octo diebus post urbis ingressum, totidemque mensibus post ejus ab ea discessum transactis. *Scard. ibid.*

(b) *Discordia namque.* Populi consensu Florentiam missum ad revocandum Antonium Scaligerum, cujus morte cognita, Canem Franciscum ejusdem filium quinque annorum puerum Venetiis degentem postularaverant, sed illo a curatoribus (non satis enim firma spes videbatur) denegato, infelici eventu perterriti inter se de urbis re-

gimine agentes discordiam excitarunt. Vid. *Hieron. a Corte p. II. lib. 13. p. 214.*

(c) *Ugolottus Blanciardus.* seu de Blanchis Parmensis, in quo omnes fere illius temporis Scriptores conveniunt, excepto *Antonio Campi*, qui eum putat Cremonensem. *lib. 3. Hist. Cremon.*

(d) *Factionis ope.* Accitus a primoribus civitatis Galeatio adherentibus. Alii a populo appellatum volunt, ut defectionis venia obtineretur. *Plat. in vita Bonif. IX.* Alii ope militum qui Mediolanensem arcem tenebant, per portam arcis admissum asserunt. *Sic Corius p. III. Hieron. Corte part. II. lib. 13. Poggii vero sententiam confirmat Leon. Aret. Hist. Flor. lib. X. S. Antonin. p. III. Tit. 22. §. 8. Sabellicus. Em. IX. lib. 9.*

1390 militum (*e*) arbitrio , impudentiæque subjecta diutius permansit . Recepta Verona Dux arbitratus , proditione , aut negligentia civium facile se ea urbe potiturum , cum omnibus copiis , e vestigio Patavium contendit : sed nulla ibi , aut seditio , aut desidia Francisci virtute , quæ hostium consilia præverterat , reperta est . Excubiæ opportunis in locis , diu noctuque agebantur , una eademque omnium civium mens ad defensionem prompta vigebat . Mille præterea Germanorum equitum egregia opera , qui Florentinorum mercede parati sub Francisco militabant , fretus , & patriam servavit , & impetum hostium repressit . Inter hæc Stephanus (*f*) Bavarix Dux magnis opibus ex Germania a Florentinis vocatus , ut Mediolanensi bellum inferret , in Italiam venit : qui cum sex equitum millibus Patavium profectus primo adventu haud segniter bellum gerens , cum crebris incursionibus Galeatii omnia infesta redderet , hominem sibi , ac rebus suis timentem , maximam copiarum partem , ad patriam , Gallixque imperium tuendum ex Etruria revocare coegit . Adveniente vero fine anni , quo Stephanus conductus erat , cum pociose nimium , ac remisse cuncta administrare videretur , corruptusque (*g*) , ut ajebant , pretio parum infestus hosti esset , non absque proditionis nota in Germaniam revertitur . Henricus Montisfortis Comes , qui cum Duce venerat , sinceræ vir fidei , & cui Ducis consilia haudquaquam probarentur , accepto stipendio cum mille , & sexcentis equitibus Patavii remansit . Augustus in agrum Mutinensem , Reginum , Parmensem , ex-

cur-

N O T Æ .

(*e*) *Militum arbitrio* . Ad quinque dies , nec a depopulatione cessatum foret , nisi Catharinæ Galeatii uxoris ex Veronensi Scaligerorum gente auctoritas intervenisset . *Corr. p. II. lib. 13.*

(*f*) *Stephanus Bavarix Dux* . in Italiam venit una cum Joanne filio , Ratisbonæ Episcopo .

(*g*) *Corruptusque* , &c. nec vana suspicio , nam pacem cum Vicecomite suadebat .

curfionibus sæpius factis, magnaue hominum, ac omnis 1390
 generis pecorum præda Bononiam abducta, cum Pata-
 vium cum exercitu, ut hostibus efferet propinquior, petiffet,
 cum decem peditum, equitumque millibus Atesim va-
 do, mense Januario, loco qui dicitur Porta Ritia (h),
 ubi Carrarii castellum erat, trajecit, vastatisque hostium 1391
 propinquis agris, cum suos tentari proditione sensiffet,
 Patavium regreditur. Dux quoque Patavii Franciscus ma-
 gno, ut opus erat, apparatu regionem (i) sibi proxi-
 mam Ferrariensis, junctis ad id pontibus, ob frequentes pa-
 ludes, invasit; cumque nonnulla (l) castella subito adven-
 tu cepiffet, omnis ejus oræ incolas nil hostile, ob multipli-
 ces aquas veritos, pecorum quoque, quæ eo, ut in asylum
 confugerant, genus omne Patavium traduxit, quo gravi
 damno affectus Ferrariensis, cum re ipsa expertus efferet
 pluris propinquum hostem, quam longinquam amicitiam
 æstimandam esse, recuperatis (m) amiffis omnibus,
 una cum Mantuano abrogatis (n) Galeatii partibus, ad
 Florentinos (o) descivit. Majorem quam putarat belli
 molem subiturus Mediolanensis, omnes ferme pedites,
 equitesque qui in Etruria erant, redire juffit, quorum ope
 destitutos Senenses, bello acrius urgendi Florentinis facul-
 tas est data. Tribus exercitibus eodem tempore res gere-
 batur. Franciscus Carrarius egregiis copiis Veronam, o-
 mnemque vicinam oram continenter populabatur. Augu-
 tus

N O T Æ.

(h) *Porta Ritia*. Locus quo Augutus Atesim fluvium trajecit. Pecilem Leon. Aret. appellat. lib. X. Hist. Flor.

(i) *Regionem sibi proximam Ferrariensis*. Policinium scilicet Rhodiginum. S. Anton. p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 9.

(l) *Nonnulla castella*. & in his Abbatiam, & Lendinariam non contemnenda oppida. Pigna lib. 5. Hist. Princip. Atest.

(m) *Recuperatis amiffis omnibus*. Carrariensis Marchioni promiserat, se omnia restitutum, dummodo a Vicecomite recederet.

(n) *Abrogatis Galeatii partibus*. Priustamen ad Galeatium Legatis missis, qui nunciarent, se propinquis hostibus Florentino, & Carrariensi utrinque obsessum in ejus amicitia haud posse perseverare.

(o) *Ad Florentinos descivit*. Tractatus hic Venetiis inceptus, sed Galeatii amicis obstantibus haud perfectus, Ferrariæ tandem absolutus est.

1391 tus quoque rei bellicæ peritissimus, excursionibus factis, cuncta Galeatii oppida, nulla militibus quiete data, sollicitabat, hostesque ad pugnam provocabat. Loisius vero Capuanus haud ignobilis militaris scientiæ artifex vastatis Senensium agris, circumactoque per illorum fines ad urbem usque ipsam exercitu, suos ingenti præda oneratos quotidie reducebat. Lucinianum (p) quoque, pluraque, quæ Aretinorum castella fuerant, vi expugnata, ac recepta sunt. Cum gravi premerentur Senenses bello, seditione orta inter cives, partim improbantes, partim comprobantes susceptum bellum, nobiles (q) familiæ pelluntur urbe, quæ omnes cum suis castellis (ea permulta (r) erant) hærentes Florentinis, multum terroris, damnique civibus intulerunt. Erat futura superior admodum eo bello Florentina Respublica, nisi eorum consiliis fortuna obstitisset; nam dum hæc in Etruria Galliaque aguntur, Oratores duo Renaldus Gianfiliatus equestris ordinis, & Johannes Riccius in Transalpinam Galliam, ut retulimus missi, cum audissent Jacobum Armeniacum Comitem cum duodecim equitum, peditumque millibus ociosum in provincia Narbonensi vagari; promisso stipendio, cujus post descensum in Italiam initium erat, suaserunt, ut contra Galeatium arma sumeret. Ille tum pecuniæ magnitudine, tum dominandi cupidine ductus, multa enim promissa fuerant post adeptam victoriam; icto fœdere se in Italiam venturum promisit; jurequejurando cautum est, quo tempore bellum moturus esset, quantamque, & quibus in locis pecuniam recepturus. Ea mens Florentinis erat,

N O T Æ.

(p) *Lucinianum*: jam Florentinis a Bononiensibus adjudicatum, ut supra.

(q) *Nobiles familia*. Decem ex nobilibus familiis Senis pulsas nominat *Leon. Aret. lib. X.*

(r) *Ea permulta erant*. cum decem castellis Orlandus Malavoltus ad Florentinos descivit. *Volaterr. lib. 5. Geog.* Alia adjece- runt Jacobus Salimbenius, & Marchio a Monte, *Ann. lib. 15.*

erat, sociisque, ut non Senenses solum opprimerent, quippe parva belli portio ea urbs fuisset, sed ut tyranni opes debilitarent: quod, ut facilius posset perfici, decrevere, ut Augustus cum omnibus copiis Armeniaco jungeretur, communique consilio administrarent bellum: confidebant enim, alterius ducis (f) prudentia, alterius viribus facile Mediolanensem debellari posse. Itaque & Augustus cum exercitu in Galliam ire iussus, & litteris, Oratoribusque Armeniacus ad transitum sollicitatus. Egerat Tyrannus cum Principibus Galliae, prece, ac praemio corruptis, ut illum ab incerto detraherent: quod multis verbis efficere conati sunt. At ille in fide data perseverans, omnes hujusmodi suasiones rejecit, testatus, tum omnibus, tum maxime Principibus fidem servandam esse. Praefectum vero ex suis, cui ala equitum commissa erat, ab eo deficientem, ex itinere retractum securi percussit, servatoque foedere vir egregius praestituto tempore Alpes transcendit. Augustus interim cum omni sociorum exercitu (ii sex electorum equitum millia, peditum mille erant, absque impedimentis) Vicentiam, Veronamque praetervehens mense Majo Atesim, loco quo antea, transit, positisque castris, vicos, oppidaque, securus ferme praedabatur: cumque incertus, ubinam locorum Armeniacus foret, in ea loca exercitum aliquandiu tenuisset, ad mille tyranni (r) equites tutandae regionis causa relictos, cum obviam occurrissent, multis occisis, pluribus captis, profligavit. Inde securus ab hoste, Mincium ea parte, quam vulgo Molendinum dicunt, vado transiit, relictaque a dextris Brixia, Ollium prope Soncinum trajecit: per agrum deinde Bergomensem profectus prope flumen Abduam,

O infra

N O T A E.

(f) *Alterius ducis prudentia*. nempe Augusti. *alterius viribus*, nempe Comitum Jacobo Armeniaci.

(r) *Ad mille tyranni equites*. Thaddæo Veruccio Duce, Augusti exercitum infestantes.

1391 infra (u) vigesimum a Mediolano lapidem castra locavit: ubi diutius stativa habuit, populandoque vicinas regiones Armeniacum expectabat. Vastabat vero longe, lateque oras omnes per quas transierat, abducta omnis generis præda, repugnante nullo, cum tantum militum in eis locis relictum esset, quantum satis visum est ad urbium tutelam: eo enim sub adventum Gallorum copiarum omnes tyranni convenerant, unde majus periculum imminebat. Nam omnia Galeatii oppida, singulæque regiones ad adventum Armeniaci, quem magno cum exercitu (ut vulgo in rebus fit dubiis) adventare rumor erat, suspensæ, fortunam secururæ videbantur. Equites interea peditesque Florentinorum, qui ad Volaterras, & Colle erant, loca maritima Senensium invasere, ingentique præda parta Volaterras revertuntur. Oppidum insuper Regiolum (x) in Casentinati, quod secundo belli anno ad Tyrannum desciverat, firma e vestigio obsidione cinctum quarto mense expugnatum, incensumque est (y). Auctores defectionis viginti laqueo pœnam dedere, reliqui (z) in carcerem trusi. Interea a Bononiensibus Florentiam Oratores missi Senatum adeunt. Quo in statu res eorum sint docent: tantos belli sumptus se diutius non posse ferre demonstrant: aut minuendos eos esse, aut querendam necessario ab eis pacem. Nihil alienius visum est Florentinis, quam eo tempore duarum gravissimarum rerum injectam mentionem, nec periculosius quicquam ferri in consultationem posse. Ideo responsum est, se quoque

N O T Æ.

(u) *Infra vigesimum*. infra decimum sextum a Mediolano lapidem refert S. Anton. & XV. juxta Leon. Aret. lib. X. Ibi diutius stativa habente exercitu, Florentini Legati qui apud Augutum erant, equorum ludum die XXIV. Junii, quo die Florentiæ celebrabatur, ipsi quoque celebrarunt, ab altera Abduæ ripa spectantibus hostibus.

(x) *Regiolum quod ad tyrannum desciverat*. Joannis Tedeschi opera.

(y) *Incensum est*. milites, qui in oppido erant, ut abirent incolumes, pacti, oppidum & oppidanos Florentinis tradidere.

(z) *Reliqui in carcerem trusi*. qui proximo Augusti mense Florentinorum pietate libertati restituti. *Ammirat. To. 2. lib. 15.*

que ultra facultates in varios belli usus tributo vexari : 1391
 agros insuper suos ab hoste populatos : sed omnia pro libertate ferenda, patiendaque esse : nullam in hoste habendam fidem, quam in suos Patavinumque, ac Veronensem esset expertus. Supprimendas eas esse voces, ne qua hostis rescisceret : hæc enim factura tyranno animos : bello omnibus viribus incumbendum : victoriam in manibus versari. Patavium recuperatum esse, advenisse in eorum præsidium (a) Germanos : Gallos (b) prope diem in Galeatii provinciam affuturos, quorum opera aut opprimeretur hostis, aut pacem essent tutam habituri : redirent itaque, ac populum suum bono animo esse juberent, & ad prosequendum bellum hortarentur. Inter hæc frequentibus litteris, nuntiisque Armeniacus ab Auguto sollicitabatur, ut nulla interposita mora Alpes superaret, & in Italiam transcendere maturaret : monebat vero præcipue, ne quam belli fortunam, quæcunque etiam se prospera offerret, priusquam secum jungeretur, tentaret. Noverat enim Gallorum (c) naturam pronam ad certamen esse, sæpiusque impetu quodam præcipiti, quam ratione ad pugnandum ferri. Quod (ut postmodum contigit) veritus prohibebat ullo pacto fortunæ arbitrium, quæ plurimum in bellis posset, subire. Idemque illud & Legati (d) Florentini, qui cum eo erant, suadebant. At ille plus viribus, quam consilio fretus. (& ætate (e) erat florida)

O. 2. cum

N O T Æ.

(a) Germanos. Henrico a Monteforte duce.

(b) Gallos. sub Comite Armeniaco.

(c) Gallorum naturam, &c. impetu quodam præcipiti. Sic Cæsar. lib. 3. de Bell. Gall. Nam ut (de Gallis loquens) ad bella suscipienda alacer, & promptus est animus, sic molli, ac minimo resistens ad calamitates perferendas mens eorum est. Vid. Liv. lib. X. & Brietium Ann. Mundi, ad ann. 1391. ubi hæc

habet. Armeniacensis &c. dum in obsidione fortius agit, Francorum more, quam prudentius, interemptus copias perdidit.

(d) Legati Florentini. Raynaldus Gianfiliatius, & Joannes Riccius, qui apud eum erant.

(e) Ætate erat florida. nondum enim vigesimum octavum annum compleverat. Ammirat. p. I. T. 2. lib. 15.

1391 cum primum ex Alpibus descendit, non exploratis hostium viribus, non expectato Auguto, nulla periculi ratione habita, temere in totius fortunæ discrimen descendit: & cum plura castella Alexandriae urbi, quæ Galeatio parebat, propinqua partim vi, partim timore cepisset, tandem oppidum ipsum, oblitus sani consilii antea per Augutum, & legatos dati, atque inscius, quæ hostium copiæ in eo laterent, pedestri acie oppugnat. Igitur ante meridiem (& æstatis (f) tempus erat, & increbuerat æstus) relictis (g) seorsum majori ex parte equis, pedibus, ut mos Gallorum est, urbem aggreditur. At hostium magno numero equites electi, qui eo, inscio Armeniaco, antea convenerant, duce Jacobo Vermio, portis egressi de improvviso (h) magno impetu pugnantibus adoriuntur. Et quod consilium haudquaquam eos fefellit, primum equos (i) fessoribus vacuos, nullo negotio capiunt: deinde Armeniacos pedestres a fronte, & a tergo aggressi, tum lanceis, tum equorum incurfu dissipant. Tribus horis aspere pugnatum est: Gallis præsentis animo certantibus, neque cedentibus adversariis, illis magis a labore recentibus, magisque equorum, quam suis viribus confisis: tandem cum dispares equitibus pedites essent, Galli viribus equorum, velocitateque impares, certandi labore defatigati, siti æstuque, ac vulneribus confecti superantur (l). Mul-
ti.

N O T Æ.

(f) *Æstatis tempus erat*, sub finem mensis Julii. *Corius p. III.*

(g) *Relictis seorsum majori ex parte equis*, itinere, levibusque pugnis equos defatigatos reliquerat, eo insuper consilio, ut omnis fugæ spes auferretur. *Amm. To 2. l. b. 15.*

(h) *De improvviso, &c.* Mille equites sibi reservaverat Vermius, queis dum pugna increbuerat, nil tale veritum Armeniacum adortus est. *Ammirat. ibid.*

(i) *Equos fessoribus vacuos*, quos seorsum reliquerat, ut supra dictum est, fugatis custodibus.

(l) *Superantur*. Fulse rem narrat *Arcostus lib. 33.*

*Scender da Monti un Capitano Gallo
E remper guerra a i gran Visconti illustri,
E con gente Francesca a piè, e cavallo
Per ch' Alessandria intorno cingia, e lustrì,
E che il Duca, il Presidio dentro posto,
E fuor abbia l'aguato un po discosto.
E la gente di Francia male accorta
Tratta con arte ove la rete è tesa
Col Conte d'Armeniaco, la cui scorta
L'avea condotta all' infelice impresa,
Giaccia per tutta la campagna morta.*

ti utrinque in acie cæsi: dux ipse parvo vulnere accepto 1391
 in urbem (m) ductus lassitudine, æstuque expiravit, suo-
 que docuit exemplo, plus momenti in belli victoria con-
 silium præbere, quam vires. Magna pars exercitus in præ-
 lio capta: quidam per agros dispersi non evaserunt aut
 insequentium equitum, aut agrestium manus: paucis fu-
 ga salutis fuit. Ita nobilis exercitus unico prælio, ducis
 temeritate periit. Florentinorum insuper Oratores capti
 sunt, magnoque postmodum pretio (n) redempti. Præ-
 da omnis, pecuniaque, quæ plurima ab Oratoribus in sti-
 pendium allata erat, inter victores divisa. Hac præter
 spem tam insigni victoria potitus hostis, confestim ad cir-
 cumveniendum Augutum profectus prope ipsum (o) ca-
 strametatus est. Fama tam adversæ pugnae vulgo spar-
 sa (nam itinera custodiis septa erant) ad eum dubium,
 suspensumque animo pervenit, quam vero similem, &
 pene certam, conspecti in propinquo hostes fecere. Qua-
 re admodum commotus Dux, paucisque præfectos, ac
 primores equitum ad bonam spem hortatus, *firmiter animo*
esse jubet: se duce omnia evasuros pericula affirmat, modo
viri essent, neque inani metu deficerent: omnia tuta viris
fortibus esse. Pluribus in eam sententiam dictis, retro pau-
 lum Cremonam versus cum exercitu cessit, & apud vi-
 cum quendam Cremonensem (Paternum appellant) *con-*
fedit. Quem hostes secuti paulo amplius mille passibus
 longe

NOTÆ.

(m) *In urbem ductus expiravit.* Arme-
 niacus Alexandriam ductus non sine vene-
 ni suspicione mortuus est, ut *Ammirat.* ex
 antiquo chronico collectum refert. *lib. 15.*
 Huic tamen non adhæret idem Ammiratus,
 incio enim Galeatio hoc Veruccius haud
 egisse poterat; mortuum fuisse putat *Sabel-*
licus Enn. 9. l. 9. tum ex vulnere, tum vero
 maxime ex infelici pugnae exitu.

(n) *Pretio redempti.* Raynaldus Gianfi-

liatus quam citissime liberatus duobus au-
 reorum millibus & quingentis. Joannes
 Riccius diu in carcere detentus, septem
 millibus tandem redemptus est. *S. Antonin.*
p. 11. Tit. 22. cap. 3. §. 1. Idcirco autem Ric-
 cius pejori conditione usus est, quod belli
 in Galeatium auctor fuisset.

(o) *Prope ipsum castrametatus est,* ad
 mille quingentos passus. *Leon. Arct. lib. X.*

1391 longe ab eo posuerunt castra. Erat inter duos exercitus praetum ingens, inque ejus medio aquae rivulus decurrens frequentibus cinctus sepibus, ad quem quotidie hostes decurrentes Auguti milites ad pugnam provocabant. At ille magis astu quam viribus utendum ratus, suos intra munitiones se continere jubet: quos pluribus (p) diebus hostes crebris incursionibus ad pugnam elicere conati, cum iis quiescentibus hostium animi crevissent, atque ultra rivulum obequitantes propius castra adversarios, ut ignavos, timidos, ac remissos incusarent, nulloque servato ordine passim, tamquam explorata victoria, Auguti castris insultarent, Augutus sequenti die eadem incuria hostes redituros sperans, suos ad pugnam paratos instructosque in equis stare jubet. Cum illi majori numero, tamquam castra oppugnaturi postera die rediissent, eruptione facta hostes invadit, magnoque impetu certamen aggressus, fudit (q) omnes, & usque ad castra profequitur: multisque occisis, ad mille sexcentos equites, & in his aliquot praefectos magno cum hostium dedecore cepit. Ea victoria paulum superbia hostium contusa est, neque ausi amplius quenquam ad certamen provocare, castrisque tamquam victores insultare. Quiescentibus utrinque omnibus, dux hostium Jacobus Vermius illudens Auguto vulpem cavea inclusam ei dono dicitur misisse, callidum, & astutum ducem veluti cavea inclusum demonstrans. At ille vultu hilari suscepto munere Jacobo referri jussit vulpi callem esse notum, quo sit egressura.angebant praestantissimum ducem pericula multa quae undique imminebant. Hinc validior hostis, cui vires in diem crescerent, qui quocumque se vergerent impediendo iter, aut carperet

postre-

N. O. T. Æ.

(p) *Pluribus diebus.* ad quatuor dies, ut | menti victoriam pertransit *Bernardinus Co-*
S. Anton. p. III. Tit. 22. | *rius Hist. Med.*
 (q) *Fudit omnes.* Tanquam levis mo-

postremum agmen, aut cogeret ad pugnandum: hinc 1391
 amnis (r) trajiciendus erat, quæ sola salus restabat, &
 vadum (f) qua transferat repetendum. Mora longior erat
 periculi plena, commeatumque inopia discedere coge-
 bat. Itaque neque morari, cum non esset unde frumen-
 tum supportari posset, neque abire sine periculo pote-
 rat, cum hostes persecuturi, & iter turbaturi essent.
 Quod solum restabat, ad artes, & calliditates pristinas
 conversus, docuit plus ingenium in bellis, quam vires pos-
 se. Consilio usus imperatoris prudentissimi, primum ho-
 stes in posterum diem ad certamen provocans, adæquatis
 locis omnibus quibus dimicandum erat, speciem futuræ
 pugnæ palam ostentavit. Inde in proceris arboribus ve-
 xilla nonnulla, & militaria signa, quæ ex hostium ca-
 stris conspici possent, erexit: tum tibicines, qui noctu,
 maneque etiam post solis ortum bellicum canerent, dis-
 posuit: quæ omnia præberent exercitus præsentis signa.
 Præterea viliora impedimenta, & clitellas straminibus
 plenas, opimam ostentantes prædæ, quo hostes rapiendi
 curæ intenti ab insequendis militibus retardarentur, in
 castris reliquit. Inde silentio secunda noctis vigilia castris
 motis tutus ad Ollium pervenit. Suspiciatus autem hostes,
 re cognita, persecuturos, postremam aciem robustissimis
 equitibus, qui hostium impetum exciperent, firmavit. Et
 jam exercitus ferme omnis flumen transferat, cum hostes
 elusi arte militari supervenere, insecuti tardius, tum spe
 futuræ pugnæ, tum inani prædæ decepti. Hic dux cau-
 tus, ad omniaque intentus pericula, in ulteriori fluminis
 ripa, sagittarios equestres ad quadringentos ex Britannia
 disposuit, qui & suos tutarentur, & adversarios a transi-
 tu

N O T Æ.

(r) Amnis trajiciendus erat. nempe Ol-
 lium.(f) Vadum qua transferat. prope Sonci-
 num, ut supra.

1391 tu fluminis prohiberent . Ad extremam aciem tutandam qui relictī erant , cum diutius prælium sustinuiſſent , ſagittariorum præſidio flumen abſque discrimine emerſi , una cum illis ſuos ſunt inſecuti . Deinceps pacato , haud (t) inſequente hoſte , cum ad Mincium perveniſſet , ſolito vado exercitu (u) tradueto , caſtrisque ad Ateſim motis , prope amnem decem millibus paſſuum conſedit . Ibi maximum omnium periculum adiit : ex tyranni enim præcepto dirutis , ſummotisque Ateſis aggeribus , qui excreſcentes , propter liquefactas in montibus æſtate nives , aquas compriment , tanta inundatio per univerſam planitiem facta eſt , ut pene omnes mergerentur . Media nox erat , & ſopiti ferme omnes , cum aquarum impetum ſenſere : experrecti e veſtigio , quod unum perſugium fuit , equis aſcenſis ſtantes vim fluminis ſuſtinuerunt . Diluculo relictis impedimentis , quæ aqua demerſa fere corrupta erant , proficiſci equites tardo gradu (ut quorum equos umbilico tenus aqua impediret) cæpere . Sero magna cum difficultate iter diei emenſi , ſuperatis aquis , ad Baldum (x) Patavini agri oppidum pervenere . Debiliores equi , qui labantes , neque ſeſſorem pati , neque vim aquarum ferre poterant , proſtrati ad terram defecerunt . Peditum magna pars , cum majori ex parte corpus aqua occupati , frigore inſuper , & labore continuo fatigati , corpore , animoque debilitati eſſent , fœde perierunt : plures caudis equorum , qui validiores erant , innixi labores itineris facilius tolerarunt : equites quoque permulti confectis equis abſumpti ſunt . Hos inſecuti hoſtes , ut primum campos late ſtagnantes excreſcentibus aquis conſpexerunt , arbitrati exercitum

per-

N O T Æ .

(t) *Haud inſequente hoſte* . Ollium enim flumen medium interjacebat .

(u) *Solito exercitu tradueto* . Mincium in tribus , cymbis que trajecit .

(x) *Ad Baldum* . ſeu ad Oppidum Baldum , quod Patavinam ditionem a Ferrarienſi dividebat .

periisse retro abiere. Constans fama est, neminem alium 1391
belli ducem, tot difficultates, tot pericula superare potuisse: cujus dicta, factaque inter priscorum oratorum, ac ducum vafra videntur enumeranda; omnia enim pericula consilio vicit, & calliditate, qui cum in intima hostium loca cum parvo (y) exercitu penetrasset, suos incolumes sine incommodo, præter ea, quæ aquarum calamitate accidere, quibus nullo consilio obsisti poterat, reduxit. In agro (z) sociorum constitutus, reficiendo exercitui intentus erat, ex hostium motu & ipse consilia sumpturus. Dum hæc in Gallia Transpadana geruntur, videbantur regiones citra Padum malorum belli expertes esse. Itaque excogitata ratio est, qua hostis pluribus in locis expugnaretur. Pons supra Padum a loco, quem Burgumfortem dicunt, ad aliam ripam, Placentiam versus firmissimis trabibus, ingenti mole magnoque labore, majore Florentinorum sumptu fabricatus est, tum ut eorum copiarum quæ Mantuæ (a) urbe eis socia erant, agrum Placentinum, omnesque propinquas oras excursionibus infestas reddere, prædarique, tum ut auxilia Mantuano facilius subministrari possent. Multum id contulit ad distrahendas tyranni vires, & ad postulandam pacem, cum undique ejus imperium gravi premeretur bello, nullaque pars ditionis ejus expers esset malorum. Quapropter desperata victoria, cum se undique bello urgeri, vastari a-

P gros,

N O T Æ.

(y) *Cum parvo exercitu*, & adversa Armeniaci pugna terrore, ut addit *Jacobus* in Italica versione.

(z) *In agro sociorum*. Carrariensis, & Atestini.

(a) *Mantuæ urbe eis socia*. Ad Florentinos desciverat *Franciscus Gonzaga*, ut ejus dolos ulcisceretur, queis motus Agnetem uxorem sustulerat. Monuerat enim *Galeatius Franciscum*, ut ab uxore caveret,

quæ *Caroli Vicecomitis fratris impulsu* eum occidere statuerat, qua de re *Caroli litteras*, in uxoris cubiculo latentes indicaverat. Hisa *Francisco* repertis, nihil de *Galeatii* fide dubitante, qui eas confinxerat, & in intimo penetro reponi curaverat, uxorem occidit. Qua defuncta *Galeatii fraudes* innotuere. *Scipio Agnellus Maffei Hist. Mantua lib. X. cap. 5.*

1391 gros, prædas captivosque ab hostibus agi cerneret, Florentinorum vero urbem, ejusque regiones omnes, præter eas, quæ Senensem agrum attingunt, procul a bellorum calamitate, quiete, & ocio frui, periculaque quæ adisset secum reputans, & fortunam belli communem: suas (b) omnes copias Lucam convenire jussit, eo consilio, ut subito tumultu in agrum Florentinum irrumpens urbis mœnia ad terrorem incutiendum obequitaret. His præparatis, de pace cogitare cæpit, sperans quacunque conditione Florentinos illam appetituros, cum hostilia arma prope ex ipsis mœnibus viderent. Eam vero per Antonium (c) Adornum Genuæ Ducem, virum sibi amicissimum occulte, tamquam id sua sponte quæreret, tentavit: qui extemplo Florentinos litteris hortatus est, ut ad se legatos mitterent: pro certo habere Galeatii mentem a pace haud alienam: sperare facile omnia, dummodo æqua postulentur, conventura. Quare confestim eo Philippus (d) Adimarius, Ludovicus Albergottus jurisconsultus Aretinus, & Guido (e) Thomasius vir optimus ex primoribus civitatis missi: a Bononiensibus quoque, ceterisque sociis Oratores decreti, ut una (f) cum Rhodii Hospitalis Magistro, Bonifatii Pontificis, Italiæ ocium, ac quietem exoptantis, Legato de pace agerent. Inter hæc, cum Florentini Mediolanensis exercitum in agro Lucensi conventurum præsensissent, & ipsi Augutum cum exercitu ex Gallia

N O T Æ.

(b) *Suas omnes copias*. 20. millia militum. Corius p. III.

(c) *Antonium Adornum*. alii Antoniotum, ut *Flat. in Vita Bonif. IX.* & *Ubertus Folieta Hist. Gen. lib. 9.*

(d) *Philippus Adimarius*. Eques.

(e) *Guido Thomasius*. a Palatio, vir ingenio, & sanctitate eximius, ut *Jacobus Poggius* in Italica versione, *Leon. Aret. lib. X.* non Guidonem Thomasium, sed Guidonem

Palatium Thomasii filium appellat. Huic & Beatus Joannes a Cellis, Monachus Vallisumbrosæ, & S. Catharina Senensis litteras scripserunt.

(f) *Una cum Rhodii Hospitalis Magistro*. Riccardus Caracciolus, Hierosolymitanæ militiæ Magnus Magister, a Bonifacio IX. Legatus Januam de pace missus. *S. Antonin. p. III, lib. 22.*

lia avocarunt: qui relicto ibi præsidio, cum Bononiam 1391
venisset, superato Apennino in agrum Pistoriensem cum
exercitu descendens, apud Miniata locum castris cepit,
ex itinere hostium rebus gerendis consulturus. At illi cum
in agro Pisano aliquandiu Senensium copias expectassent;
eæ autem metu hostium territæ intra fines suos se contine-
rent, tandem obviam illis apud Casolum in Senensium
agro Jacobus Vermius proficiscitur, ibique junctis copiis,
quæ millia equitum decem, quinque peditum censeban-
tur, retroversus Certaldum (g) petiit. Inde motis ca-
stris per Vallem Helfæ ad ostium fluminis prope Miniata
descendit. Augustus audita hostium profectioe, ipse ad
Bonitium, ut iter Florentiam eundi hostibus interclude-
ret, pergit, eosque in itinere laceffens, profectusque ab-
euntes, apud Emporium castra posuit. Hostis parvulo ca-
pto, direptoque (h) oppido quod prope Miniata erat, ad
Fucechium primo pervenit. Inde agrum Pistoriensem in-
gressus locum, qui Cajanus dicitur, petit. Augustus in agro
Pratensi prope hostem duobus millibus passuum locavit
castra: cumque ejus exercitus auxiliariis (i) copiis quæ a
Florentinis in diem subministrabantur, augetur, aditus
omnes, quibus hostes prodire possent præoccupavit. Ea
spe freti legati Florentini (l) duo qui in castris erant, no-
mine Decemvirum suadebant, volebantque penitus, ut
cum hostibus confligeret. At dux ad belli officia pruden-
tissimus tutiora consilia secutus Legatorum contempsit ver-
ba. Hostis animadvertens, & adversariorum vires auctas,
& Augusti prudentiam (m) formidans, Lucam, unde pri-

P 2 mo

N O T Æ.

(g) Certaldum. Joannis Boccaccii natale
solum.

(h) Direptoque oppido. Canneti.

(i) Auxiliariis copiis. ad decem millia
militum missos asserit Ammirat. To. 2. lib. 15.

(l) Legati Florentini duo. Robertus Al-

dobrandinus, & Andreas Victorius. Leon.
Aret. lib. X.

(m) Prudentiam formidans. ex penuria
impediti commeatus abire coactus fuit. S.
Antonin. p. II, Tit. 22, §. 13.

1391 mo profectus erat, repetere statuit, instructoque exercitu iter ingressus extremam aciem equitum firmo præsidio munivit. Nuntiatum Augusto est hostes fugere, qua ex re quidam equitum præfecti, abeuntes ut persequi possent, a duce postulabant. At ille haud inscius nusquam minus, quam in bello eventus respondere; suos intra vallum continuit, asserens satis esse hostes pro victis abire; nunquam enim eos qui fugerent vicisse. Duo tamen ex his, contempto ducis præcepto hostes consecuti, pauci a multis victi plurimis amissis equitibus rediere. Erat ducis ad omnia sagacissimi mens incolumem ab hoste reddere patriam, neque cum validioribus certare. Satis officio suo factum iri putans, si salvam Rempublicam præstitisset, si neque præda auctos; neque ulla memorabili re gesta abire inglorios coegisset. Ne tamen aliqua victoriola hostes gloriari possent, e vestigio firmiores copias ad persequendos eos præmittit: ipse cum reliquis subsequitur. Qui ex hostibus in extremo agmine locati erant, victoria (n) priori elati, pugna commissa majori ex parte nonnullis (o) desideratis capti sunt, Thaddæusque (p) Vermius, Gentilis Camertes, Johannes Appianus equitum præfecti haud vulgares in captivitatem abducti; quo tumultu hostes perterriti magnis itineribus ad mediam ferme noctem ad Carolum (q) Lucensis agri oppidum pervenere. Postridie motis ante lucem castris, Lucam transgressi in Auxeris Valle ditionis Pisanae castrametati sunt, ubi timore simul, & labore itineris fatigati reficiuntur.

Au-

N O T Æ.

(n) *Victoria priori elati*. qua duos equitum præfectos profligaverant.

(o) *Nonnullis desideratis capti sunt*. Tercenti pedites occisi, captique ducenti. *Leon. Aret. lib. X.* quanquam *Ammiratus* ad duo millia pedum desideratos, captosque mille gloriatur. *To. 2. lib. 5.*

(p) *Thaddæusque Vermius*. Veronensis, Jacobi Vermii Ducis nepos, Gentilis Varanus Camertes, & Joannes, seu Vannes Appianensis Pisanus Florentinorum captivi. *Truncius Ann. Pis. ad ann. MCCCXCI.*

(q) *Ad Carolum*, seu Montem Carolum.

Augustus eos usque ad Carolum persecutus, multa impe- 1391
 dimenta, relictasque tardius sequentes machinas, & im-
 belliores equites de via fessos comprehendit. Biduo quieti
 dato, ad hostes pergens, postquam ita munita castra re-
 perit, ut difficilis eorum expugnatio videretur, retro ad
 Miniatae revertitur, expectaturus, an Senensium copiarum do-
 mum redirent. Ut autem tutior ab hostium populationi-
 bus ea regio redderetur, fossam pedes viginti latam, pro-
 fundam quindecim a Toporio ad Arnun usque, duobus
 millibus passuum duxit, cujus in principio turrim ingen-
 tem erexit, quæ hodie Turris fossæ appellatur, ut esset
 tamquam specula, ex qua insidiis hostium a longe conspe-
 ctis, incursiones facilius evitari possent. Cum spes hostis
 irrita evasisset, magnique belli apparatus, neque gloriæ,
 neque usui fuissent, dolore simul, ac pudore motus Ver-
 mio mandat, ut ad impediendas mercaturas, com meatuf-
 que, qui a Pisano portu Florentiam comportabantur,
 viam qua Pisis Florentiam itur cum exercitu obsideret,
 sperans maris usu prohibitos Florentinos ad meliores pacis
 conditiones descensuros: quibus rebus cognitis, Augustus
 (jam enim ad Cascinam, Florentiam versus hostes castra
 posuerant) apud Miniatae hostium consilia expectaturus
 perstabat. Ejus loci mora cum gravis hostibus videretur,
 pactus (r) Jacobus cum Pisanis, ne quid Florentiam de-
 ferri paterentur, retro in Galliam se cum exercitu itu-
 rum sponndit. Per idem tempus Genuensium Dux, fo-
 cius, & amicus tyranni, apud quem de pace agebatur, duas
 longas naves, Florentinorum bona prædatum misit, a
 quibus multa direpta, & vi capta sunt. Venit præterea
 Pisas

N O T Æ.

(r) *Pactus Jacobus cum Pisanis*. nempe quo cum questi fuissent Florentini, se illis
 cum Petro Gambacurta, qui ut Jacobum a non minus, quam sibi consuluisse respondit,
 sua ditione amoveret, XV. dierum spatio hostes longe summovendo. *Truncius Ann.*
 se nihil Florentiam missurum sponndit; de *Pis. p. 471.*

1391 Pifas a Galeatio missus Jacobus (f) Appianus, petiturus, quo meliorem pacem assequerentur, tum ne quas mercaturas Florentiam usque ad Aprilem mensē mitti sine-
rent, tum de inēundo cum eo fœdere. Utrunque servan-
dæ pacis gratia negatum est. Ut autem tutiores Florenti-
norum res maritimæ redderentur, & ipsi triremes (t)
quatuor parant, quæ Pisanum (u) portum ingressæ, re-
pertam navem onerariam, in qua erepta inerant, cæpere.
Bona majori (x) ex parte recuperata, navis dimissa, ne
cum Genuensi aliqua belli causa oriretur. Iterum cum
ejus (y) triremes portum intrassent, expugnaturæ Floren-
tinas naves frumento onustas, commisso certamine mul-
tis interfectis (z) superantur. Hæc eo tempore mari ge-
sta. At ex parte altera Cortonæ Princeps (a), Florenti-
norum eo bello socius, coactis pluribus militibus, agrum
Perusinum late populatus est, magno tum hominum,
tum pecorum numero abducto, adeoque Perusinorum op-
pida prædatus est, ut eos sæpius suscepti belli pœniteret:
sed exulum metu factio, quæ urbem tenebat, aspera quæ-
que patiebatur. Pifas interim, tum ut Florentinorum
mercaturæ per mulos, tum ut magna frumenti vis ad urbem
tuto deferri posset, equites sexcenti, qui venientibus præ-
sidio essent, mittuntur. Quingenti fuere muli rebus onerati
variis, qui Pifas egressi, nilque adversi suspicantes in hostes
inciderunt. Ad duo millia equitum in itinere a duce (b) in
insidiis.

N O T Æ.

(f) *Jacobus Appianus*, Pifanus, Joannis Appiani per Florentinos capti Pater.

(t) *Et ipsi triremes quatuor parant*. Duce Andrea Gargiola, Florentino exule Siculi maris Pyrata, qui ad patriam revocatus quatuor triremibus, quarum duæ mercede conductæ erant, capta ab hostibus recuperavit, & ob bene navatam operam civitati restitutus est. *Ammirat. To. 2. lib. 15.*

(u) *Pisanum portum*. Liburnum, tum Pifanæ ditionis.

(x) *Majori ex parte recuperata*. duodecim florenorum millia recensebantur.

(y) *Ejus triremes*. nempe Galeatii.

(z) *Multis interfectis*. ad quadraginta interfecti, quorum præcipuus Triremis Tetrarcha, & 150. vulnerati, Gargiola duce.

(a) *Cortonæ Princeps*. Ugo de Casalibus, ut *Pellinus Hist. Per. lib. 11.*

(b) *A Duce*. Jacobo Vermio.

insidiis disposita erant, quem Appianus Florentinis admo- 1391
 dum adversus, de profectioe, & præsidio ad custodiam
 misso, & loco insidiis opportuno certiore fecerat. Ma-
 gnum ab initio, inter præsidium, & hostes certamen fuit,
 & aspero utrinque Marte pugnatum: cum vero longe nu-
 mero superiores hostes essent, victoria (c) potiti majori
 ex parte mulos, & sarcinas maximo Florentinorum da-
 mno capere: qua ex re tum Pisani tyranno faventes, tum
 Senenses ad levem auram mobiles præter modum lætati
 sunt. Sed eorum inanem lætitiã haud diuturnam Loy-
 sius Capuanus reddidit, qui pluribus excursionibus ad por-
 tas usque urbis factis, omnia late populatus est: aquædu-
 ctum insuper, qui fontem in platea efficit, demolitus, ita
 ut aqua nequicquam in urbem influeret: pluraque damna
 intulit, quibus illorum inanis jactantia repressa est. Agi-
 tabatur inter hæc Genuæ de pace, ut diximus; cumque
 Mediolanensis postulata, Patavium restitui in primis pe-
 tentis, iniqua viderentur, visum est satius esse, ut per ami-
 cos, atque arbitros res transigeretur, quæ Ducis Genuensis
 (d), Populique, ac Magistri arbitrio deferri petebatur.
 Res dubia visa est, neque omnibus credenda, in qua Flo-
 rentinorum status, sociorumque verteretur. Tyrannus ve-
 ro facile voluntatis (e) Genuensis securus assentiebatur,
 cujus animus palam illius commodo inserviebat. Floren-
 tini sociique (modo exploratum, cautumque etiam ipso-
 rum

N O T Æ.

(c) *Victoria potiti*. Joannes Beltotus An-
 glus vix conspectis hostibus fugam arripuit,
 unde Ugo Montisfortis Comes licet stre-
 nue pugnans, impari admodum numero,
 captus fuit. *Ammiatus Hist. Flor. To. 2. lib.*
15. p. 828.

(d) *Ducis Genuensis, &c.* firmandæ pa-
 cis facultas data Riccardo Caracciolo Hiero-
 solymitano Magistro, Legatoque Ponti-
 ficis, & Antoniotto Adorno, Genuensi Du-
 ci, cui additus honoris gratia Genuensis

Populus, cujus in urbe hæc agebantur, pro
 una tantum persona, ut *S. Antonin. p. III. Tit.*
22. Leon. Aret. lib. X.

(e) *Voluntatis Genuensis securus*. Inno-
 tuerat enim Genuensem Ducem, socerum
 suum Avronnem Doriam, ad Petrum Gam-
 bacurtam misisse, ut eum ad foedus cum
 Galeatio ineundum hortaretur. *Ammiatus.*
To. 2. lib. 15. Adde, Galeatium ab eodem
 Duce duas triremes adversus Florentinos
 impetrasse, ut supra diximus.

1391 rum, quibus commissum erat, chyrographo foret, qui decre-
 creturi essent) minime id recusabant. Hoc impetrato li-
 bera potestas tradita est eis pacis condiciones dicendi: ex
 multæ, ac præter pacta, & datam fidem fuere; primum,
 uti Patavium Francisco ea lege cederet, ut decem aureo-
 rum millia in quinquaginta annos Galeatio penderet, o-
 mnibusque belli (f) tempore proscriptis, non tamen præ-
 ter voluntatem civium, in urbem redeundi potestas esset:
 ablata utrinque post captum bellum castella, quæ quidem
 extarent, restituerentur: Lucinianum (g) ad Senenses spe-
 ctaret. Cum sermo a Galeatii oratoribus injectus esset, &
 quisnam servandæ pacis sponsor foret: Guido (h) Flo-
 rentinus sententiam protulit è vestigio priscis Romanis di-
 gnam. *Ensis erit, inquit, utriusque nostrum vires exper-*
tus. Quamvis iniqua nonnulla, & præter interpositam fi-
 dem viderentur: tamen diuturnitate belli fatigata civitas,
 immensa pecuniarum vi profusa, una cum sociis, anni
 primi, & nonagesimi supra mille trecentos extrema parte
 pacem (i) recepit. Ad minuendos deinde sumptus, &
 levanda onera conversa, equites, peditesque mercede
 paratos, nisi quos tutela Reipublicæ retinendos suasit;
 dimittit. Loysio Capuano sua sponte missionem postu-
 lanti, in patriam, ut ad suos redeat, militiæ veniam con-
 cedit. Augutum expertæ virtutis, & fidei, cum militibus
 1392 mille retinet. Insequentis anni principio propter inquietum
 Galeatii animum, cujus ambitio magis in dies impe-
 randi cupiditate æstuabat, inter Florentinos, Bononienses,
 Ferrariensem, Mantuanum, ac Patavinum, Ravennæ,
 Favennæ

N O T Æ.

- | | |
|--|--|
| (f) Belli tempore proscriptis, seu exulibus. | ninus p. III. Tir. 22. §. 14. |
| (g) Lucinianum ad Senenses spectaret. | (h) Guido, a Palatio Thomæ filius: |
| Quinam futuri essent Luciniani, & Valiani domini, non judicatum afferunt Leon. Aret. lib. X. Ammirat. To. 2. lib. 15. & S. Anto- | (i) Pacem recepit. hoc anno, sed publicata anno posteriore, mense Februario, die Purificationis B. Virginis. |

Faventia, Imolæque Principes, fœdus renovatum est : 1392
 decretumque quæ quisque auxilia in communem defensionem conferret: cui haud multo post Forilivii, & Malatestæ Domini ascripti, ac in societatem recepti: quare veritus ille, ne quid novi adversus se focii, fœderatique tentarent, summa diligentia rerum suarum saluti prospiciebat. Eodem anno Jacobus Appianus auxilio (l) Mediolanensis innixus Petrum Gambacurtam, virum egregium, pacisque (m) cupidum, a quo loco filii (quippe cui singula secretiora consilia crederentur) educatus, atque (n) ex minimo (nam antea Notarius admodum tenuis erat) ad magnum statum perductus, prodicione interfecit; duos quoque (o) filios, qui in tumultu effugerant, cum retracti essent, occidendos curavit: detestandum scelus, & in antiquis Sicilia tyrannis execrandum. Relatum (p) Gambacurtæ sæpius fuerat, Jacobum malo in se animo esse, machinarique, ut eum e summo rerum fastigio dejiceret, suadente præsertim Mediolanensi, qui urbis imperio aspiraret: multa perfidiæ ac fraudis (q) signa manifesta ostendi, quibus facile appareret insidias illi parari. Sed vir bonus, qui ceteros ex suo ingenio fingeret, minime adduci potuit, ut crederet virum a se a puero nutri-

Q tum

N O T Æ.

(l) *Auxilio Mediolanensis innixus*. a quo Joannes ejus filius a Florentinis captus, redemptus fuit, Pisasque cum tercentis equitibus, nonnullisque Ghibellinæ factionis principibus missus. *Corius p. III. & Truncius Ann. Pis. ad ann. MCCCXCII.*

(m) *Pacisque cupidum*. per eum enim pax anno MCCCXC. firmata fuerat.

(n) *Atque ex minimo ad magnum statum*. Pisam delatus Appiani pater ignobili Florentinæ ditionis loco natus, dum Gambacurtis fideliter serviret, ab Imperatore Carolo IV. capite damnatus, Principum suorum infortunium secutus est. Recuperata deinde a Gambacurtis Pisarum ditione, ob paterna merita Jacobus ejusdem filius ad

primum dignitatis gradum evectus est. *Ammirat. To. 2. lib. 15.*

(o) *Duos quoque filios*. Benedictum, & Laurentium. *Ann. Pis. ad ann. MCCCXCII.*

(p) *Relatum Gambacurtæ, &c.* Strozzius de Strozzi Pisam a Florentinis missus ann. MCCCCLXXXVIII. qui Gambacurtam moneret, ut sibi ab Appiano caveret. Non cavit tamen, ideoque anno MCCCXCII. dum equum conscenderet, per insidias ab eo interfectus est. *Ann. Pis. Truncii sub eodem anno.*

(q) *Fraudis signa manifesta ostendi*. Nam vires ab Appiano comparabantur, cujus rei a Vallis Nebulæ Florentino Vicario rursus monitus fuerat. *Ammirat. To. 2. lib. 16.*

- 1392 tum domi, divitiisque potentem factum, & dignitate (r) ornatum, tam nefandum facinus perpetraturum. At Appianus, ut primum tempus (s) opportunum fuit, hominem cum filiis, & amicis aufert; ac omni pene factione Guelfa, cujus sectam Gambacurtæ præseferabant, in exilium acta, urbis tyrannidem occupat; cumque ad arma conclamatum esset, mercaturæ & Florentinorum res omnes, quas in urbe habebant, eo tumultu violato fœdere quod cum Pisanis vigebat, præda populi fuere: quapropter cum Lucenses postmodum tyranno auctore a Pisanis (t) equitibus premerentur, auxilia (u) his ministrata sunt, fœdusque renovatum. Pax foris parta seditiones domesticas Florentiæ eo, qui secutus est, anno excitavit: ut fit in populis, qui nullum statum rerum æquo animo ferre sciunt, tam belli, quam pacis impatientes. Discordia (x) inter cives orta, aliqui cives gladio perempti, plures ex Albertis, familia nobili, & majorum imaginibus clara, in exilium acti. Sedata tamen civitas est paucorum tum exilio (y), tum capitis pœna, & res in priorem pacem redactæ: extremaque anni parte, præclarissimi omnium ætatis suæ ducis Johannis Auguti mors (z) secuta

N O T Æ.

(r) *Dignitate ornatum.* a secretis.

(s) *Tempus opportunum fuit.* Mense Octobri MCCCXCII.

(t) *A Pisanis equitibus.* Appiano Duce Lucensis ager direptus. *Corius Initio prima partis.* *Ammirat.* vero *To. 2. lib. 16.* narrat, Lucenses latronum incursionibus vexatos fuisse, multisque rebus spoliatos, Appiano suadente, iterque concedente per pontem in Arnum facto.

(u) *Auxilia his ministrata.* Tercenti milites auxilio missi, fœdusque renovatum die XIX. Julii anni MCCCXCV.

(x) *Discordia inter cives orta.* Mense Novembri, Maso de Albizis Confalonero auctore, Petri illius nepote, qui Benedicto Alberto suadente capite multatus fuit anno

MCCCLXXIX. Jamdiu quæsitam ejus ulciscendæ necis occasionem nactus, Cyprianum, Albertum, Neruccium, Joannem, & Petrum, ut prodicionis reos urbe ejecit, ex quo populus diversis agitato studiis arma sumpsit. *Ammirat. To. 2. lib. 16. p. 841.*

(y) *Tum exilio, tum capitis pœna.* trium popularium, tum, quod magis interfuit Reipublicæ, trium millium aureorum solutione ab Albertis, & a Paulo Miniscalco facta. *Ammir. lib. 16. To. 2.*

(z) *Mors Auguti secuta.* anno MCCCXCIII. ab Incarnatione, die XVI. mensis Martii, prope Florentiam in loco qui dicitur *Pulverosa.* Si *Ammirato*, & *Sancto Antonino* fides habenda.

cuta est; cujus funus (a) ingenti pompa, totius (b) ci- 1394
 vilitatis mœstitia celebratum est: corpusque in Reparatae
 (c) templo, equestri (d) a populo statua posita, sepul-
 tum. Audiebant in diem magis Florentini invalescentem
 Galeatii famam, occulta illius consilia, ac cogitationes
 omnes ad bellum spectare: equites ab eo, præfectosque
 (e) nobiliores quosque parvo pretio in spem futuri sti-
 pendii conduci, quo paratiores belli tempore forent. Mul-
 tos præterea cum ex sociis, tum ex amicis secretis collo-
 quiis, variisque promissis ad defectionem (f) sollicitari;
 multaque agi, pararique, quibus constare promptiorem
 hominis animum ad renovandum bellum, quam servan-
 dam pacem esse. His moti Florentini, Legatos (g) ad 1395
 Galeatium, qui petant, bellone, an paci consultum vel-
 let, mittunt. Ille callidis interrogatiunculis rem in dies
 protrahendo, cum nil certi respondisset, Oratores tandem
 ait, se Florentiam destinaturum, qui de his, quæ postu-
 lassent, deque fœdere cum eis ineundo agerent. At Flo-
 rentini cum pro explorato haberent, illius mentem lon-
 ge ab firmando fœdere alienam, remque diuturni tempo-
 ris proposuisse, ut per Legatos, quos ad eos missurum se
 dixerat, eorum consilia exquireret, certiorque fieret, quo
 maxime modo oppugnari possent, calliditate hominis ani-

Q 2 mad-

N O T Æ.

(a) Cujus funus ingenti pompa. Primori-
 bus urbis feretrum auro gemmisque distin-
 ctum ferentibus, equis auro tectis, vexilla
 aliaque militaria insignia sequentibus, to-
 toque populo comitante. *Ammirat. To. 2.
 lib. 16.*

(b) Totius civitatis mœstitia, adeo ut ma-
 tronæ ipsæ a lacrymis haud temperarent.
Ammir. ibid.

(c) In Reparata templo, prius S. Salva-
 toris, deinde S. Mariæ a Flore, tum S. Re-
 paratae dicto Pontificis Zozimi jussu ob Vi-
 ctoriam ex Radagasio die Divæ Reparatae
 dicato reportatam, ut P. Michael Pocciantus

in Vit. Septem Beatorum Florent.

(d) Equestri a populo statua posita. non
 statua, sed equestri imagine a Paulo Uccel-
 lio picta, ut Bochius, & Ginellius in libro,
 cui titulus Bellezze di Firenze p. 51.

(e) Præfectosque nobiliores, Joannem, &
 Albericum de Barbiano.

(f) Ad defectionem sollicitari. Præcipue
 Ferrariæ Marchio, Galeatii nepte ei in
 uxorem proposita.

(g) Legatos ad Galeatium. Donatus Ac-
 ciajulus, Joannes Riccius, & Guido a Pa-
 latio missi. *Ammirat. To. 2. lib. 16. p. 847.*

1396 *madversa*, ne Oratores suos tantum ignominia notatos queri posset, nec in se quicquam asperum factum more suo prædicaret; decernunt, ut Legati omnes (plures enim e sociis spe concordiae convenerant) quam primum in patriam quisque suam re infecta redeant, omnibusque se adeundi vias præcidunt. Galeatius interea, cum regiones, urbesque a suis per tyrannidem antea occupatas nullo jure teneret imperii: etenim Romanæ ditionis sunt: missis ad Vincenslaum Boemiæ Regem, qui ad Imperium electus fuerat, virum nunquam (*h*) sobrium, & veneri deditum, legatis, multis (*i*) donis, promissisque oneratum induxit, ut se Ducem Mediolani, multis ejus titulo (*l*) urbibus subjectis, crearet: quæ res a Rege (*m*) impetrata, magno apparatu, magnaue rerum pompa per Oratores (*n*) illius, pluribus actis diebus festis, facta est; Florentinorumque (*o*), & omnium ferme Italiæ Oratores, nobilioresque viri, ac Principes Mediolanum evocati. Hoc nomen adeptus, Dux postmodum ipse, filiique appellati. Aucta dignitate & cupiditas quoque dominandi crevit. Sed incumbibat ejus animus in eam maxime cogitationem, ut vel precibus, vel vi Mantuanus ad se deficeret. Quo metu permoti Florentini, equites mille Mantuam, ne aliquo subito periculo implicaretur, mittunt.

N O T Æ.

(*h*) *Nunquam sobrium, & veneri deditum.* non solum voluptatibus impotenter indulgebat, sed ita superbe & crudeliter imperabat, ut ter in carcerem a primoribus regni conjectus fuerit, unde tamen elapsus regnum jam receperat. *Dubr. apud Seth. Calv.*

(*i*) *Multis donis.* centum aureorum milibus Venceslao datis, Dux ab illo creatur, invitis Electoribus, qua de re Francofurti eorum in concilio accusatus Imperium abdicare coactus est. *Trith. apud Seth. Calvis. & Avent. Ann. Bojorum.*

(*l*) *Multis ejus titulo urbibus.* 33. urbes

enumerat *Corius* initio *p. III.* præter oppidas; minoraque loca. Hunc consule.

(*m*) *A Rege impetrata.* Et Rex Boemiæ, & Imperator Venceslaus appellabatur.

(*n*) *Per Oratores illius.* Unam tantum Venceslai Oratorem nominat *Corius p. III.* Beneficium scilicet Cusiæ Comitem.

(*o*) *Florentinorumque; &c.* Aliorum Oratores referre non est operæ pretium: pro Florentinis adfuere Malus de Albizis, Christophorus de Spinis, Baldus Catalanus, & Franciscus Oricellarius. *Ammirat. lib. 16.*

p. 489.

tunt. Haud obscura Ducis cupiditas, & belli apparatus 1396
 erant, & animum pacis insolentem auxerat mors Gam-
 bacurtæ, cujus ipse auctor extiterat. Pisis enim (p) tyran-
 nus nequissimus ambitioni Ducis obsecuturus imperabat,
 quæ res maxime illum ad movendum bellum exagitavit.
 Itaque cum jam mens ejus omnibus nota esset, quosdam
 vero ex sociis denuo ab eo sollicitatos constaret, palam-
 que esset, Perusii, Senis, Pisis, equitum (q), peditum-
 que numerum augeri, & haud incerta futuri belli signa
 videri; Florentini, ne imparati opprimerentur, crea-
 tis Decemviris, & equites denuo conducunt, & Bernardo-
 nem (r) Aquitanum, virum strenuum, qui cum Grego-
 rio Undecimo Pontifice in Italiam venerat, belli ducem de-
 clarant. Is cum in ea Etruriæ parte, quæ Patrimonium di-
 citur, non parvo cum Britonum exercitu esset, secutusque
 primum Clementis (s), tum Benedicti adulterinorum
 Pontificum partes, plurima oppida, castellaque expugna-
 ta diripienda militibus concessisset, Florentinorum opera,
 consilioque, accepta a Bonifatio pecunia, castellisque quæ
 in potestate erant redditis, desideratus a civibus, ut qui ab
 Auguto post Johannis Actii mortem reliquis Italiæ duci-
 bus anteferretur, Florentiam venit. In Galliam quoque
 Transalpinam Legati (t) missi, a Regeque in amicitiam,
 societatemque recepti, ac fœdus in mutuam tutelam fa-
 ctum

N O T Æ.

(p) Pisis enim tyrannus nequissimus. Ja-
 cobus Appianensis.

(q) Equitum peditumque. ad sex millia
 equitum Pisis, Lucæque convenisse inno-
 tuerat. *Ammirat. To. 2. lib. 16.*

(r) Bernardonem Aquitanum. seu Ber-
 nardonem de Serris ab Aquitania.

(s) Clementis, tum Benedicti adulterino-
 rum Pontificum. Clementis VII. nomen sibi
 adsciverat Robertus Gebennensis Cardina-
 lis, Petri Comitis Genuensis Frater, &
 Benedicti XIII. nomen usurpaverat Petrus

de Luna Card. quos adulterinos Pontifices
 vocat, quia prior Urbano VI. posterior
 Bonifacio IX. veris Pontificibus oppositi
 erant.

(t) Legati missi. Masius de Albizis Eques,
 & Bonacursus de Pittis ad Regem Caro-
 lum VI. qui cum eo ad quinquennium fœ-
 dus iniere, ut *Ammirat. To. 2. lib. 16. p. 853.*
 Gallorum Regem ea potissimum de causa
 bellum Vicecomiti movisse putat *Corins p.*
IV. quod cum Januæ potiundæ irrita spes ce-
 cidisset, in ipsum facti causam retulit.

1396 Etum ea lege, ut in Etruria belli tempore capta fœderatis, cetera (u) per Italiam Regi cederent. Dum hæc aguntur, Galeatius Pisas Albericum Barbiani Comitem, Johannemque fratrem cum quinque millibus equitum proficisci jubet, eo nomine, ut Appiano adversus Montis Scudarii Comites, qui pro reprimenda Pisanorum insolentia plures equitum turmas in illos duxerant, auxilium ferret; quæ res Decemviros movit, ut paratis copiis adversarii consilia expectarent: interim darent operam, si quo modo suscitatum incendium extinguere posset: quod parvo tempore, rebus rite compositis illorum opera sedatum est. Pedites interea omnes, equitesque Ducis, qui circa Pisas erant, in agrum Lucensem profecti Florentinis suspicionem injecere, ne Pistorium pergerent. Itaque Bernardo relicto, ut hostes cupiebant, Miniato, apud quod confederat, in Vallem Nebulæ cum suis copiis descendit. Interim proditione per Appianum in eo oppido facta, Benedictus Mangiadorus, haud ignobilis ejus loci vir, cum viginti fociis, in crepusculo noctis, nil mali suspicantibus oppidanis, Miniato ingressus, Florentini (x) Prætoris ædes petiit, occisoque eo, tumultu excitato, cum oppidani omnes pro Florentinis starent, pugnarentque, multis acceptis vulneribus, postico ædium, quæ juxta muros sitæ sunt, oppido egressus Pisas re infecta rediit. Nonnulli ex fociis conjuratisque capti pœnas meritas de-

1397 dere. His rebus incitati animi, anno septimo ac nonagesimo supra mille trecentos, sexto vero post pacem Genuæ factam, secundum cum Galeatio bellum secutum est,

N O T Æ.

(u) Cetera per Italiam Regi cederent. Ex- | lib. 16. pap. 853.
 cepto Bassano, Belluno, Feltria, quæ Car- | (x) Florentini Prætoris. Davanzati de
 rariensis; Monteclaro, Asula, Ostia, quæ | Davanzatis, quo occiso, & ex fenestris de-
 Mantuani; Saxulo, & Compita quæ Atesti- | jecto, tumultum excitare molitus est. *Trun-*
 ni futura erant, ut *Ammirat. par. 1. Tom. 2.* | *c ius Annal. Pis. ad ann. MCCCXCVI.*

est, cujus præcipua cura erat, eaque maxime res animum 1397
stimulabat, ut Principem Mantuanum, a quo plurima
discrimina imminebant, quique sibi multorum fomentum
malorum, ut in medio (y) suarum urbium situs extitif-
set, tum pollicitationibus, tum muneribus ad suas par-
tes traduceret; quod cum consilio, astuque nequiret: fi-
des enim, & jusjurandum Mantuano potiora ceteris rebus
erant: viribus aggredi, & ne a Florentinis auxilia sub-
ministrari possent, eos suo bello implicitos distingere sta-
tuit. Hanc ob rem Senas convenire maximas copias jus-
sit, quibus ager Florentinus infestior redderetur, tum ex-
pugnare Mantuam, & navibus per Padum missis, & ter-
restribus copiis, quas multas undique comparaverat, de-
crevit. Albericus cum exercitu quatuordecim (z) mil-
lium equitum, qui in agro Senensi convenerat, nullo in-
dicto bello Florentinos invadens, incendiis, rapinisque
loca omnia quibus transiit, hostili more vastat. Panzanum
capit, spoliaturque; inde ad ostentationem virium, & fa-
mam belli aucupandam, populabundus Florentiam petit,
ad secundum lapidem excursionibus (a) prope urbem
factis; Signiam septem millibus passuum propinquam
biduo oppugnat, unde cum ignominia amissis pluribus
militaribus signis, multisque in ea oppugnatione deside-
ratis turpiter rejectus est. Fœminarum præcipua enituit
virtus, quarum potissimum opera, non tela, non vulne-
ra timentium, oppidum, viris, vulneribus, ac labore con-
fectis, defensum est. Bernardo, cum mille ferme equiti-
bus pro mœnibus se continebat, levibus præliis incurfan-
tium

N O T Æ.

(y) *In medio urbium suarum situs.* Man-
tua enim Galeatii urbes media interjacebat,
Cremonam, Veronam, Placentiam, Par-
mam, Laudem Pompejam, &c.

(z) *Quatuordecim millia equitum.* pedi-
tum vero major numerus, in quibus exu-

lum latronum, & facinorosorum perma-
gnæ erant catervæ. *S. Antonin. p. III. Tit. 22.*
cap. 3. §. 24.

(a) *Excursionibus prope urbem factis:*
Panzolaticum usque, & Certosam. *Leon.*
Aret. Hist. Flor. lib. 51.

1397 tium more cum hoste factis. Imparati enim ad tantam belli molem Florentini erant, ut qui exercitus partem Mantuam misissent, partem per (b) vicina oppida distribuissent: haud existimantes præterea, Mediolanensem nullis provocatum injuriis, tam aperte nullo indicto bello, rupto fœdere, contra se arma moturum. Consulebat solum Dux Reipublicæ salutem, ad evitanda futura pericula intentus, sperans comineatus defectu, haud diu hostem in his locis commoraturum, cujus consilium eum minime fefellit. Nam post diem quartum quam advenerant hostes, rerum omnium inopia retro castra vertere, nullaque re memorabili gesta, Senas quam primum redire coegit. Florentini, ut parem hosti gratiam referrent, Ochiellum opulentum oppidum de Senensibus cepere, quo ex loco finitimus ager, regioque omnis quæ Senas respicit, præda captivisque abductis vastata est. Dux (c) quoque Florentinorum, qui Collem, oppidum duodecim milliaribus Senis propinquum, profectus erat, usque ad portas infesto agmine ferro, & igni omnia prosternit. Inde Volaterras profectus, Grossetum, maritimam Senensium urbem, invasit, magnaque pecoris, & captivorum copia abacta Volaterras se recepit. Cervasium (d) insuper de Pisanis vi captum est, omnisque vicina ora spoliata. Hostium copiæ iterum Florentinorum agrum ingressæ, Stagiam, Rencinamque finitima Senensi agro castella summa vi oppugnant. Inde rejecti timore equitum, qui subsidio veniebant, Senas revertuntur. Præfecti insuper quidam Florentinorum, cum ferretur, prope Liburnium, Pisanorum portum, multa animalia, ut in locum

tutum

N O T Æ.

(b) *Per vicina oppida*. Aretio præcipue militibus repleto.

(c) *Dux*. Bernardo a Serris ad Senarum portas profectus die VII. Maji.

(d) *Cervasium insuper*. nec non Monti-chiellum duobus millibus aureis ab arcis custode emptum. *Ammir. lib. 16.*

tutum redacta, eo profecti pecus omne repertum prædati 1397
sunt. Dum hæc aguntur, Galeatius pluribus ex Etruria,
ut qui nil dignum laude agerent, evocatis equitibus, ma-
gno exercitu coacto, Mantuam castris positis obsedit: ut-
que subsidium pontis (e) super Padum juncti (quod
magno labore, maximis (f) sumptibus factum fuerat)
intercluderetur, navibus ad id paratis incendere illum ten-
tavit. Centum ad eam rem onerarias naves, quas galeo-
nes appellant (ampla enim fluminis latitudo est) in al-
veo fluminis statuit, quæ aquarum impetu delatæ, sar-
mentis, aliaque materia, quæ facile ignem excitat, impo-
sitis, incensisque, ac deorsum secundo vento dimissis, pon-
ti ignem inferrent. Magnus terror ex hoc apparatu Man-
tuano incessit, cum terrestri navalique bello sibi cum hoste
eodem tempore pugnandum videret. Sed prudentia Ca-
roli Malatestæ, qui eo cum quatuor equitum millibus a
Florentinis missus erat, huic tanto discrimini obviam
itum, apparatusque summa celeritate facti, quibus vis
ignis submoveretur. Primum longiores conti non parvæ
crassitudinis, in quibus naves longius a ponte hærent,
in aqua paulo supra pontem sunt affixi. Tum si naves
propius, fractis contis ferrentur, magno numero (*) vege-
tes tum lapidibus, tum aqua repletæ in ponte dispositæ
sunt, quæ in advenientes naves desuper immissæ, tum pon-
dere confringerent, mergerentque illas, tum ignem restin-
guerent, pontemque redderent ab incendio tutum. Ter-
rebant omnes, advenientes passim nullo rectore arden-
tes naves. Magnus erat flammæ impetus, quam ven-
tus (g) ad id expectatus asperiores, vehementioremque

R red-

N O T Æ.

- | | | |
|--|--|--|
| (e) Pontis. Burgi fortis appellati. | | (*) Vegetes. seu dolia, ut Jacob. in Ital. vers. |
| (f) Maximis sumptibus. non Mantuani
solum Principis, sed foederatorum pecunia
perfectum anno MCCCXCIII. ut Agnell.
Maffei Annal. Mant. lib. X. cap. 10. | | (g) Ventus ad id expectatus. quasi de in-
dustria a septentrione ad occidentem ver-
tente, nequid felicitati hostium deesset.
Baptista Sacchius Hist. Mant. lib. 4. |

1397 reddebat: major erat iis, qui pontem tuebantur, mentis consternatio, cum paucis constaret animus ad flammaram periculum expectandum. Non enim, ponte incenso, fugæ locus erat, cum ibidem aut pereundum, aut ignis, quod dubium videbatur, restinguendus foret. Sed ducis cohortatio augebat animos, & multitudo vegetum, lapidesque ingentes dejecti, aut comprimebant ignem, aut mergebant pondere effractas naves: irrito hostis consilio, licet nonnullis in locis igne corruptus, majori tamen ex parte pons servatus est. Ita hoc in tumultu Caroli virtus plurimum enituit, qui cum in ea parte esset, quæ ad hostes spectabat, disturbato ponte, ita ut redeundi spes præcisa videretur, cum solum tignum pontem continuasset, præmissis antea, qui cum eo erant, militibus, ipse postremus (h) corpore reptans magno cum discrimine vitæ ad suos pervenit. Hac spe destitutus Mediolanensis, alia ratione expugnare, ac tollere pontem, quem jam summa cura instauraverant, adortus est. Totidem denuo naves machinis, turribusque desuper fabricatis, quæ altitudinem illius excederent, in flumine parat, multisque militibus, & omni telorum, ac tormentorum genere impositis ad expugnandum pontem mittit. At Carolus, cujus egregia opera pons antea defensus fuerat, tigna oblonga, crassiora, præacuta cuspide hostibus opposita, quæ naves a ponte arcerent, radicibus pontis, quem magnis trabibus firmarat, defigit. Deinde totidem ferme onerarias naves admodum munitas, præsidio pontis in flumine collocat. Pontem insuper electis militibus, ac vario telorum, missiliumque genere munit. Frequentes insuper stationes, ac propugnacula supra pontem erigit: tum castella

N O T Æ.

(h) Ipse postremus ad suos reptans. Horatii Coclitis exemplo, qui de suis magis, substitit. De quo Livius Dec. 1. lib. 2. rem ausus plus fama habituram ad posteros, quam quam de se sollicitus solus casuro in ponte fidei.

la a lateribus, quibus vires hostium contunderentur, dif- 1397
 ponit. Advenientes turritæ hostium naves a Mantuanis
 haudquaquam pugnam detrectantibus excipiuntur; cum
 iis, qui in turribus, quique in ponte erant, asperum
 certamen committitur. Multis horis acerrimo prælio bella-
 rum est, multoque sanguine, cum utrique pro victoria
 pugnarent, neque locus fugæ esset, ea dimicatio est trans-
 acta. Tandem Mediolanensi classe superata, victoria
 penes (i) Mantuanos stetit. Hostes victi, multis interfe-
 ctis, pluribus vulneratis, nonnullis amissis navibus,
 relicto ponte, abiere. Navali bello rem male gesta, Medio-
 lanensis cum acceptum dedecus ulcisci in animo habe-
 ret, coacto in unum ex omnibus locis exercitu, Mantua-
 num oppugnare adortus, castra propius urbem locat. At
 Carolus post navalem victoriam in urbem reversus, com-
 municato cum præfectis equitum consilio, pridie kalen-
 das Septembris partem (l) alteram exercitus hostium, qui
 binis castris divisus erat, invasit; priorumque castrorum,
 antequam ceteri id rescirent, subito insultu devictis copiis,
 reliqua castra eodem impetu aggressus superavit. Dissipa-
 ti utrinque, fugatique sunt hostes: ad sex hominum,
 & duo millia equorum capta. Omnia (m) insuper im-
 pedimenta, machinæque, ac bellica ad urbium expugna-
 tionem instrumenta, quæ plurima comportata fuerant, in
 potestatem redacta. Nulli dubium fuit, quin Brixia (n)
 vicina urbs debellari potuerit, in tanto præsertim rerum

R 2 metu,

N O T Æ.

(i) *Victoria penes Mantuanos stetit.* Vene-
 torum præcipue opera, qui 30. triremibus
 Mantuano opem tulere. Ut *Scip. Agnellus*
Maff. Ann. Mant. lib. X. cap. 5. licet *Ammirat.*
lib. 16. duodecim tantum missas affirmet, du-
 ctu Francisci Bembi.

(l) *Partem alteram exercitus.* nempe ter-
 restrem citra Padum cui Vermius impera-
 bat, ut *maritimæ Ugolottus Blancardus.*

(m) *Omnia insuper impedimenta.* inter
 quæ tercentæ bombardæ. Ut *Boninsegnius*
Hist. Flor. lib. 4. Cor. p. IV. Pigna Hist. Aest.
lib. 5.

(n) *Quin Brixia, &c.* hanc si exercitus
 urbi appropinquasset, se traditurum Jaco-
 bus Avogadrius promiserat. *Ammirat. p. 2.*
To. 2. lib. 16.

1397 metu, ac desperatione, si equitum præfecti victoriam sequi voluissent. Sed quidam Galeatii (o) rebus faventes, aliamque ex alia causa moram subjicientes occasionem rei bene gerendæ omiserunt: expugnanda esse propinqua nonnulla (p) oppida, ad urbis salutem magis conducere asseverantes; quæ res tempus hosti exercitum instaurandi, muniendique Mantuæ finitimas urbes præbuit. Hac accepta clade Galeatius Albericum cum exercitu ex Etruria advocavit, qui aliquot equitum alis in Senensium agro ad tuendam urbem relictis, in Galliam proficiscitur. Imminutis magna ex parte copiis, quibus in Etruriam venerat, cum Cecolinus Perusinus Biordi (q) fratris suasu ad Florentinos descivisset, & Johannes Barbiani Comes Bononiensibus hortantibus in Flaminiam concessisset. Florentini detractis hosti copiis, ad hæc parva victoria freti, cum faciliorem belli molem imminere judicarent, existimantes præterea hostem tanto percussum damno Mantuæ oppugnandæ curam deposuisse, exercitum omnem in Etruriam revocant. At Albericus post eorum discessum contracto in unum dissipato ob acceptam cladem exercitu, classeque (r) ad invadendum Mantuanum instructa, summis viribus undique Mantuam iterum aggressus, plurima illata clade, parva hominum, pecorumque omnis generis haud parva præda, in locis pacatis relicto Mantuano agro, quievit. Inter hæc Præfectus (s) equitum, quem

N O T Æ.

(o) Galeatii rebus faventes. Proditionis nota Barbiani, & Carrariæ Comitibus inusta: testante Agnell. *Maff. Hist. Mant. lib. X.*

(p) Nonnulla oppida. Melariam, & Hostiliam.

(q) Biordi fratris suasu. Licet Biordi Michelotti fratrem Galeatii partibus semper adhæsisse testetur Pellinus *Hist. Per. lib. X.* at tamen libentius Corio crediderim *par. IV. & Leon. Arer. lib. XI.* qui Poggii sententiam

confirmat.

(r) Classeque ad invadendum Mantuanum. 32. Trirremium De hoc bello vide Platinam *Hist. Mant. lib. 5. Cor. p. IV. Pign. lib. 5.* quamvis cum Æquicola, & Aliprando Agnellus *Maffejus Ann. Mant. lib. X.* nullam Galeatio victoriam tribuat, fortasse ne priori de Galeatio relatæ detraheret.

(s) Præfectus equitum. Brolea centum & sexaginta equitum ductor.

quem Senensi bello præfecerat Albericus, Civitellam, 1398
 (t) Aretini agri oppidum, a familia Petramalæ ædificatum, paucorum proditione capit, Pratore Florentino, omnibusque ferme incolis interfectis. Bernardonis interim opera plures in agrum Pisanum excursions diversis in locis, & usque ad urbis portas factæ sunt, militesque onusti præda reducti. Cum vero per quendam Barbiallæ (u) incolam Appiano oppidum illi concessurum spes data esset, tyrannus vero ea pollicitatione confisus, magis nocendi cupidus, quam ad præcavendâs insidias aptus, fidem homini habuisset, militesque ad castellum recipiendum misisset, omnes (ferme ad septingentos hi erant) capti (x) sunt, & incolæ (y) præmia persoluta; pauloque post Civitella ejusdem opera, cum plures equitum, peditumque copiæ ad illius obsidionem accelerassent, recepta est, hostes qui intus erant in captivitatem ducti. Dum hæc utrinque aguntur, Galeatio verbis pacem quærente, re animoque agitante bellum, Pontificis, Venetorumque oratores Imolæ Mediolanensis suafu de pace agere cæperunt. Eo & Florentinorum, & sociorum legati accessere; sed illius ambitione, iniqua postulantis, bellumque exoptantis, res frustra tentata est. Oratores domum quisque suam reversi. At Veneti timentes, ne nimix Ducis opes in suum damnum amplificarentur, neve proximum incendium se suaque conflagraret, pacem summopere componi appetebant; nequaquam enim fidebant

N O T Æ.

(t) *Civitellam*. in Valle Ambræ positam capit, favente Philippo Brucianensi ejus oppidi custode, cui duo aureorum millia enumerata. *Ammirat. lib. 16. To. 2.*

(u) *Barbialla oppidum*. in Valle Ego læ situm, Samminiatis ditionis.

(x) *Capti sunt*. a Bernardone in insidiis delitescente, quos inter Florentinorum ali-

quot rebelles, qui pœnas capite persolverunt. *Ammirat. lib. 16. p. 867.*

(y) *Incola præmia persoluta*. qui Florentinos de re bene gerenda commouit, neposque, quem Appiano obsidem dederat, aliis captivis permutatus, & illi redditus.

Trunc. Ann. Pis. ad ann. MCCCXCVI.

1398 debant illius fidei, quam semper pro suo emolumento pensitasset: neque arbitrabantur, si superasset Florentinos, se, Rempublicam, & libertatem tueri posse: tanti Principis cupiditatem ad regnum Italiae aspirantem videbant: neque dubium erat debellatis Florentinis quin facile voto potiretur. Itaque, veluti pacis admodum cupidi, a Duce, & Florentinis petunt, ad se Oratores mitterent, ut rursus de pace ageretur. Florentini, sociique (z) legatis missis, pacis, & foederis conditiones Venetorum arbitrio permisere, orantes, ut si Galeatii culpa impediretur pax, ipsi pro communi libertate secum foedus inirent, hoc enim maxime modo & reprimi cupiditatem illius, & Italiam a servitute defendi posse. Cum Ducis voluntas tergiversari, & aliena videretur a pace, novo (a) foedere cum Florentinis, & sociis juncti sunt, ea lege, ut ipsis solis jus fasque (b) esset pacem quibus modis, & quo vellent tempore, cum hoste statuendi. Quod ut primum Galeatius intellexit, veritus Venetorum vires, rejecta pace, quinto idus Maji duo de quadringentesimo supra millesimum anno, inducias in decem annos, ea tamen conditione, ut oppida omnia de Mantuano per Ducem capta redderentur, concessit. Florentinorum dux, reliquique equitum, ac peditum praefecti ab eis eo pacto dimissi sunt, ut annuo accepto stipendio, ad se, cum opus fore censerent, sacramento adacti redirent. Paulo post (c) inducias cum Jacobus Appianus diem suum

N O T A E.

(z) Sociique. Bononienfes, Atestinus, Gonzaga, Malatesta, & Carrariensis.

(a) Novo foedere, &c. Venetiis initum foedus in domo Carrariensis die XX. Martii, ad annos quatuor.

(b) Ut ipsis solis jus fasque, &c. Hinc non Venetorum modo opes, sed famam probitatis conjicere facile est, queis omnes Italiae populi ultro se, suaque deferrent.

(c) Paulo post inducias. Induciae Papiæ V. non. Majas a Petro Cornelio, & Michaele Steno, D. Marci Procuratore, Venetorum legatis, pro sociis etiam agentibus factae; Carolo Malatesta, pro Pontifice; Petro, Novariensi Episcopo, & Jacobo Vermio, pro Vicecomite, legatis. Malavolt. Hist. Sen. lib. X, p. II, & Pigna Hist. Atest. lib. 5.

suum obiisset, Gherardusque filius, cum suis diffidens viri- 1398
 bus, tum suasionibus Galeatii impulsus, de vendenda patria
 cum ejus oratoribus agitaret, extemplo legati ad eum
 a Florentinis mittuntur, qui pluribus rationibus maximo
 suo damno id futurum ostenderent, hominemque ab ea
 sententia averterent. Quæ legatio cum frustra fuisset, ci-
 ves sui magno numero tyrannum adeunt, utque patriæ
 pristinam libertatem restituat deprecantur: *se enim eodem*
pretio (erant enim aureorum ducenta millia) majorique si
vellet, libertatem suam redempturos pollicentur: iniquum esse
eos qui tanto tempore antea liberi vixissent, veluti servos
venundari, & Principum subjici cupiditati, apud quos plus
voluntas quam ratio, plus vis quam jura valerent. Se
patri suo urbis imperium sponte tradidisse, eadem voluntate
erga filium fore, si civitatem regere velit; si vero dominan-
di laborem declinet, accepta quam magna velit pecunia, ob-
secrare se, ut eam liberam, & sui juris esse velit. Eo enim
modo urbem, ac cives non conservari solum, sed augeri
posse; quod si in unius externi potestatem deveniat, cito illam
precipitem occasuram. Responsum redditum a tyranno
 (qui jam Ducis (d) milites in urbem admiserat, armatos-
 que disposuerat ad comprimendos cives, obsistendum-
 que, si qui novi motus fierent) sibi fidem datam servare
 in animo esse. Itaque haud multo (e) post retento ex fœ- 1399
 dere Plumbino, Ilvaque insula, ac nonnullis castellis, pe-
 cunia insuper accepta, Galeatii (f) legato urbem, op-
 pida, arces, cunctaque, quæ Pisanorum ad eam diem fue-
 rant,

NOTÆ.

(d) Ducis milites in urbem admiserat . bant, se haud diu eam retenturum timebat.
 quatuor millia ad cives comprimendos. Ge- Sic etiam Plat. in Vita Bonif. IX.
 rardum Appiani filium ad urbem venden- (e) Haud multo post. in sequentis anni
 dam ductum fuisse ex eo refert Sabell. Enn. initio.
 9. lib. 9. quia ob civiles discordias, quæ Flo- (f) Galeatii Legato, nempe Antonio Por-
 rentinorum opera in dies magis invalesce- ro Polentiano Comiti. Coriùs p. IV.

1399 rant, libere concessit. Recepta urbe, Florentinis (g) legatus scripsit, Pisas sub imperio Ducis esse, a quo sibi mandatum foret, ut cum eis amicitiam fervaret: quod, & se facturum spondit. Paulo antea Robertus Puppii, ceterique vicini (h) Comites Flaminiam versus, Andreinus quoque Ubertinus, Ducis partes secuti a Florentinis desciverunt, utque ei post receptas Pisas gratificarentur, agrum Florentinorum eis vicinum, ut novum belli incendium excitarent, crebris incursionibus sequentis anni principio infestant. Ad repellendas tantum injurias data opera, prohibitis Florentinorum militibus, oppidanisque (ne Dux queri posset, ullam ab eis causam novi belli motam) hostium fines prædandi, nocendive causa intrare. Haud ab re erit huic operi inferere rem, non bello, sed pace aptam, admodum memoratu dignam. Emergit hoc tempore nova quædam Religio, quæ multum contulit ad populorum pacem, orta ex (i) Gallia Cisalpina, in finibus Alpium, (l) ea parte quæ Duci Sabaudia paret. Vestiebantur viri, mulieresque, nulla excepta ætate, veste alba, nudisque pedibus, novem diebus extra patrium solum mendicantes, jejuniis, & supplicationibus intenti vitam ducebant. Hi sub dio dormiebant, neque enim fas erat sub tecto, aut cooperto loco his diebus esse: fatebantur singuli ante assumptam vestem peccata Sa-
cerdo-

N O T Æ.

(g) *Florentinis legatus scripsit, &c.* ut illorum operam, qui frustra adversati fuerant, illuderet.

(h) *Vicini Comites.* Comitem Balnei, & Antonium a Palatio. *Leon. Aret. lib. 11. & Ammirat. lib. 16.*

(i) *Orta ex Gallia Cisalpina.* De ejus ortu nunquam constasse referunt *Ammirat. lib. 16. & S. Antonin. p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 31.*

(l) *In finibus Alpium.* Sic etiam *Baptista Sacchius*, vulgo Platina, *Hist. Mant. lib. 4. & in Vita Bonif. IX.* duce Sacerdote, qui Pon-

tificatum appetens, ea stipatus caterva Romanam petebat, tanquam loca sacra visurus; sed Bonifacius ejus fraude per præconem, publicata (tormentis enim adactus omnia confessus fuerat) vivum flammis absumpsit; multitudo vero illa unius hominis supplicio exanimata est, atque dispersa. Sacerdotem hunc e pago Paterno fuisse tradit *Sigonius de Episcop. Bon. lib. 3. in Cosm.* apud *Rayn. Ann. Eccl. Tom. 17.* Vide *Theodoricum Niemo. lib. 2. & Pignam Hist. Princip. Atest. lib. 5.*

cerdotibus præteritæ vitæ pœnitentiam professi, remitte-¹³⁹⁹
bantur injuriæ utrinque omnes abolita præteritarum offen-
sionum memoria. Primi Lucenses Florentiam, Christi si-
mulacro cruci suffixo præeunte, numero quatuor millia
venere, quibus publice datus est cibus. Pistorienses dein-
de, Pratensesque advenere. Hos imitati Florentini albam
sumpsere vestem, adeoque increbuit bonorum operum
fama, ut digito notaretur, si quis eam contempisset re-
ligionem. Pax constituebatur inter homicidas, dicta,
actaque per injuriam condonabantur, remittebatur erra-
to culpa. Omnium præteritorum temporum fraudes, do-
lique obliterabantur, adeo omnium mens bonis operibus
intenta erat. Tanta animorum mutatio, ac novæ religio-
nis hic cultus, qui universam Italiam peragravit, nulla ex
parte Galeatii cupidinem minuit, quin toto animo, men-
teque Florentinæ urbis imperium ambiret, quæreretque
quo maxime modo suæ ambitioni obsequeretur. Adjecit
ergo animum ad urbem (m) Perusinam, & quamvis di-
tionis Romani Pontificis esset, eo tamen contempto, cum
primoribus (n) civitatis exules admodum metuentibus
tum muneribus, tum promissis effecit, ut sibi ejus ur-
bis imperium traderent. Existimabat enim hac accessio-
ne Florentinos ferme urbibus sibi parentibus circumvalla-
tos (nam Pisas, Senas, Perusium tenebat) facile in po-¹⁴⁰⁰
testatem deventuros. Inter hæc Venetorum legati, quibus
solis pacis componendæ, quibus vellent conditionibus ar-
bitrium ex fœdere permissum erat, Papiam, insciis Flo-
rentinis, illius procurandæ gratia profecti inter Mediola-
nensem, eosque, ac socios concordiam firmant: cumque

S omnia

N O T Æ.

(m) *Ad urbem Perusinam*: Biordo de Michelottis interfecto. *Pomp. Pellinus Hist. Per. p. II, lib. XI, Girardaccius Hist. Bonon. p. II, lib. 27.*

(n) *Primoribus civitatis*. Cecolini de Michelottis opera urbis imperium Petro Sermigerio Vicecomitis Vicario traditum ann. MCD, vigesima Januarii die.

1400 omnia in Gallia bello capta essent restituenda, per Ducem, in Etruria recepta ei condonarentur, aliæ quoque graviores pacis essent conditiones; eas omnes, licet graviter id ferrent, invitati tamen, ne Venetos a se alienarent Florentini, sociique acceperunt. Anno postmodum Johannes (o) Bentivolius, magni vir animi, & haud spernendi consilii, Galeatii auxilio Bononiæ tyrannidem occupavit. Eo missi a Florentinis (p) oratores, qui & gratularentur ob sumptum imperium, & de fœdere agerent. Quod ille haudquaquam (q) abnuit, sed distulit in posterum, ne offensum sibi redderet animum ejus, cujus opera regnaret. Idem & Dux quæsierat ab eo, sed parum ille fidei habendum esse Ducis fœderi, aliorum periculo didicerat. Sciebat enim, quamvis amplæ pollicitationes ostentarentur, tamen ex tempore promissa servare solitum, & quod bello nequiverat, sperare se confecta pace consecuturum. Nunquam enim aperto Marte ne ignobile quidem oppidum in Etruria assecutus est. Senensibus, ac Perusinis, pacatis Italiæ rebus omnibus, cum antea socii essent, libertatem ademit. Pisas, non vi, sed pecuniis promissisque quietis tempore (r) in suam redexit potestatem. Eodem pacto Mantuanum maximis sumptibus a Florentinis defensum, post compositam pacem, donis, promissisque oneratum ad suas (s) traduxit partes, quo liberius a vicinis securus, vires omnes suas

N O T Æ.

- | | |
|--|---|
| (o) Johannes Bentivolius. Vide Girard. Hist. Bon. p. II. lib. 28. Cor. p. IV. | Corius p. IV. |
| (p) A Florentinis oratores. Thomas Sanchettus Eques, Bernardus a Mezola, & Spinus. Ammirat. lib. 16. | (r) Quietis tempore. nempe post pacem factam. |
| (q) Haudquaquam abnuit. Suadente Antonio Guidotto summa apud eum auctoritatis, cui a Florentinis quatuor florenorum millia data, ut conciliator fœderis foret. Girardaccius Hist. Bon. p. II. lib. 28. & | (s) Ad suas traduxit partes. Franciscus Gonzaga prius a Carolo Ariminensi, dein a Jacobo Vermio sollicitatus ad Galeatium descivit, Papiamque delatus summis a Vicecomite honoribus exceptus est. Platina Hist. Mant. lib. 4. |

suas in Etruriam transferret. Solus (*t*) Patavinus nullis 1400
 hostis pactationibus, quæ plurima ab hoste afferebantur,
 credens, in fide permansit. Varii, qui per Mediolanen-
 sem fiebant, apparatus belli Florentinos impulere ad cre-
 andos Decemviros, (*u*) & majoribus copiis rempublicam
 defendendam. Erat suspicio (*x*) haudquaquam parva,
 Guccium Cortonæ Principem, Ducem secuturum: ut ab
 ea cogitatione averteretur, Montaninam arcem urbi pro-
 pinquam capiunt, quo timore perculsus ille nil novi mo-
 litus est. Cum vero adeo adversarii vires, opesque auctas
 cernerent, ut ad se tuendum externo auxilio opus esse ju-
 dicarent, Robertusque Baviaræ Dux infensus admodum
 Mediolanensi, privato (*y*) ob suam ignaviam Vincislao
 Boemiæ rege, ad imperium electus esset, optimum factu re-
 putantes animo, illum e Germania tum adversus Du-
 cem, tum ad sumendam de more Imperii coronam ad-
 vocare, extemplo ad eum Legatum Bouacursium Pittum
 mittunt, qui eum ad transeundum in Italiam contra Ga-
 leatium fœdere oblato hortaretur, honorisque, & dignita-
 tis suæ esse diceret, nullo jure (*z*) urbes Imperii posses-
 sas, ut plures superioribus temporibus Imperatores fe-
 cissent, in suam ditionem redigere. Ad eam rem & pecu-
 nias.

N O T Æ.

(*t*) *Solus Patavinus*. Franciscus Carra-
 riensis, qui Galeatii dolos in se patremque
 inum necatum expertus fuerat, pro Floren-
 tinis stetit.

(*u*) *Decemviros*. hos enumerat *Ammir.*
To. 2. lib. 16.

(*x*) *Erat suspitio, &c.* Nonnulla inimi-
 citiæ signa ediderat Guccius de Casalibus;
 frumenta enim Montis Politiani a Corto-
 nensi ditione averterat, positus in fluvio li-
 gneis impedimentis, ut *Spinellus* in *Hist. Mon-*
ris Politiani lib. 3. p. 67.

(*y*) *Privato ob suam ignaviam Vincislao*.
 Omnes in Vincislaum accusationes, ut fal-
 sas rejicit *Corius* p. IV. non alia enim de causa

a Bonifacio IX. Imperio spoliatum putat,
 quam quod Pseudopontificem defendisset.
 Sed præter ea, ejus ignaviam, & avaritiam,
 qua centum aureorum millibus, inconsultis
 Electoribus, Mediolanensem Ducatum,
 Galeatio vendiderat, videre est in *Treb.*
To. 2. Rerum Germ p. II. Brier. Ann. Mundi ad
ann. MCD. Trith. apud Calvis. Improbos
 ejus mores, ebrietatem præcipue refert
Chronicon Belgicum. Æn. Syb. Hist. Bo-
hem. cap. 35. & Rayn. Ann. Eccl. To. 17.

(*z*) *Nullo jure urbes, &c.* Non enim
 Vincislaos eas alienandi sine Electorum con-
 sensu jus fuerat.

1401 nias quas vellet , & equitum auxilia promitteret . Ejus oratione , quæ accurata , & plena gravitatis fuit , motus Robertus , foedere ic̄to , cum viginti (*a*) equitum millibus , ut Mediolanensi bellum inferret , in Italiam se descensurum , fide interposita , pollicitus est . Altero dehinc anno , mense Septembri , superatis Alpibus relictoque Tridento , in agro Brixienti castra posuit , quo Patavinus , cum tribus equitum millibus a Florentinis missus venit , & ad eum , ut convenerant , per oratores ducenta aureorum millia comportata sunt . Non tamen (*b*) omnia persoluta , cum parvo tempore in hostili agro resedisset . Ea res miranda omnibus visa est , tantam simul auri congeriem una in civitate tam subito repertam , cujus collatio nulli gravis fuit : sed & alia quoque ducenta millia promissa post quatuor menses , quam in Ducis agro perstitisset . Hæc omnis pecunia una nocte libentibus animis decreta est : tanta civibus cura inerat libertatis tuendæ . Qua ex re quantæ civitatis vires forent , perspicui potest : nam licet diutino bello pluribus annis cum Galeatio gesto defessi , exhaustique pecuniis cives viderentur , tantæ tamen in ea opes erant , ut præter maxima militum stipendia , unico decreto ducenta aureorum millia tam parvo tempore cogerebantur . Tanta enim patriæ caritas , tantum tyrannidis odium animos civium incesserat , ut omnia quantumvis gravia , ac difficillima , levia , & facilia præ servitute ducerent . At hodie , (*c*) eo redacta civitas est , ut cum viginti , aut triginta aureorum millia cogenda

N O T Æ.

(*a*) Cum 20. millibus equitum . fidem autem non servavit , cum quindecim tantum millia equitum Tridentum duxerit . ut *Ammirat. To. 2. lib. 16.* & decem millia tantum . *Ammirat. ibid.*
 (*c*) At hodie . nempe anno circiter MCDLV. quo tempore Poggius historiam scribebat .
 (*b*) Non tamen omnia persoluta . centum

da sunt, aut versura comparetur pecunia, aut ad extra- 1401
ordinaria tributa recurrant, quod iniquum est, pef-
simumque exigendæ pecuniæ genus, & abominandum,
atque ab his excitatum, quibus potior est res privata,
quam publica, quique opes sibi vendicant per aliorum
calamitatem, ipsi omni ejusmodi tributi onere expertes.
Tantam belli futuri molem adversus se comparatam con-
spiciens hostis, & ipse quæ ad resistendum pertine-
bant, summo studio diligentiaque administrat. Primum
equites, peditesque ad quindecim millia conducit: tum
peritissimos belli duces, Jacobum Vermium, Alberi-
cum Barbianensem, Mantuanum, Othonem Tertium, Fa-
ginum Canem, Pandulfum Malatestam, pluresque alios
viros ea tempestate usu, & arte militari insignes exercitui
præficit, copiasque omnes Brixiam ire, hostique, qui in-
tra decimum lapidem castra locaverat, opponi jubet.
Nulli dubium videbatur, quin Ducis exercitus, nume-
ro, & viribus inferior Germanis, & Italis qui cum Pa-
tavino erant, foret, modo consilium par viribus extitisset.
Sed cum incautius, negligentiusque impetu quodam,
superbiaque elati Germani absque ordine, aut militari
disciplina vagarentur, plures equitum (d) alæ a Medio-
lanensis ducibus missæ Germanos invaserunt, a quibus
victi, superatique multis (e) amissis in castra compulsi
sunt. Tantus vero pavor ex insperata re animos Germa-
norum oppressit, adeo est ab omnibus trepidatum, ut
si universus Galeatii exercitus eo venisset, procul dubio

Ro-

N O T Æ.

(d) Plures equitum alæ. Othone Ter-
tio, seu Bontertio, & Fagino Cane duci-
bus. *Ammirat. lib. 16.*

(e) Multis amissis, quos inter impe-
rialis exercitus primus Provisor. *Corius*
par. IV.

1401 Roberti copiae omnes superatae, ac profligatae concidissent. Sed Roberti fortuna, paucis exceptis, exercitum fervavit, ex illoque tempore magis de fuga, quam de ulciscendo hoste agitatum est. Primus Coloniensis Archiepiscopus, tum Leopoldus (f) Austriae Dux, non absque animi corrupti suspitione, relicto Roberto, domum rediere: qui a suis praeter datam fidem cernens se destitutum, veritus, ne ad dimicandi necessitatem adductus, turpiter ab hoste superaretur, cum vires suae diminutae admodum illorum discessu, suorum vero animi remissiores facti essent, motis castris prope Tridentum loco tuto con-sedit; cumque animo parum valido deliberabundus, inter spem, metumque dubius staret, Francisci Carrariensis exhortationibus Patavium, cum quinque (g) millibus equitum, reliquis (h) dimissis, venit: qua ex re Mediolanensis animus elatus, cum se haud contemnendum periculum evasisse, & electiores totius Italiae equites, ducesque penes se esse arbitraretur: Florentinos vero contra, ut primum adversam pugnae fortunam intellexerunt, moeror, & gravis cura exagitabat. Nam & tantam impensam frustra factam cernebant, & verebantur, ne statim hostilis exercitus, deposito Germanorum metu, in Etruriam transferret. Remissus est tamen paulo post timor audito Roberti ad urbem Patavium adventu, salvis praesertim Ita-
lis

N O T A E.

(f) Tum Leopoldus Austria Dux. Sic S. Antonin. & Leon. Aret. lib. 12. Leopoldum vocant. Joannes vero Aventinus Ann. Bojorum lib. 7. de Roberti in Italiam adventu haec habet: Cum ea (nempe Roberto) Stephanus Angilostadiensis, Ernestus Austriacus Imp. Caroli Maximi, & Ferdinandi Austria Reguli proficiscuntur.

(g) Cum quinque millibus equitum. Itali

erant pene omnes. Patavium ingressus Robertus die XVIII. Novembris MCDI. Pit-tus ab Ammirato relatus ibid.

(h) Reliquis dimissis. ut Vincenslao ejus hosti in Germania ob ejus discessum super-bienti obstarent: nunquam enim Caesaris insignia licet exauctoratus deposuerat, sed & Principum, & civitatum aliquot favore fruebatur. Emund. apud Chronic. Belg.

lis militibus, qui cum Patavino profecti erant: hos impe- 1401
 dimento fore hosti credebant, quominus omnes ejus co-
 piæ in Etruriam migrarent, nondum penitus remisso Ga-
 leatii metu: tamen & novi equites confestim scripti
 sunt, & ad Robertum oratores (i) missi cum duabus (l)
 electorum equitum turmis, qui eum ad meliorem rerum
 spem hortarentur, & profectionem dissuaderent. Existi-
 mabant enim ejus mora Mediolanensem regii exercitus
 timore suas copias omnes in Gallia retenturum. Multa
 ab illo petebantur admodum difficilia. Nam & pecunia-
 rum vim permagnam postulabat, si eum in Italia mora-
 ri cuperent, & ut Veneti, ac Pontifex secum in belli so-
 cietatem coirent. Hæc Florentiam (m) delata omnium
 mentes maxime debilitarunt, cum neque retineri, nisi
 infinita pecunia posset, neque si abiret, securos se fore arbi-
 trarentur, quin hostis Etruriam armis pervaderet. Lega-
 tis itaque mandarunt, ut impetrata aliquot mensium mo-
 ra, pecuniam duros, & cum Pontifice, & Venetis de
 fœdere acturos pollicerentur, & nova insuper auxilia ad
 eum primo tempore missuros. Post varias colloctiones
 disceptationesque, Robertus (n) Venetias petiit, que- 1402
 stus non servari sibi a Florentinis in solvendis nummis
 promissa. Oratores (o) contra nulla in re violatas esse
 pactiones ostenderunt. Venetorum (p) tandem opera,
 haud

N O T Æ.

(i) Oratores missi. Raynaldus Gianfiliatius, Philippus Corfinus, Masus de Albizis, & Thomas Sacchettus.

(l) Cum duabus equitum turmis, quibus præerant Sfortia, & Balthassar Mutinensis. S. Antonin. p. III. Tit. 22. cap. 3. § 35.

(m) Hæc Florentiam delata. a Maso Albizio, & Andrea Victorio, qui apud Imperatorem legati fuerant. S. Ant. ibid.

(n) Robertus Venetias. ut suas in partes Venetos traduceret; verius, ut eorum opera a Florentinis nummos repeteret, quos contra conventa detineri querebatur. Petrus Justin. lib. 6. Hist. Ven.

(o) Oratores. nempe Philippus Corfinus, & Raynaldus Gianfiliatius.

(p) Venetorum tandem opera. ab itinere revocatus; Cravolam enim profectus fue-

1402 haud parvo (q) pretio cum Patavium in hiberna profectus esset, mense Aprili in Germaniam concessit.

POG-

N O T Æ.

rat, ut in Germaniam se conferret. Mora | *cap. 3. Ammir. lib. 16. To. 2.*
 igitur aliquot mensium in Italia ab eo im- | (q) *Haud parvo pretio. Sexaginta quin-*
 petrata, ut ejus timore Galeatius suis se fi- | que aureorum millibus. Sic Veneti (quo-
 nibus contineret, quod Florentini vehe- | rum arbitrio res delata) censuerunt.
 menter cupiebant. *S. Antonin. p. III. Tit. 22.*

POGGII BRACCIOLINI
FLORENTINI
HISTORIARUM
FLORENTINI POPULI

LIBRI QUARTI

EPI TOM E.

Florentinos tanquam fœderis violatores coram Venetis Galeatius accusat. Dein Bononia potitur. Cum Pontifice Florentini junguntur. Vicecomes moritur. Pontifici Perusiam occupare conanti spes incisa. Vicecomitis potentia in plures diuisa discordiarum origo. Pisas Florentini emunt, arcemque accipiunt. Pisani Florentinis eiectis, arcem evertunt. Pisa a Florentinis obsessa, in deditiōem veniunt. Ecclesia Schismate turbatur. Ladislaus Siciliae Rex bellum Senensibus, Florentinis, ac Pontifici indicit. Cortonam deditiōe capit. Florentinis eam cedit velut pacis pretium. Pontificem, Florentinosque nil tale timentes contra jus fœderis aggredi parat, sed belli molem ejus mors avertit.

Post Roberti (a) discessum missi a Galeatio ad 1402 Venetos legati tres, multa coram summo Magistratu, & Oratoribus Florentinis contra jura fœderis ab illis facta questi sunt: In primis, verbis

N O T Æ.

(a) Post Roberti discessum, ut in fine superioris libri ann. MCDII. XVI. mensis Aprilis secutum.

1402 verbis pluribus reprehenderunt inducias, quarum (b) ipsi auctores fuerint, minime ab eis servatas, fidem, ac jusjurandum, quæ apud omnes sancta esse consueverint, ab illis violata, nunquam ab eis servatam pacem, quam licet verbis se petere simulent, tamen a concordia, & quiete animo semper fuisse alieno: Serè ab ipsis bellorum quotidie semina, quibus vicini a se opprimerentur; nullum finitimum populum ab eorum cupiditate tutum esse posse, nihil Florentinis antiquius, quam ut eorum insidiis vexaretur Italia, ad quam lacerandam, & in servitutem redigendam, jam bis (c) externas gentes, & barbaras Itali nominis hostes acerrimos magna impensa contra se accersitas, a quibus si superatus fuisset, reliquam Italiam in eorum ditionem concessuram fuisse haud dubium esset; consuevisse (d) vero Italos ejusmodi gentes arcere ab Italia, & quæ venissent omni conatu repellere, ut libertate fruerentur; degenerasse plurimum ab eis Florentinum populum, qui toties diversos (e) hostes ad Imperium Italiae advocasset; ceci profecto qui non viderent, se de victo eos quoque servitutis jugum subituros fuisse. Ob hæc non esse mirandum si dux consuleret rebus suis, & ad arma licet invitatus descenderet, quibus certam, ac firmam pacem consequi posset. His dictis ex Oratoribus unus petita de more dicendi (f) venia, mirari se ait, tantam Legatorum Ducis impudentiam, qui ita aperte contra veritatem locuti sua mendacia verbis improbis ornassent, tanquam existimarent ullam præstandam ipsorum orationi fidem: scire eos a

se

N O T Æ.

(b) Quarum ipsi auctores. Venetos induciarum auctores vocant, nam penes eos belli pacisque arbitrium.

(c) Bis externas gentes, & barbaras. nempe primo Armeniaci Comitem ex Gallia, deinde Robertum ex Germania evocatos.

(d) Consuevisse, &c. Cimbros, & Theu-

tones Italiam invadentes expulere, Gallosque maximis præliis fregere.

(e) Diversos hostes. Carolum Calabriae Carolum Austriae Duces, Carolum IV. Galliarum Regem, & Robertum Imperatorem priusevocatos.

(f) Dicendi venia. dicendi facultate a Duce, Venetoque Senatu impetrata.

se dicta procul a vero esse, palamque perspicui non convenire 1402
 Florentinis semper pacis cupidis quæ ab eis dicerentur, sed
 Galeatio a quo semper pro suo commodo fœderibus servatis
 bellorum omnium initia prodissent; non enim a se, sed ab illo
 inducias, & pacem violatam esse, quam nunquam ex ani-
 mo, aut ocii querendi, sed belli gerendi gratia sanxisset:
 omnibus enim notum esse, Ducem e vestigio publicatis induciis
 milites, tanquam a se dimissos in Etruriam adversus Flo-
 rentinos misisse, qui sociorum (g) agros longe, ac late po-
 pulati Senas, tanquam in tutum portum se cum omnis gene-
 ris præda contulissent, ubi publice & partita, & vendita
 nostrorum spolia fuere: non servatam vero a Florentinis
 pacem ridiculum videri ab eo præsertim obiici, qui nulla pa-
 cis jura unquam novit, qui majori ex parte quæ possideret per
 dolum, & fraudem occupasset: genus (h) suum præcipue;
 & Veronensem, Patavinumque Principes patrio per fraudem
 pulsos imperio, optimos suæ fidei sponsores esse posse: qua ve-
 ro religione ab eo fœdera servantur, Senenses, ac Perusinos
 quos ex sociis servos reddiderit rogandos esse: testem esse Pe-
 trum Gambacurtam, qui Ducis consiliis, (i) favoreque oc-
 cusus esset, quo civitas Pisana in suam ditionem veniret.
 Multis utrinque dictis, quibus haud obscurum Venetis fie-
 ret, malorum omnium culpam a Mediolanensis ambitio-
 ne manasse, ita discessum est, ut mentem Galeatii ad bel-
 lum inferendum pronam constaret. Johannes (l) interea,
 quem Bononiæ tyrannidem occupasse diximus, cum Me-
 diolanensis amicitia parum sibi fida videretur, in amici-
 tiam, societatemque a Florentinis receptus, ratus Galea-
 tium.

NOTÆ.

(g) Sociorum agros. Socios vocat Lucen-
 ses, Volaterranos, Samminiates, &
 Collenses. Leon. Aret. lib. 12. Hist. Flor.

(h) Genus suum. scilicet Patrum-
 suum Bernabovem.

(i) Ducis consiliis. Appiano Gambacur-
 tæ Consiliario pecunia corrupto.

(l) Johannes interea. Bentivoleus, de
 quo in superiori libro, in amicitiam rece-
 ptus die XX. Martii. Ammirat. lib. 16.

1402 tium parta victoria contra se arma moturum , ut audivit Albericum in Bononiensium fines una cum exulibus adventasse , a Florentinis petiit , ut præter equites , quos ad se pridem miserant , ducem quoque Bernardonem cum sociali exercitu ad se ire juberent , quo facilius se suaque defenserent . Is Decemvirum decreto , cum tribus equitum millibus Bononiam profectus est . Johannis suspicionem haudquaquam Mediolanensis animus fefellit ; nam sub recentis victoriæ terrorem , potiundæ Bononiæ occasionem sibi datam ratus , jamque a Germano securus , duces cum exercitu (*m*) in agrum Bononiensem , per speciem restituendorum exulum , proditionis (*n*) spe oblata ire jussit . Cum hostium exercitus appropinquaret urbi , veritus Johannes , ne fluvius Rhenus urbem interfluens , civibus maxime necessarius , cum propter molas , tum quia ea tantum aqua ad victum utuntur , illorum opera derivaretur ; apud Casalechium ad tertium ab urbe lapidem (& jam Patavinus audita hostium profectioe , eo mille equites filiis (*o*) Ducibus miserat) cum omnibus sociorum copiis , (eæ sex equitum millia conficiebant) confidere voluit . At Dux (*p*) prudentissimus , cum numero , & militum virtute , tum Præfectorum ingenio , & solertia imparem se hostibus cognosceret , victoriamque desperaret , quin potius adversam belli fortunam ominaretur , ac profligato exercitu urbis captivitatem , si in certamen , quod necessario subeundum erat descenderetur ;
tutius

N O T Æ.

(*m*) *Duces cum exercitu* . Hi fuerunt Comes Albericus , Franciscus Mantuæ Princeps Mediolanensi conciliatus , Pandolphus Malatesta , Octobonus Parmensis . *S. Antonin. Tit. 22. cap. 3. §. 38.* Queis addendi Jacobus Vermius , Princeps Mirandulanus , Saxoferrati , Spoleti , Fabriani Princeps , Comes Urbinas , Paulus Sabellus , Faginus Canes , Polentanus Princeps , & Bartholomæus Cremonensis .
(*n*) *Proditiōis spe oblata* . Ab Antonio a S. Lucia Lamariæ Portæ custode , qui Alberico per eam ingressum promiserat . *Girardaccius Hist. Bon. p. II. lib. 28.*
(*o*) *Filiis Ducibus* . nempe Jacobo , & Francisco Tertio .
(*p*) *Dux* . Bernardus a Serris Florentinorum Dux .

tutius (q) , consultiusque putabat copias in urbe conti- 1402
neri, quam armis decernere : non enim posse aut se tu-
to in castris esse , aut hostem urbe servata diutius in eis
locis morari : fatius videri ad præsens tueri civitatem ,
proinde ex tempore consilium capturos : quod si hostes
obsidionem pararent , se crebris eam eruptionibus impe-
diturum : Satis copiarum esse , & ad urbis defensionem ,
& coercendos hostes, ne latius populabundi vagarentur .
Sanum, tutumque id consilium ferme omnibus videba-
tur , quo consulere & exercitus , & Urbis saluti. Jo-
hannes vero, majoris, quam suæ paterentur vires animi ,
Ducem timoris increpitans , *ipsum infra mœnia* (r) *quie-*
tem agere posse, si vellet, ait; se certe foras iturum, & pro
illo exercitum ducturum esse vociferabatur : non enim tan-
tum dedecoris subiturum se, ut tot copiis, tanquam cauea
inclusis timens, aut ocio marcescere, aut parere diceretur .
Tum, *ne me timoris arguere possis* (Dux respondens) *parebo,*
inquit, voluntati tuæ : sed hoc scias velim saluti tuæ con-
ferre, tibi que longe utilius fore, ut nimium timidus, quam
parum prudens videri queas : fors judicabit uter nostrum re-
ctius senserit : id certe dicam majori tum tuo, quam meo
damno, quæ melior fuerit sententia, me periculum facturum,
exitumque judicem utriusque futurum opinionis . Cum (s)
locum, ubi castra posita sunt quoad poterat pro loci na-
tura munisset, suspensus in horam adventum hostium ex-
pectabat , victi potius , quam victoris specie ante oculos
obver-

N O T Æ.

(q) Tutius , consultiusque , &c. Persimi-
lem huic eventum refert Livius Dec. 3. lib. 2.
ubi Q. Fabius Dictator maluit in castris mi-
lites continere , quam cum Annibale agros
depopulante congregi . Minutius vero equi-
tum Magister ferocioris , quam ratio pate-
retur , animi ne ab hostibus timoris argue-
retur , cum illis congressus victus fuit . Sic
Bernardonis prudentiam Bentivolei temeri-

tas in extremum rerum discrimen adduxit .

(r) *Infra mœnia quietem agere .* Eadem
contumelia Rodolphus Varanus Camertes
a suis militibus affectus , dum Bononiæ in-
clusus a Cardinali Gebennensi obsideretur .
Ipse vero percontantibus , quam de cau-
sa nunquam in hostem egrederetur , ne ho-
stis , inquit , ingrediatur .

(s) *Cum locum .* Casalechium .

1402 obversante : cernebat enim se multo copiis inferiorem hostibus , nec dubitabat , si ad pugnam deventum esset , quin superaretur : discedere , præ pudore , ne pusilli animi judicaretur , turpe ducebat . Florentiam tamen imminens periculum , quoque res eorum in statu sitæ essent significavit , monuitque , ut se ad redintegrandum exercitum præpararent , utque si quid adversi accidisset se omnis culpæ exortem judicarent . His anxium curis , equitesque in armis habentem , ne imparatus inveniretur , hostes instructis aciebus , pluribus ex locis , utpote castris in plano constitutis aggrediuntur . Acri certamine diutius utrinque pugnatum est , tandemque superante (t) hostili multitudine , quæ duodecim millium equitum censebatur , profligati , Duce , & Patavini (u) filiis , plurimisque (x) illustribus viris captis magna strage edita victoriam (y) hosti concessere . Hac victoria territis civibus (pauci enim equites in urbem confugerant) existimantes hostes Civitatis occupandæ facultatem concessam , eamque , ut verisimile erat , metu consternatam , fortunam , victoremque secuturam , mœnibus urbis propinquant : cognati amici-
que

N O T Æ.

(t) Superante hostili multitudine . Adeo vehementem hostium impetum fuisse asserit S. Antoninus p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 38. ut pontem dejectis Florentinis occuparent , & ad intima castra penetrarent .

(u) Et Patavini filii . duos licet Patavini filios captos una cum Poggio asserant S. Antoninus , Corius , Leon. Aret. , & Scip. Ammirat. unum solummodo captum ex eo colligo , quod Jacobus die prima Junii Bononiam cum tercentis militibus missus , inde a Patre revocatus Patavium venit die XV. ejusdem mensis , ut cum Mantuani Principis filia nuptias celebraret , sive ut Pigna Hist. Esten. lib. 5. cum Pandulphi Camertis filia . Franciscus vero discedente Jacobo , in locum fratris susceptus imperium militum habuit . Sic Girardac. Hist. Bon. p. II lib. 28. ejus sententiam confirmat Plat. Hist. Mant.

lib. 4. in hoc tantum discrepans , quod Franciscum , non Jacobum Mantuanæ maritum asserit , dum refert Mantuanum Principem Jacobi Carrariensis custodiam a Vicecomite petiisse , Genero suo Francisco Carrariensi ipsius Jacobi fratri rem gratam facturum . Ergo Mantuani Generum haud captivum fuisse credendum , nam Generum potius quam ejus fratrem a Vicecomite petiisset Mantuanus . Sive igitur Jacobus , ut Platina lentit , sive Franciscus , ut alii putant , captivus fuerit , certe non ambo .

(x) Plurimisque illustribus viris captis . Bernardum Tartaleam , Sfortiam Attendolum , & Nicolaum Danzanum , seu Uzzanum enumerat Corius p. IV. cui Ammiratus lib. 6. addit Bardum Rittasium .

(y) Victoriâ hosti concessere . XXVI. Junii die Lunæ .

que eorum , qui per suspicionem civitate ejecti fuerant , 1402
 de prodendo Johanne consilio inito , civem non (z) dubiæ
 apud tyrannum fidei , obque spectatum sibi animum por-
 tam unam asservantem , promissis oneratum inducunt ,
 ut illa patefacta hostes admittat , qui magno numero in-
 gressi , cæde , ac rapinis omnia miscuerunt , Johannemque
 cum reliquiis exercitus , ac civium factione obviam fa-
 ctum fundunt , fugantque , qui latebra (a) salutem quæ-
 rens a civibus est interfectus : Tandem vero kalendis Ju-
 lii secundo post mille quadringentos anno , captis Nico-
 lao Uzano , & Bardo (b) Rectafide Florentinorum Le-
 gatis , ac una cum Bernardone ad Galeatium missis , ur-
 be potiuntur , in qua plurimis occupatis ædificiis , ut fa-
 cilius eam ab populi inconstantia ad levem auram mobi-
 lis in potestate retinerent , amplissimæ arcis (c) fundamen-
 ta jacta sunt , omni prorsus libertate civibus sublata . Amis-
 sa Bononia , multi contra Florentinos insurrexere , quos
 postea a fortuna destitutos incepti penituit . Ubaldini as-
 sumptis ab hoste equitibus , peditibusque , nonnulla Mon-
 tana castella , quæ quondam suæ gentis fuerant , recupe-
 raverunt : quædam antea demolita , vallo , & propugna-
 culis , magno cum finitimorum terrore instauraverunt .
 Obsidionem præterea Florentiæ paraverunt , deductis eo
 instrumentis , machinisque bellicis , quo facilius oppidum
 expugnaretur . His tot adversis rebus territi Florentini ,
 quo-

N O T Æ.

(z) *Civem non dubia apud tyrannum fidei* . Landus Ambrosii a Beccajo cui a Bentivo-
 leo Portæ Sanctæ Mamæ custodia demanda-
 ta fuerat .

(a) *Latebra salutem quærens* . In cujus-
 dam fœminæ domo prope S. Archangeli
 pontem mutata veste se abdiderat , a qua
 spe lucri proditus , postero die in plateam
 deductus a militibus aliisque dilaniatus est .
Girard. Hist. Bon. p. II. lib. 28. licet nonnulli
 (ut ait) Scriptores adversentur , qui Ben-

tivoleum pugnantem , dum vivus capi nequi-
 ret , occisum fuisse asserunt .

(b) *Bardo Rectafide* . Hunc ad Galeatium
 vel non missum , vel in itinere non periisse
 arguo ex *S. Antonino* , qui habet in tumultu
 captæ urbis vulneratum paulo post interiisse .
S. Ant. p. III. Tit. 22. cap. 3. §. 38.

(c) *Fundamenta jacta sunt* . die XXV.
 Augusti , Marchione Leonardo de Mala-
 spinis Governatore curante .

1402' quotidie consultabant, quibus viribus, quorumve præsidio libertatem tuerentur; undique enim circumfessi videbantur, ut nullum daretur iter tutum, quo secure aut abire extra patriam; aut suas Mercaturas ad diversas regiones mittere, aut in urbem invehere possent. Omnia tamen prius agenda, quam rerum desperatione relinquentiam defensionem arbitrati, Pontificem Bonifacium tentandum censebant, si quo pacto adduci posset, ut (d) urbes a Galeatio occupatas bello repetere vellet, & in amicitiam, societatemque venire. Alii Ladislaum Apuliæ Regem, cujus ope Mediolanensis fortuna reprimeretur, quocumque præmio, promissisque accersendum putabant: sed fatius visum est Bonifacii, qui propinquior erat auxilium quærere, & simul persuadere jam tempus esse, quo de tyranni manibus suæ urbes eruerentur. Tam favens, propitiaque Galeatii fortuna, tam votis, cœptisque ejus prospera, animum gloriæ cupidum incenderat, ut Italiæ Regnum sibi persuaserit: & cum jam Florentiæ sibi imperium animo despondisset, coronam, ceteraque Regum insignia præparaverat (e), quibus Reges uti consueverunt. Sed divino numine, inanes ejus cogitationes redditæ sunt; mors enim sua consilia dissolvit, ostenditque, tot curas, apparatusque nequicquam ab eo irrito labore susceptos. Ea æstate, qua Bononiam usurpavit, pestis Mediolanum invaserat, quam vitare cupiens, Marignanum Castellum a suis voluptatis causa ædificatum concessit: diem projectionis, horamque præfixerant Astrologi, quorum consiliis, & pacis, & belli tempore parebat, multa que quo die discessit observata sunt, quibus prædictum erat, illum procul dubio Regem Italiæ reversurum. At vero paulo

N O T Æ.

(d) *Urbes a Galeatio occupatas*, nempe Perusiam, & Bononiam Pontificiæ ditionis urbes. | (e) *Præparaverat*: in Merignano oppido.

paulo post, quam in oppidum venit, in febrem (*f*) incidit, ex qua & defunctus est. Ejus mors creditur (*g*) per Cometem (qui ingens, ac fulgidus mense Martio ante apparuerat, ac quinque horis post Solis occasum palam conspiciebatur) significata, quo exorto, dicitur de vita paulum dubitasse. Testamento, ejus natorum maximus Johannes Maria, Mediolani retento Ducis nomine imperitabat, Bononia, Sena, Perugia, Assisio additis. Philippo Mariæ, Pavia, Verona, Vincentia, plurimæque præterea oppida cessere. Gabrieli (*h*) filio naturali Pisæ relictae sunt; quæ Imperii divisio magna ex parte a sapientibus viris, ut a Principe minime prudente, & nimium fortunæ blanditiis dedito facta, culpatur. Nunquid enim vir, ad cetera egregius, liberalis, ac prudens, ita rerum ignarus erat, ita fortunæ fidens favoribus, ut quæ per vim, dolumve de alienis ceperat, permansura diutius penes filios existimaret? Ut reliquos omittam, an Pontifices omnes Romanos ita ignavos, insulsosque putabat fore, ut quæ summo jure ad Ecclesiam pertinerent, diutine a tyrannis possideri paterentur? & patrimonium tanto tempore possessum, tanto impendio sæpius ab Imperatoribus tyrannisque recuperatum, auferri sibi per ignaviam æquo animo ferrent? parum sapienter profecto fortunam secundam perpetuo sibi suisque desponderat. Atqui ea brevi ostendit, quam vana ejus consilia extitissent.

N O T Æ.

(*f*) *In febrem incidit.* Pestilenti febre absumptum Joannem Galeatium die tertia Septembris ann. MCDII. cum annum ageret quinquagesimum quintum, omnes auctores asserunt, licet *Donatus Bossius Hist. Med.* die III. Maji mortuum affirmet, quod facile refellitur decreto ab eo facto Merignani die XXVIII. Augusti, ut *Campi Hist. Cremon. lib. 3.*

(*g*) *Ejus mors creditur per Cometem, &c.*

De hoc Comète multa refert *Theodoricus Niemijs lib. 2. c. 29.* caput ejus Italiam versus, & caudam ad Occidentem protensam: Apparuisse autem Quadragesimali tempore, ann. XIII. Pontificatus Bonifacii. Vide *Walsinghamum, in Heur.* & alios.

(*h*) *Gabrieli filio naturali.* Is ex Agnete Mantegaccia susceptus est, sed jure legitimi filii donatus.

1402 tissent . Princeps fuit perliberalis , magnique animi , ad Regios mores se componens , alieni tamen cupidus , & animo ad imperandum propenso . Id in eo culpatur , quod fidem , & promissa ex utilitate traditur servasse , quod vitium commune cum multis egregiis bello ducibus fuit : sed ea laudanda præ ceteris est virtus , quod omnium (*i*) doctrinarum , artiumque viros eximios , ad se , tamquam egregiorum hominum receptaculum vocavit , summoque in honore habuit . Nuntiata (*l*) Florentiæ Ducis mors , magna lætitia populum exhilaravit , ut qui ex serpentis faucibus evulsam libertatem , jam in tuto consistere judicaret : diesque plures festi , ludis solemnibus pompa celebratis , magna civium voluptate acti sunt . Oratores (*m*) ad Pontificem antea missi , licet diu nutantem Galeatii metu , cunctantemque , tandem fœdus cum Florentinis faciendum , haud multo ante Mediolanensis obitum , spe victoriæ impulere : his conditionibus , ut pro communi tutela , proque urbium amissarum recuperatione , Pontifex quinque equitum millia , sex Florentini alerent . Id maximè movit ad ineundum fœdus Pontificem , quod parum tutus in urbe videbatur , cum Roman ipsam Ducis dolo sollicitari intelligeret . Itaque ad recipiendam Perusiam Johannello (*n*) fratre misso , Florentinorum equorum præsidio , atque exulum (*o*) beneficio , plurima de
Peru-

N O T Æ.

(*i*) *Omnium doctrinarum viros eximios* . Nam Baldum Perusinum , Petrum Candianum (qui Pontifex fuit) Guilielmum Cremonensem , Christophorum Pilcarum , Emanuelem Gravium , Crysoloram , Marfilium a Sancta Sophia , Jacobum Insulanum , aliosque ad sua stipendia vocavit . Vid. *Corium* p. IV.

(*l*) *Nuntiata* , &c. a Paulo Guinifio Lucensium Principe Galeatii mors nuntiata . *Leon. Aret. lib. 12. prope finem Hist. Flor.*

(*m*) *Oratores ad Pontificem antea missi* . quorum primus Jacobus a Vineis , qui fœdus cum Pontifice die XIX. Octobris percussit . *Ammirat. Hist. Flor. lib. 16.*

(*n*) *Johannello* . Tomacello Neapolitano , Bonifacii IX. fratre , una cum Petro Urfino , & Carrariensi , ut *Pellinus Hist. Perus. p. II. lib. 11.*

(*o*) *Exulum beneficio* . Opera præcipue Brachii Fortebrachii ad viginti oppida capta . *Pell. ibid.*

Perusinis oppida, tum vi, tum factionum gratia in suam 1402
 potestatem redegit: ad oppugnandam deinde urbem pro-
 fectus, brevi tempore, adeo calamitatibus civium bona
 afflixit, ut se in Bonifacii potestate futuros dicerent, mo-
 do exules in urbem non redirent: verum, cum fidem ser-
 vandam esse responderet, his præsertim, quorum opera
 tot castella recepta forent, premerenturque magis in dies,
 procul dubio in Pontificis ditionem venturi erant, ni Du-
 cis imbellis, abjectique animi pavore obsidio foret inter-
 missa. Nam cum a novo Mediolani Duce Johanne Maria
 Otto Tertius cum tribus equitum millibus ad liberandam
 obsidione urbem ex Bononia venisset, tantus Johanellum
 timor occupavit, ut non expectatis hostibus, quibus su-
 perior erat, & numero militum, & virtute, relictis
 omnibus, cum suis copiis, magno Pontificis, socio-
 rumque dedecore Tudertum peteret: exules tamen, quæ-
 que cum illo erant Florentinorum copiarum oppida recepta
 diutius defensarunt. Dum hæc apud Perusiam aguntur,
 qui Senis, Pisisque resederant Galeatii equites, pedites-
 que frequentibus excursionibus Florentinorum loca infe-
 stabant: a nostris quoque idem factitabatur, multaque
 præda onerati milites redibant, adeo ut bellum quod
 confectum putabant instauratum videretur: qua ex causa
 novi Decemviri creati sunt, quibus optimum factu vi-
 sum est Etruscum bellum in Flaminiam transferri, ho- 1403
 stilemque agrum potius quam proprium vastari armis.
 Igitur Bonifacio suadent, ut creato Legato Balthassare (p)
 Sancti Eustachii Cardinale, qui postmodum mortuo Ale-
 xandro quinto Johannes XXIII. Pontifex factus est, exer-
 citum ad Bononiam recipiendam mittat. Is accepto a

V 2. Pon-

N O T Æ.

(p) Balthassare, Coscia Neapolitano, antea Bononiensi legato.

1403 Pontifice, Florentinisque exercitu, cui Dux Carolus (*q*) erat Malatesta vir suæ ætatis belli peritissimus, mense Junio, cum omnes copiæ prope Bononiam convenissent, excursionibus in Parmensium fines late factis, ingentique omnis generis præda abducta militem reduxit, expectaturus, si qui novi (*r*) motus in urbe (erat enim incerta spes prodicionis) orirentur. Quiescentibus (*f*) civibus, Legatus ne frustra tempus ibi terreret, Mediolanum versus cum exercitu proficisci decrevit, Ducemque bello randiu urgere, donec vi, aut sponte Bononia reciperetur; quod consilium, data rei ex voto bene gerendæ occasione fortuna adjovit: Orta namque haud parva inter primores Ducis Senatus dissensio trahentibus singulis rem communem in privatam, offensionesque invicem pristinas renovantibus, primum ad simultatem, deinde ad aperta odia, atque arma omnia convertit. Capita factionis erant Franciscus Barbavarus, qui primum inter omnes locum penes Galeatium tenuerat, & Antonius Vicecomes, quo cum omnes Nobiles sentiebant, qui populi tumultu excitato, domum Francisci occidendi ejus causa profectus, cum ille in castellum (*t*) ubi Dux, materque erant profugisset, spoliata domo fratrem, (*u*) plurimosque ex amicis interfecit. Inde ejus opera cives quidam per populum electi, quorum consilio dux (is adolescentior erat) regeretur, magna in discordia diutius Civitatem

tenu-

N O T Æ.

(*q*) *Dux Carolus Malatesta*. Non diu summa Imperii auctoritas penes Malatestam fuit, nam, seu æmulatione inter ipsum, & Comitem Albericum qui a Vicecomite defecerat, orta, seu Pontificis opera rebus suis studentis, Nicolaus Eltenis exercitus Imperator electus. Vide Girardaccium *Hist. Bon. p. II. lib. 28. Corium Hist. Med. p. IV. Pign. lib. 5. Cyrald. de Princip. Atest. in Vita Nicolai II.*

(*r*) *Si qui novi motus*. Rubeis auctori-

bus excitarentur, a quibus spes oblata fuerat. *Angelus Hist. Parm.*

(*f*) *Quiescentibus civibus*. Cautum fuerat a Malalpina in bis quieti, Fagino Cane ad cives compescendos ex oppido Petri evocato. *Girard. Hist. Bon. p. II. lib. 28.*

(*t*) *In castellum*. Portæ Joviæ.

(*u*) *Fratrem*. Manfredum, nec non S. Ambrosii Abbatem Barbavari amicum interfecit, & Monasterium populo diripiendum concessit. *Corius p. IV.*

tenuere, cum privatum commodum cuique potius esset 1403
 adolescentis Ducis statu, aut quiete publica. Vulgato ci-
 vili Mediolanensium pene bello, Ugolinus (x) ex fami-
 lia nobili Cavalcabovis, Cremonæ tumultu excitato, ac
 Ducis Magistratu urbe pulso, urbis imperium occupat.
 Laudenses præterea Ghibellinorum quæ ante ceteros de-
 presserat factione ejecta, & ipsi sibi tyrannum Johannem
 (y) Vinialem eorum civem creant: hos secuti Brixien-
 ses, Bergamensesque, ac Placentini, auxilio Legati Ca-
 rolique belli Ducis, qui & ad defectionem hortabantur,
 & rebellantibus auxilia mittebant, a Duce desciverunt.
 Brixiam Franciscus Carrarius dedentem se, præter arcem,
 cepit, per quam paulo post intromissi (z) equites il-
 lum urbe eiecerunt. Erant Ducis res omnes in occasum,
 interitumque tendentes, cum domi civium seditiones;
 foris defectiones urbium vigerent; Cum Franciscus Man-
 tuæ Princeps, cujus auctoritas plurimum (a) apud Du-
 cem poterat, & Carolus Malatesta, cujus ex familia (b)
 uxor Ducis erat, hujus adversam fortunam conspicientes,
 cum Legato, inscio Vanne (c) Castellano, Florentino-
 rum oratore, Ducis nomine foedus percusserunt, his con-
 ditionibus, ut quæ de Pontifice occuparet restituerentur:

Flo-

N O T Æ.

(x) Ugolinus. Marchio Viadanæ, una cum Joanne Ponzono Cremonam ingressi Guelphæ, & Maltraversæ factionis ope urbe potiuntur, Joanne Castillioneo Mediolanensi, Ducali Vicario expulso. *Ant. Campi Hist. Cremon. lib. 3.*

(y) Johannem Vinialem, seu Vignatam, ut *Campi ibid. & Plat. Hist. Mant. lib. 4.*

(z) Intromissi equites. Faginus Canis per arcem nondum Carrariensi subiectam, civitatem multis equitibus ingressus eam Vicecomiti restituit. *S. Anton. Tit. 22. cap. 3. §. 41.*

(a) Plurimum apud Ducem poterat. A Galeatio Franciscum filiorum Tutorem re-

Prelo confirmat.

(b) Cujus ex familia uxor Ducis erat, nempe Antonia Malatestæ Ariminensis Principis filia. *Campi Hist. Cremon. lib. 4.* Ducis nomine intelligendus Joannes Maria Vicecomes, non Franciscus Mantuanus, qui licet Carolo Malatestæ affinis esset, ut asserit *Joann. Gobell. Comm. Pii II. lib. 2.* non tamen Ducis titulo gaudebat, quem ejus successores obtinuerunt.

(c) Inscio Vanne Castellano. Florentinorum oratore, licet eo præsentente pax cum Legato facta fuerit, quod fraudulenter actum Florentinis foederatis non admonitis, damnat *S. Antoninus Tit. 22. cap. 3. §. 41.* & *Boninsegni. Hist. Flor. lib. 4.*

1403 Florentini, Etruscaque res silentio præterita: quod cum periniquum, ac contra omnia Divina, humanaque jura factum quererentur, omnis ejusmodi quæstio, quæ ad Etruriam spectaret in Pontificem rejecta. Inter Legatum, & Ducem publicata pace, Bononieneses, ut Pontificis gratiam promererentur, urbemque eorum beneficio potius quam Ducis reciperet, armis sumptis, impetuque in illius milites facto, acri certamine profligato, ejectoque (d) præsidio, Legato se dedere. Perusini quoque, ne exules reciperent (e) pacti Johannello urbem restituere. Florentini interim a Bonifacio petunt, ut fœdera quibus cavebatur, ne pax nisi communi voluntate fieri posset, utque omnium opibus administraretur bellum, servaret. At ille utilitatem honestati præferens, receptis amissis urbibus, licet multis antea simulatis, ac dissimulatis rebus, revocato legato, ac exercitu in pace perseveravit. Quod ne dum in tanta dignitate cujus maxime interest servare fidem, sed in privato etiam viro culpandum foret, cum turpissimum videatur, & detestandum, tum in civitatibus, quæ libertatem asserunt, tum maxime in Principibus, non servari pacta, jusjurandum, Religionem contemni, violari fidem datam, omnia pro arbitrio, & voluntate fide posthabita pro commodo habere. Non tamen Pontificis ope destituti Florentini animos submiserunt, sed audentius bellum prosecuti, Ugolino Cavalcabovi (f) mille, & ducentos equites misere, quibus, eisque, quos paraverat fulctus Mediolanensem agrum adeo infestum reddebat, ut populus ad arma sumenda

pro.

N O T Æ.

(d) Ejectoque præsidio. Fagino Cane expulso, Legatum per Pratellam Portam introducere mense Septembri. Fufius apud auctores Hist. Bonon. neficia, spoliatis redderentur, aliaque insuper quæ in Pellino Hist. Perus. lib. 11. par. II. Rayn. Ann. Eccl. To. 17. ubi Pontificium Breve exponitur.

(e) Ne exules reciperent pacti. & insuper ne tributa imponerentur, Ecclesiastica Bene- (f) Ugolino Cavalcabovi. Cremonæ Tyranno.

pro tumultu sæpius commoveretur. Petro insuper Rosso 1403
 Parmensi, cujus opera Parma a Duce defecerat, auxilia,
 & pecuniæ missæ. Lacerabatur undique Ducis status, &
 magna calamitas urbes omnes adeo pervaserat, ut sua
 sponte nullo impulsore Ghibellinorum, Guelforumque fa-
 ctio exasperatis odio animis mutua cæde grassaretur. (g)
 Conspecta Florentinus Populus tam adversa Adolescentis
 Ducis fortuna, ut cujus urbes a se tum deficerent, tum
 discordiis, & intestino odio periclitarentur, bellum nul-
 la facta pace remiserunt: satis in tuto res suas fore
 rati, cum hosti, nedum aliena invadendi, sed ne tuendi
 quidem paterna, ulla potestas reliqua videretur; turba-
 ta etenim adeo erant omnia, ut civitas ipsa Mediolanen-
 sis nequaquam ei pro voluntate pareret; Reliquæ urbes
 majori ex parte in aliorum arbitrium devenissent. Co-
 mum (h) intestina seditione modo harum, modo illa-
 rum partium urbe civibus pulsus militaris libido hostili
 furore diripuit: Alexandria, Vercellæ, Novaria a Mon-
 tis Ferrati Principe occupatæ: Pavia (i) domestico odio
 lacerata est a Fagino cane possessa, direptis omnibus fa-
 ctionis Guelfæ bonis: Placentia (l) ob domesticas sedi-
 tiones sæpe a militibus direpta, quam a Concilio Con-
 stantiensi rediens desertam fere habitatoribus inveni: ra-
 ræ ejus regionis urbes iram, avaritiamque militum effu-
 gerunt.

N O T Æ.

(g) *Mutua cæde grassaretur.* adeo ut Ghi-
 bellinorum caro lanariis affixa à Guelfis
 Brixia venderetur. *Cor. p. IV.*

(h) *Comum intestina seditione, &c.* Post
 mutuam partium cædem debilitatæ urbis
 imperio potitus est Franchinus Rusconus,
 cui alia quoque oppida accessere. *Franci-
 scus Ballarinus in Cronich. Epif. Comensium
 par. I. cap. 20.*

(i) *Pavia domestico odio lacerata.* A Bec-
 cariensibus in Guelfos pugnantis. Tan-
 dem expulso Philippo Maria Vicecomite

Faginus Canis noctu introductus eam occu-
 pavit, ac diripuit. *Cor. p. IV.*

(l) *Placentia ob domesticas seditiones, &c.*
 Direptionis causa Placentinis deferenda,
 qui eam prius Manfredi de Scottis Civi,
 quo deinde ejecto, Ottoni Bontertio, tum
 Francisco Vicecomiti Mediolanensi tradi-
 derunt. *Boninsign. Hist. Flor. lib. 4.* Direpta
 vero est a Fagino Cane, Gabriele Fondulo,
 & Ottone Bontertio. *Petrus Maria
 Campi Hist. Placentia p. III. lib. 25.*

1403 gerunt. Brixiam (*m*) Pandulfus Malatesta occupavit. Faginus præter Papiam, Alexandriam, Terdonam, multaque (*n*) præterea sibi subegit. Otho postmodum Tertius Placentiam, Parmam, Regium Lepidi, pulsus prioribus (*o*) dominis, ut tyrannus tenuit. Verona (*p*) quoque ad antiquos Scalæ Principes, quamvis paucis diebus (*q*) regnarint, defecit, quæ mala omnia a factione Mediolani inter Senatus Principes exorta originem traxere. Nam & (*r*) Antonius Porrus, & plures alii diversa cæde perierunt. Ipsa (*s*) Ducis Mater veneno sublata est. Dux adolescens, crudelis, immanis, ferus, ut non procul esset ab infania plurimos iussit occidi: ipse nonnullos vivos lacerandos canibus, edendosque objecit, adeoque illius dementia humanum sitiebat sanguinem, adeo efferatis erat moribus, ut a domesticis, cum sibi quisque timeret, interficeretur (*t*). Ob hac tantam Cisalpinæ Galliæ cladem, Florentini ab inferendo bello cessarunt, satis esse ducentes eas regiones clade domestica afflictas.

Au-

N O T Æ.

(*m*) *Brixiam Pandulphus Malatesta occupavit*. Expulso Francisco Carrariensi, cum Joannis Vicecomitis nomine Brixiam, Bergomumque teneret Malatesta, Dominus ex Gubernatore factus est. *Joann. Gobell. Comm. Pii II.*

(*n*) *Multaque præterea*. Novariam, Comum, Vercellas. Vide *Ann. Ant. Scip. Agnelli Maff. lib. 9.*

(*o*) *Prioribus dominis*. Expulso Vicecomite, deinde Petro de Rubeis, quocum dimidium urbis Imperium pactus fuerat. *Angelus Hist. Parm. lib. 3.*

(*p*) *Verona quoque*. a Guilielmo, Brunoro, & Antonio Scaligero muris perforatis capta, ut *Hieron. a Corte p. II. lib. 12.*

(*q*) *Quamvis paucis diebus regnarint*. XIV. tantum diebus. Guilielmo enim veneno per Carrariensem sublato, Brunorus salutis fuga consuluit. *Bugarus Hist.*

Univ. lib. 5. Pugnæ laboribus fatigatum Guilielmum occidisse asserit *Corte Hist. Veron. p. II. lib. 13.*

(*r*) *Nam & Antonius Porrus*. nec non Antonius Vicecomes, Joannes Pusterla, Mainus, Aliprandus aliique aut strangulati, aut a canibus dilaniati. *Cor. p. IV.*

(*s*) *Ipsa Ducis mater*. Catharina Bernabovis Vicecomitis filia, uxorque Galeatii, a Joanne Maria ejus filio Medoaciæ oppido clausa, & veneno sublata. *Camp. Hist. Crem. lib. 4. & Boninsegn. Hist. Flor. lib. 4.*

(*t*) *Interficeretur*. Dum ad S. Gottardi templum pergeret, a Vicecomitibus, Pusterlis, Mainis, Aliprandis, Trivultiis, ut suos cognatos ab eo interfectos ulciscerentur, duobus vulneribus interfectus est, ejusque corpus meretricis cujusdam opera in eadem Ecclesia sepultum. *Spelta Hist. Pappia ubi de Petro Crasso Ep. p. 385. edit. Pap.*

Audita Philippus (u) fratris nece Mediolanum pergit, 1403
 superatisque, qui sibi urbis imperium usurpaverant,
 urbem ingressus fratris imperio successit, qui postmo-
 dum recuperatis amissis urbibus pacem cum Florentinis
 firmavit. Interea cum variis casibus conflictaretur Gallia,
 Florentini, ut acceptas injurias ulciscerentur, Petro Bal-
 neorum Comiti, ejusque nepoti, qui cum Galeatio sen-
 serant, bello indicto, missoque in eorum fines Jacobo
 Salviato equestris ordinis satis firmo cum exercitu o-
 mnia illorum castella, paucos post ejus adventum menses de-
 ditione facta receperunt. Andreinus quoque Ubertinus
 partium Ducis fautor, acerrimusque Florentinorum ho-
 stis, Valle Ambræ, omnique majorum imperio pulsus
 est. In agrum quoque Senensem maritimum excursio-
 nes, prædæque factæ sunt, & Castilionis Piscariæ castel-
 lum in maris littore exædificatum per vim captum (x),
 pauloque post cum Senensibus, præsidio externo ejecto,
 civitateque in libertatem (y) redacta, pax firmata est.
 Gabriel Maria (z) vero Pisarum Imperio potitus, cum
 nullis legibus obnoxius tyrannorum more plurima in-
 fanda facinora, minimeque ferenda in dies patraret,
 odio civium contracto, sibi, suisque timens rebus Flo-
 rentiam secreto misit, qui peterent, ut civem gravio-
 rem aliquem, quo cum de communi utilitate tracta-
 ret, ad se mitterent. Missus Masus Albitius equestris or-

X dinis

N O T Æ.

(u) Audita Philippus fratris nece Mediola-
 num pergit. ex Arce Papiensi ubi velut in
 custodia detinebatur Philippus fugiens, Bea-
 trice Tenda defuncti Fagini Canis uxore
 sibi desponsata, omnes ejus opera urbes a
 Cane possessas, occiso Cabrino Fondulo
 Cremonensi, & Joanne Vignato Laudensi
 tyranno recuperavit. *Campi Hist. Crem. lib.*
3. Cor. p. IV. Fusius Blondus Dec. 3. lib. 1.

(x) Per vim captum. egressis ad pugnam
 militibus, dum se reciperent, Florentini

immixti oppidum capiunt. *Boninsegn. lib. 4.*
Hist. Flor.

(y) In libertatem redacta. Expulso Ge-
 orgio Carretto Mediolanensis Ducis nomi-
 ne urbem tenente, die XXVI. Maji
 MCDIV. Senenses concilio advocato, Vi-
 cecomitis insignia omnia abradentes pacem
 cum Florentinis fecerunt. *Malavolt. Hist.*
Senen. p. II. lib. 12.

(z) Gabriel Maria Pisarum Imperio poti-
 tus, quod ei Galeatius ejus Pater reliquerat,

- 1403 dinis vir ingenti virtute, ad vicum Pisanum, quo Gabriel accesserat, cum amicitiam, societatemque illorum summopere appetere tyrannus videretur, ut Florentinorum umbra tutus pro arbitrio suo viveret, ita ab eo discessit, ut quæ postularet quam primum ad Senatum se
- 1404 renuntiaturum affirmaret: ignarus enim Gabrielis voluntatis eo venerat, ut tantum mentem illius, animumque perspiceret: quæ omnia licet summa prudentia acta sunt, tamen ita occultis colloquiis agi haud potuerunt, quin eorum fama ad Pisanos perveniret, qui suspicati aliquid de urbis venditione actum, tumultum populi libertatem clamantis excitarunt (a), quare commisso certamine Gabriel superatus, una cum Matre, cujus potissimum consilio utebatur, in arcem confugit: qua defuncta, firmo ad custodiam (b) præsidio relicto Serezanam oppidum concessit, ubi de tradenda Florentinis
- 1405 urbe est agitatum. Florentini illius potiundæ spe oblata, Ginum Capponum virum prudentem, & ad perficiendam rem aptissimum, ad Johannem (c) cognomine Buccicaudam, Genuam pro Rege Galliæ obtinentem, cujus præcipue consilio Gabriel utebatur, Oratorem (d) mittunt, alterum vero ad Gabrielem, ut de conditionibus agitaret. Multis utrinque dictis, postulatisque, tandem amissa omni recuperandæ urbis spe, Gabriel Buccicaudi cohortatione, civitatem cum omni ejus ditione vendidit (e) Florentinis, Serezana, Laventia, nonnullisque ignobilibus castel-

lis

N O T Æ.

(a) Tumultum populi excitarunt. Duce Remigio Glaccio, ut *Ammirat. Hist. Flor.* p. I. To. 2 lib. 17. natione Gallus. *Ammirat. ibid.* & *Ubert. Fol. Hist. Gen. lib. 9.*

(b) Ad custodiam præsidio relicto. Thomasio Crivello, & Thoma Castellano præfectis. *Ammirat. ibid.* (d) Oratorem mittunt. Nicolaum Barbarorum Buccicaudo, & Ginnum Capponum Gabriello Mariæ. *Truncius Ann. Pis. ad ann. MCDV.*

(c) Johannem cognomine Buccicaudam. Buccicaldum omnes pene auctores appellant, Gallice *Jean a Lancingre Bucciquaut*, (e) Vendidit Florentinis. 200. aureorum millibus acceptis. *Malavolt. Hist. Sen. lib. 1. p. III.*

lis finitimis sibi reservatis . Recepta pridie kalendas Se- 1405
ptembris , anno quinto supra mille quadringentos muni-
tissima arce , Ginus (*f*) (quo auctore composita omnia e-
rant) Laurentio Rafacano cum quingentis peditibus ad cu-
stodiendam arcem misso , eam tradidit , monuitque , ut
diligenter arcis custodiæ incumberet , ostenditque qua ex
parte capi posset , quæque pericula imminerent , nisi ad
omnia remedia animus intentus paratusque esset facile il-
lam amissurum , quæ ut caveret obtestatus Florentiam
rediit . Verum post assertam libertatem cum Pisani ad ex-
pugnamdam arcem , machinas , ac bellica instrumenta ,
balistas , catapultas , ceteraque his similia paravissent ,
paucos (*g*) infra dies , ignavia eorum , quibus arcis tu-
tela demandata erat , contigit , ut ea parte (*h*) qua præ-
dictum fuerat , ingrederentur : præfectis vero , militibus-
que præsidii causa relictis , non ad defensionem , sed ad
fugam intentis , arx capta soloque tenuis everfa . Inde Pi-
sanum bellum difficile sane secutum est , tresdecim mensi-
bus confectum . Arce diruta Pisani (*i*) Oratores Floren-
tiam ad petendam pacem misere : Verum adeo eorum
verba inferendis excedebant conditionibus ; nam castella
per Gabrielem tradita restitui (*l*) postulabant , ita præter-
itarum offensionum memoria renovata est , ut illis ex-
templo abire jussis , non de pace , aut fœdere , sed de bel-
lo omnium consensu ageretur . Multa populum ad bel-
lum contra Pisanos , tanquam necessario suscipiendum in-

X 2 cita-

N O T Æ.

(*f*) *Ginus* . Cappo Florentinorum lega-
tus arcem ab Ugone Cellerterio Buccicaldi
Vicario sibi traditam Rafacano dedit .

(*g*) *Paucos infra dies* . quinto ab arce
Florentinis tradita . *Truncius Ann. Pis. ad*
ann. MCDV.

(*h*) *Ea parte qua prædictum fuerat* . Vix,
quæ moenia circuibat , inferior porta exi-

tum claudebat , per hanc Pisani ingressi ; ut
Matthæus Palmerius Hist. de Captivitat. Pisa-
rum.

(*i*) *Pisani oratores* . Quinque missi .

(*l*) *Restitui postulabant* . nempe Libra-
factam , seu Ripafactam , & Sanctam Ma-
riam in Castello . *Boninsegni, Hist. Florent.*
lib. 4.

1405 citabant: primum emptio (*m*) optimo jure facta , ut non injuria , sed julte sumi arma viderentur , deinde arcis amissæ pudor incitabat animos , quod dedecus victoriæ futuræ gloria resarciendum putabant . Irritabat præterea antiquum (*n*) Pisanorum in eos odium , in quorum republica delenda , sæpius omnibus viribus incubuissent : addebantur præterea studia diversarum partium , quibus semper amicorum officia omnia præstitissent , hærentes (*o*) Imperatoribus , ceterisque , qui Florentinæ urbis imperium , aut ruinam quærebant : accedebant ad inimicitiam renovandam , plurima asperaque bella inter utroque , majori odio , quam viribus gesta : neminem ad eam diem exercitum in eos duxisse haud ignorabant , cui non confestim sponte sua , opes , & auxilia subministrarint , existimantes Populi Florentini damna suo accedere emolumento : Britannos quoque nuper , qui in Italianum transcenderant præmiis ab eo conductos Florentinum agrum multis calamitatibus vexasse : itaque cum sæpius rem Florentinam suis consiliis , atque opera nutantem , ac (*p*) dubiam reddidissent , operæ pretium visum est eam civitatem subigere , a qua in dies tot imminerent pericula , neque ulla certa spes esset illos adepta libertate æquior-

LI

N O T Æ.

(*m*) *Emptio optimo jure facta* . a legitimo Domino , cui Pisæ Patris testamento obvennerant .

(*n*) *Antiquum Pisanorum in eos odium* . A primis usque temporibus post Romani Imperii declinationem ortum . Deinde Justiniano imperante cum pro Pontificibus in Gothos arma sumerent Florentini , ob ingenitum odium in Florentinos , Pisani Gothis adhæserunt . Aliam sed ineptam belli causam innuit Joann. Vill. lib. 6. cap. 2.

(*o*) *Hærentes Imperatoribus* . Friderico primo , & Henrico septimo , & alii Friderico Henrici filio , rursusque Henrico , &

Manfrido Friderici filii , & Corradino eorum Nepoti .

(*p*) *Britannos quoque , &c. conductos* . Britannorum manus , quæ cohors alba vocabatur , a Pisanis conductæ . Philipp. Vill. lib. 2. cap. 63.

(*p*) *Nutantem ac dubiam* . Cladibus illatis , & præcipue prælio Montecatinesi ann. MCCCXV. quo Florentinorum copiæ una cum auxiliaribus Tarenti Principis omnino deleræ , Florentiaque ipsa ab Ugottione de la Fagiola obsessa fuit . Vide Gulielmum , & Albrigerum Cortusiorum Hist. lib. 2. MS. apud C. Manfridum de Comitibus P. V.

ri erga se animo futuros: accedebat ad hæc maritimi portus (*q*) commoditas , qui in Pisanorum arbitrio situs , Mercaturas (& antea (*r*) periculum factum erat) impediturus videbatur: durum sane existimabant in Pisanorum arbitrio consistere , velletur ne , negotiatoribus suis eum portum patere : facultas quoque omnis externis hostibus belli inferrendi auferri , & perpetuæ quietis spes ostendebatur , in potestatem redactis his , qui & novorum bellorum semina præberent , & paci ocioque adversi forent : quis enim credere posset , ab injuriis aliorum quieturos eos qui ipsi inter se nullo contenti statu , nullis firmis legibus , discordes , invicemque invidi domestica (*f*) semper factione mutuaque cæde patriam fœdarent ? Facultas quoque urbis expugnandæ proponebatur , cum nudata omni subsidio , haud magna opera in potestatem redigi posset: neque enim ab Imperatore , aut Regibus , aut ullo Italiæ Principe auxilii ferendi ullam spem esse . Solos autem , cum impares essent viribus , non posse bellum diutius sustinere , & insuper existimandum esse eos mutuis injuriis incensos , antiqua factionum studia suscituros . Pacem igitur bello redimendam esse , nec prætermittendam inimicæ urbis expugnandæ occasionem datam . Hæc in consiliis , hæc vulgo jactata , civium animos ad bellum erectos acrius incenderunt , ut urbem tanto pretio emptam , æternos prope Florentini nominis hostes , vi armisque adorirentur . Indictō itaque omnium consensu bello , ac creatis Decemviris , quorum de sententia , auctoritateque gereretur , Bertoldum Ursinum Soanæ Comitem cum exercitu equitum , peditumque dodecim milium

NOTÆ.

- (*q*) *Portus commoditas* . Liburni scilicet . nas naves deprædarentur .
 (*r*) . *Et antea periculum factum erat* . Jam vidimus in *lib. 3.* cum Galeatii triremes Pisanum Portum essent ingressæ , ut Florenti-

(*f*) *Domestica semper factione* . Bergolinis , Raspantibus adversis .

1405 lium in hostes (*t*) proficisci jubent , qui Montis Pisani (*u*) balneis expugnatis , atque incensis , ad Vicum octo passuum millibus urbi propinquum pergit , oppidum juxta Arnum , muris turribusque , tum loci natura , ad hoc arce difficili munitum , quod firma obsidione undique cinctum , & circumvallatum , Pisanum agrum infestum reddebat , excursionsque (copiarum parte ad oppugnandum relicta) ad urbis usque mœnia in diem fiebant . Urgebatur acrius oppidum , defensabaturque egregie a Pisanorum præsidio , variaque tormenta bellica , machinæ , balistæque , ac bombardæ muros verberabant : quotidie magna hominum cæde pugnabatur , acri certamine res gerebatur : qui intra oppidum erant consiliis hostium variis obstabant modis , adeoque præsentis animo resistebant , ut pluribus mensibus Ducis negligentia artis militaris ignari obsidio protraheretur , quo post (*x*) sex menses dimisso , Obizus (*y*) Garullus ei suffectus est . Tota hyeme in obsidione vici , & recipiendis castellis , populationibusque consumpta , grave bellum externum , intestinum multo gravius effecit . Erant in Civitate factiones duæ , Gibellinorum , & Guelphorum , capita vero Agnelli (*z*) Raspantes dicti , & Gambacurtæ , qui Bergolini cognominabantur . Pulsis Gambacurtis initio belli diversarum partium urbem regebant . Visum est itaque admodum utile ad urbis defensionem Pisanis , odia intestina sopiri , exulesque in urbem reduci , quo facilius plu-

N O T Æ.

- (*t*) *In hostes proficisci jubent* . die quinta Octobris , hora tertia noctis ex Astrologorum consilio . *Ammirat. p. I. To. 2. lib. 17.*
- (*u*) *Montis Pisani Balneis* . hoc est oppido Balneis propinquo , a quibus illi nomen .
- (*x*) *Post sex menses dimisso* : Bertoldus Ursinus , dum curando vulnere quod in Vici Pisani obsidione acceperat , operam daret , a Florentinis occasione usis dimissus .
- (*y*) *Obizus Garullus* . seu a Monte Garullo , ut Ammirato placet , licet Obitium Karolum appellet *S. Anton. Tit. 22. cap. 4. §. 3.*
- (*z*) *Agnelli, & Gambacurta* . ex quorum familia Jacobus Agnellus , & Petrus Gambacurta Pisanorum Domini .

plurium consilio , auxilioque munita civitas , defendere- 1405
 tur . Advocarunt (*a*) igitur Johannem Gambacurtam
 cum suæ gentis secta , qui in urbem restituti oblitteratis ,
 ut videbatur , prioribus odiis , firmataque inter eos jureju-
 rando pace , publicæ utilitati consulturi videbantur , ad-
 dita religione , cujus vinculum frangere nefas , & scele-
 stum putatur : principes (*b*) enim factionum sumpto
 ejusdem Sacramenti fragmento fœdus inter se firmarunt .
 At paulo post repetita injuriarum memoria , neque plu-
 ris religionem , quam fidem faciens Gambacurta , occiso
 Johanne Agnello , multisque ex primoribus adversæ fa-
 ctionis civibus (*c*) cæde sublatis , tyrannidem urbis occu-
 pat , sperans propter antiquam majorum suorum cum
 Populo Florentino amicitiam , se ejus voluntate tyranni-
 dem retenturum . Stulte id quidem nimis , qui sibi per-
 suasisset tantum exercitum paratum esse , tantos sumptus
 factos , tot labores susceptos , ut ipse urbis imperio poti-
 retur . Rebus in urbe compositis , extemplo Gambacurta
 a Florentinis petit , ut fide publica oratores mittere lice-
 ret , cum vero responsum redditum esset , illos se haud
 admissuros , nisi prius quod dicturi essent significasset ,
 tunc quoque an daturi forent deliberaturos , spe exclusus
 omnia ad tolerandam obsidionem necessaria parat . Inten-
 tis omnium animis ad singula , quæ ad tutelam urbis spe-
 ctarent , illa maxime angebat cura , ut frumentum unde-
 cumque in urbem comportaretur : nulli enim ambige-
 bant obsidionem diutine ferri posse , si famem evitassent ,
 quæ extremum malorum omnium videretur . In primis

triire-

N O T Æ.

(*a*) *Advocarunt* . Vide *Truncium Ann. Pis. ad ann. MCDV. & Boninsegn. Hist. Flor. lib. 4.*

(*b*) *Principes factionis* . Raynerius Sac-
 cus Raspanis , & Joannes Gambacurta
 Bergolinæ .

(*c*) *Civibus cæde sublatis* . in quibus fi-
 lius Raynerii Sachii mari demersus est , ta-
 metsi Gambacurtæ filiam tanquam pacis
 perpetuæ pignus matrimonio sibi junxisset .
Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 17.

1405 triremis una in Siciliam ad triticum vehendum missa , frumento onusta , cum ad littus Vadæ hostes fugiens appulisset , incensa est , (*d*) & frumentum omne corruptum ; quæ res haud parum terroris Pisanis incussit : ne tamen ad ultimum inopiæ adducerentur , triremes alias in Siciliam mittunt . Præparatis quæ pro maritimo comœatu agenda videbantur , ad curam terrestris auxilii conversi , Angelum Pergulensem cum equitibus mille in subsidium evocant , qui cum per agrum Senensium maritimum ad ferendam opem Pisanis pergeret , prope Volaterras a Florentinorum equitibus ad id dispositis interceptus acie victus est . Ipse cum paucis fugæ consuluit . Non multo autem post Guaspar Ubaldinus , genere factisque clarus , cum equitibus mille , & quingentis , peditibus quadringentis a Pisanis conductus , dum ad illos proficiscitur , a Ludovico (*e*) Innocentii Pontificis nepote , hostiumque præfecto , prælio commisso fusus , ac profligatus est . Mandatum præterea præfectis equitum , qui in locis urbi finitimis erant , ut omni studio providerent , ne quid comœatus , alteriusve rei , quæ ad victum pertineret in urbem deferretur : & cum obsidio Vici Pisani præter opinionem traheretur longius , visum est Pisas ipsas caput belli petendas atque obsidendas esse . Existimabant enim nonnulli oppidum in primis obsideri a duce Bertoldo (*f*) cœptum esse , quo Pisanis spatium daretur ad convehendum frumentum , aliaque defensionis utilia præparanda ; itaque vis omnis belli in urbem conversa est . Sed cum

vide-

N O T Æ.

(*d*) *Incensa est* . Petrus Maringhius Florentinus exul natans , facemque manu tenens eam in triremem injecit , levibusque acceptis vulneribus ad suos reversus est , cuius præclari facinoris præmio urbi restitutus . *Matthæus Palmerius de Captiv. Pisanorum* .

(*e*) *A Ludovico* . de Summariatis , vel

Melioratis Sulmonensi , Innocentii VII. nepote . *Leon. Aret. Hist. Flor.* Pergulensem a Ludovico victum , Ubaldinum vero a Sfortia de Cutignola superatum , non a Ludovico asserunt *Truncius Ann. Pis. Boninsegni. Hist. Flor. lib. 4. Ammirat. To. 2. lib. 17.*

(*f*) *Bertoldo* . Ursino dubiæ fidei viro , & ob hoc dimisso , ut vidimus .

multi (*y*) ex eis capti , multi faucii interfectique sunt . 1406
 Atrox enim aliquandiu certamen fuit , Pisanis in ea expu-
 gnatione salutis suæ spem ponentibus , hostibus summa vi
 castellum defendentibus : quibus etiam hi qui in altero
 castello citra flumen erant , animadversa castelli oppugna-
 tione , ascensis lembis , naviculisque quæ in promptu
 erant , trajecto fluvio open sociis tulere . Turbabant quam
 plura adverſa Pisanorum mentes , quibus ad deditiorem
 compellerentur : Nam & maxima pars (*z*) oppidorum ,
 quæ sub illorum imperio erant , tum vi , tum fame a
 Florentinis recepta erant , & jam Vicus (*a*) post decimum
 obsidionis mensem in potestatem venerat , fames quoque
 rebus ceteris periculosior populum urgebat , & tum ma-
 ritimi , tum terreſtris auxilii spes sublata animos civium
 debilitabat : jam consumptis herbis , radicibusque , im-
 munda animalia mandere compellebantur , multique in
 diem ex plebe fame interibant . Hoc fœdo spectaculo ter-
 riti Pisani , mulieres , senesque , & imbellem turbam ex
 urbe foras eijciunt , qui a Florentinorum Præfectis in ur-
 bem (*b*) redire compulsi sunt , quo maturius consum-
 ptis cibus , necessitate urgente , aut tumultus excitaretur ,
 aut urbis deditio fieret . His tot malis domiti cives , cre-
 ſcente in dies fame , cum tabida corpora per vicos , mo-
 ribundique ante oculos obverſarentur , omni desperata sub-
 ſidii ſalute , veluti ſtupidi incerta conſilia verſant animo ,
 neque

N O T Æ.

(*y*) *Multi capti* . Fugientium nonnulli
 feſſi , vel timore compulsi inter arbusta ,
 vepresq; se abdiderunt , qui a Florentinis ca-
 pti ſunt , una cum populi vexillis . *Matth.*
Palm. ibid.

(*z*) *Maxima pars oppidorum* , &c. a Flo-
 rentinis recepta fuerat , ut Tojanum , Mons
 Calvus , Mons Scutarius , Vivaria , Ghiz-
 zanus , Leolis , & Petiolum .

(*a*) *Vicus in potestatem venerat* . Ea con-
 ditione se dederat , ni infra decem dies au-

xilium adveniret , quod cum minime adve-
 niſſet , Florentinos excepit . *Matth. Palm.*
ibid.

(*b*) *Qui a Florentinis in urbem redire com-
 pulsi ſunt* . Captis prius pluribus , laqueo-
 que ſuſpenſis , & foeminis , tonsa ad umbi-
 licum veste , ſigillo candente fronti inuſto
 ſignatis , ut refert *Truncius Ann. Pis.* qui hoc
 a Florentinis factum putat , quod Pisani
 Florentinum militem aſini caudæ alligatum
 per urbem duci juſſiſſent .

1406 neque deditioem sibi persuadentes , neque valentes amplius famem ferre. Hanc ob rem sibi metuens Gambacurta , penes quem tradendæ urbis (c) potestas erat , tandem oratores (d) noctu in castra , veritus ne si id populus resciceret , se invito urbem Legatis traderet , data publica fide , qui de conditionibus urbis dedendæ agerent , misit . Re itaque pluribus noctibus cum Decemviris clam agitata , ad postremum pacti sunt , (e) ut aureorum quinquaginta millia Gambacurta , & oppida quæ de Petro Comite Balnei capta erant , insulas præterea Gorgonam , Caprariam , Gilium reciperet : exules quoque Pisani omnes , qui suæ factionis erant restituerentur : civitate (f) insuper familia Gambacurtæ , & immunitate , egregiaque domo Florentiæ donaretur ; ipse urbem , agros , oppidaque , & quicquid Pisanorum ad eam diem fuerat , libere Florentinis traderet : injurias , datis utrinque (g) obsidibus pro fide servanda , prohiberent . Hæc Florentiæ ad Senatum per Ginum renuntiata , & si gravia omnibus viderentur , cum haud ambigerent paucos infra dies famem compulsuram Pisanos ad deditioem , & per vim expugnari posse , tamen existimantes satius esse incolumi , quam everfa urbe dominari , ac pacato ingredi , ne a militibus diriperetur , (populi decreto confirmatis omnibus) auctoritate publica Ginum in castra redire jubent , qui mature receptis castellis , oppidisque , quæ in Pisanorum potestate erant , exer-

N O T Æ.

(c) Tradendæ urbis potestas erat . quippe ejus tyrannidem occupaverat .

(d) Oratores noctu in castra misit . Bindum de Brachis , & Galparem Vajanensem Pisanos cives , queis *Boninsegnus lib. 4. Hist. Flor.* addit Gambacurtæ fratrem olim Pisanorum Archiepiscopum , aliumque ejusdem familiæ virum , fortassè Bartholomæum .

(e) Pacti sunt . publico documento , a Bartholomæo Ghezano Pisanorum Notario die III, Octobris scripto in suburbio Pifa-

no . *Truncius Ann. Pis.* prope finem .

(f) Civitate insuper , &c. non Gambacurta tantum , sed & Laurentius Ciampolinus , Joannes de Brachis , & Bartholomæus Notarius , e Ghezano , civitate donati .

(g) Datis utrinque obsidibus . Qui in arce Librafactæ custodiæ Flisci , Tartaleæ , & Sfortiæ commisi sunt . Eorum nomina recenset : *Ammirat. To. 2. lib. 16.*

exercitusque præsidio in urbem immisso , quinto Idus 1406
 Octobris, anno Salutis sexto post mille trecentos, tertio
 decimo vero post bellum captum mense , Pisas (h) per
 Gambacurtam occupat . Recepta summo cum ocio urbe
 imperii æmula, ac sub jugum redacta, panis abunde (i)
 omnibus datus est : nec hostile quicquam , aut asperum
 in ea patratum . Post ingressam urbem , curiam in qua
 Magistratus summus erat, Ginus petiit, ab iisque quæ per
 Gambacurtam acta erant, comprobari voluit, & claves
 portarum in signum deditiois tradi. Hæc tanta Fortunæ
 commutatio nonnullorum flexit animos ad contemplan-
 dam vanam, & parum (l) fidam rerum humanarum for-
 tem : Nam cum ab his, qui urbi præfuerant a Gino pete-
 retur quid acturi essent, abire domo, & Florentiam ire
 iussi, & qui ante ceteris imperari soliti erant, alterius impe-
 rio parere coacti sunt. Postridie, cum Civitatis status esset
 constituendus, Ginus utile fore ratus, ad mitigandos civium
 animos, & ad spem futuri erigendos, concione advocata,
*Nescio Pisani cives (inquit), vestro ne delicto, an no-
 stra virtute tantam urbem in nostrum arbitrium Dei volun-
 tas redegerit, sed tamen existimandum videtur, tanti nu-
 minis consilio, & opera, vestrorum tum adversus Eccle-
 siam (m) Romanam, tum contra vosmet ipsos, tum erga
 nos quam plurimum malorum facinorum memoria haud obli-
 terata illis vestram urbem subdidisse, quibus semper inimi-
 cissimi extitistis : nam scelus per vos in Dei Antistites, quos*
 cru-

NOTÆ.

(h) Pisas per Gambacurtam occupat. Ad-
 venientibus Florentinis Gambacurta ob-
 viam progressus sagittæ ferum, in Pifarum
 Domini signum ei obtulit. *Matth. Palm.*
de Capt. Pifarum.

(i) Panis abunde datus. ut multi nimia
 voracitate suffocarentur. *Ammirat.*

(l) Parum fidam rerum humanarum for-
 tem. cum ad hæc redacta fuerit urbs adeo

potens, quæ Sardiniam, & Corsicam Sa-
 racenis expulsis, sibi adjunxerat, nec non
 Elbæ Insulam; Ptolemaidem insuper,
 & Genuenses pene ipsos sibi subjecerat.

(m) Adversus Ecclesiam Romanam. Ad-
 versus quam Ludovicum Bavarum Impera-
 torem adjuverant, & Petrum Raimundum
 de Corbaria Pseudopapam in suam urbem
 summo plausu receperant.

1406 *crueli morte in mare suffocastis (n) patratum: & intestine
 factiones, proditionesque civiles mutuis semper odus excita-
 ta, mala quoque permulta, quorum auctores (o) contra nos
 fuistis, ad vindicandam tantam iniquitatem, crudelitatem-
 que summum Deum provocarunt. Quo enim animo, ut
 de nobis loquamur, erga Florentinos fueritis, nisi testes su-
 mus, quos saepius nullum ob nostrum delictum, in libertatis
 (p) discrimen induxistis: nam vos, & Imperatorum (q)
 omnium contra nos insurgentium sedem, & auxilia prae-
 buistis, & Britannorum (r) exercitus mea memoria per vos in
 Urbis nostrae perniciem comparatos, fines nostros omni clade
 vexare iussistis: vos nuper Vicecomitum familiam, liberta-
 tem nostram appetentem, omni ope iuvistis. Vos mercatori-
 bus nostris portu vestro interdixistis, duplicatisque vectigali-
 bus urbe excedere coegistis: vos Galeatium, quo nobis facilius
 imperaret, in dominum recepistis: multa praeterea injuria in no-
 strum periculum emanarunt, quae cum vobis nota sint omit-
 tenda esse duxi. Unum minime praetereundum est, nemi-
 nem unquam fuisse Populi Florentini hostem, qui non vobis
 fuerit amicus, cui non fueritis alacres, ac leti omnibus
 malis, quae inferrentur nobis. Haec causa maxime nos mo-
 vit ad consulendum saluti libertatis nostrae, quam semper
 dubiam per vos reddi conspiciebamus. Vestris igitur meritis,
 vestris operibus coactus est jure Florentinus Populus, ut eos
 sibi*

N O T A E.

(n) *In mare suffocastis*. advenientes ex Gallia & Anglia, ad Concilium a Gregorio Pontifice indictum anno 1327. Episcopos Genuensibus triremibus advectos, Pisani Federici Imperatoris impullu in mare de-
 cere. Joann. Vill. lib. 6. cap. 2.

(o) *Auctores contra nos fuistis*. Conradi-
 num Federici Imperatoris filium adversus
 Florentinos evocaverant an. MCCLXVII.
 & bis Florentinorum exercitum deleverant
 hoc est anno MCCCXV. & MCCCXLI.

(p) *In libertatis discrimen adduxistis*. exu-

libus praecipue Florentinorum juvandis, ex
 quo factiones in urbe incaluerunt.

(q) *Imperatorum omnium*. Federici I.
 Henrici VII. Friderici II. Caroli IV. &
 Henrici VIII.

(r) *Britannorum exercitum mea memoria*,
 &c. Quinque Britannorum millia Alber-
 to Germano Duce a Pisaniis conducta,
 queis utque ad Florentiae moenia ventum
 est, anno MCCCLXII. Philipp. Vill. lib. 1 r.
 cap. 63.

videretur nulla re facilius, quam fame tantam, tam munitam urbem, tam infestis civium animis expugnari posse, optimum factu visum est providere, ut commeatibus terra marique intercluderentur: & terra quidem exercitus Duci negotium datum est, ut undique a commeatu invehendo prohiberet: multi deferentes capti pœnas dedere, quo metu perterriti ceteri ab importando abstinerunt. Ad maritimos autem commeatus prohibendos, pontem supra Arnum mare versus urbi propinquum firmissimis lignis, ac trabibus erigunt, defixis in aqua sudibus non parvæ crassitudinis, quo aditus, exitusque procluderetur. In utraque fluminis ripa pontem castellis firmissimis, ne qua vis illum disturbarer, muniunt, castellaque valido præsidio, ut hostibus dissipandi pontis facultas adimeretur, firmant, duceque exercitus declarato Luca (g) Flisco Genuensi omnes belli artes edocto, ab utraque urbis parte haud procul a mœnibus, ut omnem externi auxilii spem auferrent, castra locant, urbemque obsidione cingunt; utque cuncta ordine procedant, ex Decemviris Masum Albitium equestris ordinis, & Ginum Capponum ad exercitum mittunt. Statutum quoque, ut qui ob cædem, aliamve noxam capite damnati, aut exules facti usque ad finitum bellum stipendiis suis in castris militassent, aut alios suo nomine misissent condonata pœna restituerentur: multi reditionis spe convenere, ac summo usui in eo bello fuere. His rebus admodum territi Pisani, cum spes maritimi frumenti adempta esset, & undique terra obsessi forent, externam opem implorare coacti, ad Ladislaum Regem misere, qui urbem illi traderent, advocarentque ad eam civitatem defendendam,

Y- reci-

N O T Æ.

(g) Luca Flisco. suffectus Fliscus in locum Obicij Montisgarulli, qui ad sua tuenda reversus fuerat, in qua Estensis irrue-

1406 recipiendamque , quæ se ultro ei dedisset . At is deditio-
 ne (*b*) rejecta , nequaquam se cum Florentinis Pisanorum
 gratia bellum aliquod suscepturum , respondit . Quo respon-
 so perculsa civitas (& jam fames increbrescebat) Gallia
 Regi (*i*) , seorsimque Johanni Burgundia duci (*l*) urbem
 obtulere , se suaque utrique libere dedentes . Rex Floren-
 tinis oppidum sibi oblatum , deditumque significans , Du-
 cem belli , civesque qui gerendo bello præerant , per ca-
 duceatorem , ac litteras monuit , ut ab armis discederent ,
 cum regia ditionis factum esset . Responsum est a Florentinis
 emptam a se urbem esse ab eo (*m*) qui in illa summum jus im-
 periumque a patre relictum obtineret : Credere se si notum hoc
 Regi extitisset , nequaquam illum pro ejus modestia , animi-
 que æquitate quicquam quod injustum videri posset , postula-
 turum : emptionem optimo jure factam , & pecuniam perso-
 lutam , ut nulli sane mentis dubium esset æquo jure urbem
 ad eos spectare : neque civibus Pisanis ullum arbitrium per-
 missum , se aut urbem dedendi : Venundatos enim , non sui ,
 sed alieni juris esse , neque posse , quod legitime alteri datum
 esset , sine ejus voluntate in alterum per injuriam transfer-
 ri . Commemorata sunt præterea mutua odia , Pisanorumque
 in Florentinos injuriæ , motaque ab illis bella , quibus Flo-
 rentia maxima subisset pericula , ut necesse fuerit , si salvi esse
 vellent suisque rebus consulere , eam subdere urbem semper
 suis hostibus faventem , adversantem amicis : apparatus
 etiam belli summo cum impendio factus ostendebatur , quem
 credebant tam sapientem , tam justum Regem nolle pati , ut
 frustra (quod gravissimum foret) factus esse videretur . Cario-
 rem

N O T Æ.

(*b*) Deditio rejecta . Pacti fuerant cum
 Ladislao Apulia Rege , ne Etruria rebus
 se immisceret , ipsique ex adverso promise-
 rant , se nihil contra ipsam Romam occu-
 pare molientem facturos . *Math. Palm. Hist.*
de Capt. Pisanorum .

(*i*) Gallia Regi . Carolo VI.
 (*l*) Burgundia Duci . Caroli V I. pa-
 trueli .
 (*m*) Ab eo qui , &c. hoc est a Gabriele
 Maria , cui a Galeatio hereditatis nomine
 assignata fuerant Pise .

rem insuper Regi esse debere urbem Florentinam, quam maiores suos (n) instaurasse fama erat, certe auxisse semper, & conseruasse constaret, ex quo apud eam regalis domus nomen continuo venerandum fuerit, quam Civitatem Pisanam, quæ non in Regis gratiam, sed in odium Florentinorum desperatis rebus quærat nunc in antiqua obseruantia, ac amicitia verbis discidia serere. Veruntamen missuros se ad Regem Oratores, qui eiusmodi rationibus docerent, Florentinos iustum mouisse bellum: Regem quoque, si id postularetur, sperarent auxilia daturum. His verbis regis nuntius permotus, cum quæ intellexisset, Regi se renuntiaturum diceret, speraretque non ingrata illi fore, in Galliam revertitur. Burgundiæ Ducis caduceator paucos post dies adueniens, cum verbis minantibus Ducem, exercitumque inde confestim abire mandaret, obsidionemque solvere ejus urbis, quæ a civibus suo domino tradita extitisset, Florentinorumque (o) præfecti eisdem rationibus suam causam tarentur, virque levis, & ira feruidus commotus animo acrius insultaret, ac verbis minas, contumeliasque adderet, superbe ferociterque nimium loqueretur, lictores quidam jussi hominem veluti dementem in flumen (p) propinquum deiiciunt, qui circumstantium ope ne suffocaretur, abstrahitur. Triremes (q) interim ad observandas naves in Siciliam profectas paratæ, cum illæ fru-

1406

Y 2. mento

N O T Æ.

(n) Majores suos instaurasse fama erat. de Carolo Magno intelligendum, de quo Ugolinus Verinus de Illustr. Urbis Flor. lib. 1. Egregios Carolus Romana stirpis; alumnos fovit &c. Majoremq; novis præcinxit mœnibus Urbem; Templâ resarcivit veteri decussa ruina &c. Vide notas in lib. 1.

(o) Florentinorumque præfecti. Masus Albitius, & Ginus Capponus ex Decemviris ad exercitum missi.

(p) In flumen de jiciunt. Nonnulli licet

Scriptores publico Florentinorum jussu præcipitem actum referant Burgundiæ Ducis Caduceatorem, ut Ammirat. & Bugat. Hist. Un. lib. 5. Matthæo Palmerio tamen libentius adhæserim, qui lib. de Capt. Pisanum narrat eum a Florentinis quibusdam paulo audacioribus, noctu in Arnum projectum; non enim in Burgundiæ Ducis contumeliam hoc publico jussu fieri potuit.

(q) Triremes interim. Genuensium a Florentinis conductæ.

1406 mento onustæ redeuntes intelligerent frustra se aditum in urbem undique obsessam tentaturas, obque id retrocedere vellent, orto adverso vento in portum rejectas parvo certamine cepere. Ereptum (r) frumentum dimissis navibus in castra, oppidaque quæ fame urgebantur, comportatum est: quo accidit, ut inopia ubique in copiam verteretur. Intenti ad omnem rei bene gerendæ occasionem Pisani, cum Arnus continuis imbribus præter solitum excrevisset, vim magnam iugentium trabium, quas everfis domibus ceperant in flumen detulerunt, ut in pronum delatæ pontem aquæ impetu dissolverent. Magna ex parte ceptis fortuna affuit, nam major illius pars disturbata est, adeo ut nulli ad alteros transitus daretur, eoque castella, & castra mutuo subsidio privarentur. Ea re animadversa cives magno (f) concursu ad id castellum, quod in ripa erectum erat, facto, omni conatu expugnare adorti sunt. Saluti fuere Præfecti (t) equitum duo, qui cum alia de causa (u) ferme soli flumen transissent, visa castelli oppugnatione, cum paucis equitibus, magnis vocibus jam jam adventare exercitum clamitantes, pugnantem populum aggressi sunt, adeoque se inter hostes immiscuere, ut uni ex (x) Præfectis equus occisus sit. Pisani credentes alias copias hostium affuturas (neque enim verisimile erat pauculos equites solos, sine spe subsidii majoris tantum Populum invasuros) territi ab oppugnatione destiterunt, fugientesque urbem repetunt: multi

N O T Æ.

(r) Ereptum frumentum. ad 2000. modia, ut Boninsegn. Hist. Flor. lib. 4.

(f) Magno concursu. Eruptionis Dux fuerat Cola Matus, qui cum paucis Mercenariis equitibus Pisis erat.

(t) Præfecti equitum duo. Sfortia, & Tartalea flumen, duobus tantum famulis comitantibus, trajecerant.

(u) Alia de causa. non alia de causa, quam ut oppidum tuerentur. Nam flumen antea non trajecerant, sed visis hostibus ex adversa fluminis ripa, cymbam Sfortia conscendens in subsidium advolavit, quem Tartalea æmulatione actus subsequutus est. Mathaus Palmerius de Capt. Pis.

(x) Uni ex præfectis. Sfortiæ.

sibi aliquando subiiceret, qui se aliorum seruos esse voluissent: 1406
 Dei beneficio, & nostra virtute effectum est, ut potiremur
 victoria, pacatoque urbem milites ingrederentur: a rapina,
 caedeque, & sanguine temperatum est: nihil cuiquam abla-
 tum: nulla vel parua injuria quis affectus: id egimus,
 uti non deleri tantam Civitatem velle, sed conservare ac-
 ceptam videremur. Hoc vobis argumentum sit, quo erga
 vos animo in pace futuri simus, cum belli tempore, &
 in victoriae licentia, quae solet esse insolentior, tanta modera-
 tione usi simus, servantes urbem, quam delere jure belli pro
 arbitrio licebat: servati ad unum estis omnes, & bona sua
 singulis concessa: cibus insuper abunde datus, quo esurientia
 corpora reficerentur: mittite Florentiam, qui adeant Sena-
 tum nostrum, ac vos, vestraque omnia illius judicio libe-
 re permittant; certior etenim sum, humanitatem, & cle-
 mentiam uberiolem apud illum, licet hostem quondam, re-
 perietis, quam sitis apud civis vestros experti. Sciunt
 omnes Pisanum populum, non solum ocii, & quietis, quae
 civilium dissensionum quandoque causam praebent, tempore;
 sed in periculosissimo quoque bello, quod solet etiam discordes ci-
 ves ad communem salutem hortari, civilibus odiis (1), & in
 caede civium saevire solitum. Itaque haud dubium est ejusmo-
 di hominum quieti conducere, ut pareant melioribus, quando-
 quidem neque pacis, neque belli jura servare didicerunt,
 cum in ocio discordes, in bello crudeles fuerint in perniciem Ci-
 vitatis. Nunc sub justo imperio futuri, curate fidem servare,
 ac parere Magistratibus, qui nihil imperabunt, nisi quod ju-
 stum, aequumque videri possit. Cum haec dixisset, surgens
 Bartholomaeus Ciampolinus gratias egit, tum Deo pri-
 mum,

NOTÆ.

(1) Civilibus odiis, & caede civium. anno | plebe cum nobilibus congregante, atrox
 MCCCXIII. Pisana urbs bis direpta, | praelium fuit, & publica scripta, ejecto
 & primores civium adversis inter se factio- | Potestate, igne absumpta. Truncius Ann.
 nibus sublatis. Deinde ann. MCCCXXXV. | Pis.

1406 mum, tum populo Florentino, suisque legatis, quorum opera conservati essent, multisque in laudem humanitatis eorum dictis, qui se perire nolissent, cum belli jure liceret tum fame, tum incendiis, tum rapinis urbem delere, civitatem bello fessam commendavit: tanta restare eorum erga se merita asserens, ut nisi ingrati videri cuperent, perpetua tanti beneficii memoria nomen eorum celebrare tenerentur. Dimissa concione, viginti oratores (t) a Civitate Florentiam missi, & ducenti præterea cives postmodum ire jussi, futuri in urbe, quoad arx antiqua instauraretur, quæ biennio perfecta est. Civitatis regendæ cura Magistratibus, qui juri dicendo præessent, permessa est. Prætorum primus a Senatu Ginus (u) designatus, homo prudens, atque integer, qui sicut bello gerendo, ita & pace gubernandæ urbi utilis videretur. Multum hæc victoria contulit Florentinis, tum ad famam, tum ad commoda, tum ad salutem. At in urbe post supplicationes omnibus templis, ac gratias Deo solemnè pompa actas, aliquot dies summa cum lætitia acti. Dies quoque, qua urbs est recepta, quotannis equorum cursu celebris facta est. Biennio ab armis quieta civitate successit bellum a Ladislao Siciliae Rege contra Florentinos motum: cujus origo a Pontifice Gregorio (x) XII. orta est: promiserat (y) enim, juraverat, voverat, dum de eligendo Pontifice disputarent, se, si Pontifex factus esset, schif-

N O T Æ.

(t) *Oratores Florentiam missi.* Bartholomæus Scornus, Gherardus Compagnus, & Gaspar de Lavaciana. Hos, cum Florentiam pervenissent ante Dominorum sedes, humi se abjecisse, terramque osculatos obedientiam promississe, narrat *Matthæus Palmerius de Capt. Pisarum.*

(u) *Ginus Capponus.* primus Pisarum, pro Florentinis Prætor, & Alamanus Adi-

marius primus ex Florentinis Pisarum Archiepiscopus, deinde Cardinalis.

(x) *Gregorio XII.* antea Angelo Corra-rio Patr. Veneto, Cardinali Aquilejensi, titulo Sancti Marci.

(y) *Promiserat enim, &c.* adhibitis etiam notariis, & testibus confirmavit, suaque manu scripta Tabellionum notavit. *Flar. in Vita Greg. XII.*

schisma quod in Ecclesia annos amplius (2) triginta vi- 1408
 guerat, sublaturum, Pontificatuque si opus foret ultro se
 abdicaturum. Multa initio egit, quæ signa ostenderent
 animi haudquaquam a promissis abhorrentis, demum
 dulcedine dignitatis captum, tardantemque, ac tergi-
 versantem, & his qui servanda promissa asserebant,
 pacemque Ecclesiæ appetebant infestum, infensumque,
 Cardinales, duobus (a) exceptis, qui & ipsi postea ceteros
 secuti sunt (omnes hi Lucæ cum Pontifice erant) deserue-
 re, Pisasque urbem propinquam, cum jam sibi ab eo (b)
 mortis insidias intellexissent paratas, petivere. Eodem
 & alterius Pontificis Benedicti (c) Cardinales, concilii cele-
 brandi causa convenerunt: in quo Gregorius interim a
 Cardinalibus destitutus, cum Lucæ esset, incertus Flo-
 rentinorum animi, multis promissis favorem sibi Ladislai
 conciliavit; qui in gratiam Pontificis, quem ex volun-
 tate nactus erat sibi obsequendi cupidum, Florentinis (d)
 scripsit velle se cum suis copiis Lucam, ut inde Pontifi-
 cem educeret, proficisci: petiitque, ut per eorum agrum
 sine injuria, & maleficio transire liceret, comeatuf-
 que, & hospitia præberent, addiditque se cum ipsis fœ-
 dere jungi velle: quæ omnia ab eo ad perturbandum fu-
 turum concilium dicebantur. Responsum tulit, ad eum
 missurum populum Florentinum oratores, qui secum de

Z 2 postu-

N O T Æ.

(2) *amplius triginta*. nempe ab anno MCCCLXXXVIII, quo Urbanus VI. in Pontificem electus, usque ad annum MCDVIII.

(a) *Duobus exceptis*. Henrico scilicet Tusculano Episcopo & Antonio tit. S. P. tentianæ. *Odor. Rayn. Ann. Eccl. To. 17. ad ann. Christi MCDV.*

(b) *Ab eo mortis insidias intellexissent paratas*. Paratos enim fuisse compedes ad illos detinendos, & militibus ultra morem palatium repletum, testati sunt Cardinales, queis

ne Luca discederent, indictum est. Contra hæc sentit *Card. Baronius To. 2. n. 74. & Rayn. To. 16.* nam nullæ insidiæ Cardinalibus paratæ, & si inhibitus Luca discessus fuit, hoc factum, ne cum Antipapa communicarent.

(c) *Benedicti*. Benedicti XIII. hoc est Petri de Luna, qui sibi hoc nomen asciverat.

(d) *Florentinis scripsit*. epistolamque detulit Christianus Caracciolus Ladislai Legatus. *Scip. Ammir. To. 2. lib. 17. Hist. Flor. p. 943.*

1408 postulatis agerent . Erat Regis animus elatus imperandi cupiditate , & jam plura Ecclesiæ (e) oppida ipsamque (f) urbem occupaverat : cetera sibi desponderat , si Gregorium ad se recepisset . Qua propter odio erant (g) illi Cardinales , & quicumque eis in peragendo Concilio faverent : exoptabat vir ambitiosus , & alieni cupidus Ecclesiæ vires distrahi ; quas debiliores duobus fore , quam in uno Pontifice arbitrabatur : ob eam causam se Gregorii partes sequi simulabat , qui interim Senas per Florentinum agrum rurus repetiit , ibique urbem accepta (h) pecunia Regi tradidit . Florentinorum (i) oratores ad Ladislaum decreti , cum Romam venissent , petenti Regi , ut & Cardinales suis urbibus pellerent , neque concilium admitterent , deque amicitia , & societate secum jungenda tractarent , utrumque negarunt : nam , & in fœdere manifestæ insidiæ apparebant , cum ablata per injuriam a Romana Ecclesia tenenda essent , & viribus futuri in concilio Pontificis , suas quoque tutiores intelligebant . Neque enim dubium erat , quin novus creatus Pontifex omni ope instaret , ut amissa omnia aliorum ignavia recuperaret . Hoc responso indignato Regi , multa que minitanti , unum ex oratoribus Bartholomæum Valorium prompti ingenii respon-

N O T Æ .

(e) *Ecclesia oppida* . uti Asculum , Firmum , Perusium , Tudertum , Assisium .

(f) *Ipsamque urbem* . Romam , ejus mœnibus noctu perfractis , ut in Epist. Greg. XII. Senis data VI. Idus Sept. ejusd. Pontif. ann. I. apud Rayn. To. 16. p. 316. Edit. Colon.

(g) *Odio erant illi Cardinales* , &c. Cum Siciliæ Regnum in hoc schismate , Gregorius Ladislao , & Benedictus Ludovico Andegavensium Duci concessissent , verebatur , ne utriusque Pontificis in Concilio abdicatione facta , Gallorum aliquis in Pontificem eligeretur , qui Ludovico faveret . Hinc pro virili concilium impedire conabatur . Leon. Aret. lib. 2. ep. 6.

(h) *Urbem accepta pecunia Regi tradidit* .

Immerito calumniam hanc Gregorio strictam asserit Leon. Aret. lib. 2. epist. 7. idque ex eo probat , quod idem Pontifex Ladislaum monuerit , ut ab ea discederet , pœnis indictis , ut lib. 2. epist. secr. p. 118. apud Raynaldum. To. 16. Adde insuper Romam a Paulo Ursino proditam : nam Ladislao pecuniæ conciliatus eam illi tradidit , qui triumphali more a Romanis exceptus est die XXV. Aprilis , ut Theodoricus Niemijs lib. 3. , & Colleen. Hist. Neap. lib. 5.

(i) *Florentinorum oratores* . Laurentius Rodolphus , Philippus Magalotus , Jacobus Salviatus , & Bartholomæus Valorius . Priorist. Florent.

spondisse ferunt, populum Florentinum a pluribus Imperatoribus, tyrannisque appetitam libertatem ad eam diem & conservasse, & suas auxisse opes, bellumque si inferretur, magno animo, & paribus viribus gesturos. Cum Rex ad ea, quibusnam copiis se tuerentur rogaret, tuismet respondit: quæ verba a Rege haud parvi existimata sunt, verente, ne quod postea accidit, a suis desereretur. Inde dimissis oratoribus, Neapolim ad extremum æstatis revertitur. Magnum timorem Florentinis antea incusserat apparatus Regis, incertique erga se (l) animi suspicio. Multa enim apparebant signa irati erga se, & dominandi cupiditate æstuantis. Hanc ob causam, cum Sancti Eustachii Cardinale legato Bononiensi fœdus (m) renovatum, & duo oratores (n) ad Regem, qui principio veris ad urbem redierat, indeque cum magno (o) exercitu profectus agro Senensi appropinquabat, missi, jussique prius Senas ad confirmandos socios adire, auxiliaque pro libertate adversus Regem servanda polliceri. Constantissimi ad se tuendum inventi Senenses, & suos ad Regem oratores destinarunt, petituros (nam eorum oppidis (p) finitimus erat) quid sibi vellet hostilis profectio, cum nullum ob suum meritum ab eo Rege sibi bellum inferretur, ejus semper amicitiam coluissent. Senis digressi, Regem citra Aquæpendentis (q) oppidum juxta flumen Paleæ cum omnibus copiis proficiscentem invenere, Florentini priores,

mirari

N O T Æ.

(l) *Incertique erga se animi suspicio.* Quin immo certi contra Florentinos animi: indixerat enim illis, ut vel Pontificem ab auxilio a Ladislao petendo removerent, vel octo millia militum suo in agro expectarent. *Petrus Boninsegn. Hist. Flor. lib. 4.*

(m) *Fœdus renovatum est.* ad annos decem, Joanne Predebene Cardinalis oratore ad hoc Florentiam misso pridie kal. Junias. *Ammirat. T. 2. lib. 17.*

(n) *Duo oratores.* Christophorus Spe-

nus, & Rodolphus Petruccijs.

(o) *Cum magno exercitu.* octo equitum, & septem millibus peditum.

(p) *Eorum oppidis finitimus erat.* Castra enim maritima in ora posuerat prope ditionem Lecci Salimbenii. *Malavolti. Hist. Sen. lib. 1. p. 111.*

(q) *Aquæpendentis oppidum.* Intèr Senas 40. & Volsinios Romam versus 10. pass. mill. cujus populi a *Blinia* Aquenses appellati.

1408 mirari suum populum, cum omnium Progenitorum socii amicitie semper extitissent, ac Carolum Primum Regnum appetentem etiam suorum civium auxilio adjuvissent, plurimumque ad victoriam contulissent; cum Roberto quoque, Patri insuper suo omnia amicorum officia præstitissent, secumque ad eam diem summa benevolentia amicitiaque fuissent, quenam ratio, quæve causa eum impulerit ad Senenses socios eorum, fæderatosque bello appetendos: nullam certe, neque justam, neque honestam causam afferri posse, cur nullo, præsertim ut (r) moris est gentium, indicto bello, eorum insultet agris: rogare, atque obsecrare, ut ab armis abstineat, vi atque injuria eos laceessere absistat. Si quid esset, quod ab eis postuletur, aut siquam injuriam in se profectam arbitretur, proferat: paratos se, aut diluere culpam, aut satisfacere, si qua in re se læsum putaret. In eandem sententiam, & Senensium oratores loquuntur. Responsum ab Rege est, scire se haud vulgarem amicitiam inter suos majores, ac Florentinos viginisse, seque, non ut hostem (s), sed socium, atque amicum advenisse, neque eorum damna, atque incommoda appetere. Nonnulla esse, in quibus se offensum putet, quæ pro pace Italie corrigi querat. Eadem, & Senensibus cum dicta essent, addidit Oratorem se, tum Senas, tum Florentiam cum mandatis missurum; si postulatis suis annuerent, se quam primum abiturum, spondit. Hoc responso rediere domum utrique oratores, haud dubii, procul ab his quæ dixerat, Regis mentem esse: pacem ostentari verbis, re Imperium quæri, quod per duorum populorum dissensionem, si ca injici posset, se assecuturum putabat. Regius orator Senas missus, in plurium electorum civium (nam id postula-

tum

N O T Æ.

(r) Ut moris est gentium indicto bello. Tanti hoc faciebant Romani, ut nullum bellum justum sit, nisi quod, aut repetitis rebus geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum, referat Cicero de Off. (s) Non ut hostem, sed socium. Iino vero ut hostem, quippe armatus venerat.

tum (t) erat) conventu, propensum ad eorum amicitiam utilitatemque Regis animum testatus est, neque inimicum illis, sed amicum venisse: eorum libertatem neque appetere, neque minuere in animo esse, sed potius tueri. Rogare, ut Florentinorum societatem rejicerent, neve, se contra Florentinos eunti, pro scuto, aut vallo in illorum tutelam præberent. Id Florentinos quærere, ut defatigati bello Senenses faciliores aditus illis darent ad se expugnandos: medii quiescerent nemini faventes, de regia potius, quam Florentinorum (qui pacta ex tempore fervarent) fide securi. Odia etiam narravit, bellaque Senensium cum populo Florentino habita: non posse illorum animos curarum expertes esse, cum Florentinam Rempublicam pervalidam opibus, vicinam haberent: tempus advenisse dicebat; quo per illorum calamitatem tutiores esse possent, procul ab omni periculo futuri: multæ suspitiones injectæ sunt, multa que exposita, quibus suadere conatus est, ut Florentinorum fœdere posthabito quieti suæ consulere, Regique hærerent, cujus mens esset, ut quæcumque peterentur ultro facturum se polliceretur. Data est ex decreto civium responsio: Senenses semper Regis amicitiam optasse, inque ea permanisse hætenus, permanensque quoad vellet salva Republica. Arbitrari se, Regem prudentem, quod suus honor, & dignitas postulare facerent, neque armis violatum eos, a quibus nihil ad eam diem prodiiisset præterita amicitia indignum. Id vero alienum videri postulare, ut socios amicos, quibus cum novo fœdere jureque jurando solemni juncti essent, quorumque fides perspecta esset, de se benemeritos repudiarent: non esse suæ consuetudinis, neque

NOTÆ.

(t) *Id postulatum erat*. Ideo plures ex illis, quos penes summa auctoritas erat, si-
civibus alloqui postulaverat Legatus, quia | bi in fensos putabat.

1408 que officii, jurisjurandi religionem, fidemque datam tam levem existimare, ut fœderatam facile abolerent, ignominiaque, & perfidia notarentur. Quæ enim dementia videretur hæere armato, & ei qui hostili more eos invasisset, ac ex tempore consilium caperet, cum relictis sociis, regii arbitrii esset, salvos ne, an perditos vellet? non sani consilii esse, ab alienatis vicinis, finitimisque, quibus cum quotidie vitæ commercia essent, mutuisque officiis fruerentur, externum, & longe (u) absentem Principem in novam asciscere societatem: raro enim longinqua præsidia in tempore oppressis subito opem ferre posse. Irent, ac Regi nuntiarent, tanti viri esse neminem per injuriam, 1409 aut dominandi cupiditatem armis laceßere, sed justam pacem iniquo præferre bello: neque eos armis iniquis impetere, a quibus nihil vel parvæ etiam contumeliæ accepisset: nullam tantam vim, ac rem tam gravem fore, quæ vincula fœderis cum Florentinis contracti abrumperet: se amicitiam, benevolentiamque Regis appetere, & quietem, quam belli discrimina, & labores malle. Quod si in sententia belli gerendi perstaret, sperare se Deum optimum, rerum humanarum judicem, & miserorum perfugium eorum causæ non defuturum. His dictis orator ad Regem in castra reversus est. Qui vero Florentiam missi erant (x), alia ratione causam suam egerunt: primo quidem Perusinos exules eorum opibus, & potentia allectos, adeo Picenum omne turbare, ut vectigalia (y) a Pontifice sibi concessa nulla exigendi facultas esset
questi

N O T Æ.

(u) *Longe absentem*. Neapoli morantem.

(x) *Missi erant*. Unum tantum oratorem Florentiam missum Ladislao, supra dixit Poggius, tum quando Rex addidit, *Oratorem se cum Senas, tum*

Florentiam missurum.

(y) *Vectigalia a Pontifice sibi concessa*. ut sibi Ladislaus auxiliaretur, Pontifex sexaginta aureorum millia a Perusinis exigenda concesserat. *Beninsogn. Hist. Flor. lib. 4.*

questi sunt: eos præterea cum Legato Bononiensi (2) quem 1409
 pro hoste haberet fœdus percussisse, tum urbem Pisanam
 Cardinalibus pro concilio contra Gregorium verum Pon-
 tificem, & a se omnibus viribus tutandum in ejus contu-
 meliam concessam: Tyranno (a) etiam Lucensi, quo cum
 fœdere junctus erat, dolo tentasse, Caroli castellum subri-
 pere: qua ex re bellum illi indictum a Florentinis videri.
 Postremo amicitiam, societatemque petiverunt: quæ o-
 mnia eo spectabant, ut metu belli, Florentini Concilio ad-
 versarentur, quo ipse liberius Provincias omnes Romanæ
 Ecclesiæ, quas plurimas ceperat, absque metu futuri Pon-
 tificis teneret. Florentini animo Regis perspecto, ut ad-
 versarium illi opponerent, Concilium fieri, & novum
 Pontificem creari studebant. Exquisitis civium sententiis
 responsum est oratoribus, Regias querelas haudquaquam
 veras, aut justas esse, sed causam ab armato quæri aliquo
 figmento bellum contra eos movendi. Nam quo tempo-
 re exules Perusini Picenum infestassent, neque a se pecu-
 niis adjutos, neque sollicitatos, sed liberos, sui que juris
 fuisse, nullo a Florentinis accepto stipendio, sua sponte
 nullius impulsu extorres patria armis victum quærere, ut
 hominum militarium egentium moris esset. Itaque si quid
 ex alieno quæsierint, non Florentinorum opera, sed ne-
 cessitate coactos fecisse existimandum videri. Legati fœ-
 dere, non suam, aut alicujus injuriam, damnumve quæ-
 situm fuisse, sed utriusque salutis prospectum: neque in
 eo quærendi belli, sed pacis servandæ rationem habitam,
 nullam justam causam prohibuisse, quin cum vicino,
 amicoque fœdus iniret, in quo quies omnium, & pax

A a ver-

N O T Æ.

(2) Legato Bononiensi quem pro hoste ha- | set. *Ammirat. Hist. Flor. To. 2. lib. 17.*
 beret. Ladislai hostis ex eo fuerat Baltha- | (a) Tyranno Lucensi. Paulo Guinigio
 far Coffa, quod Albericum Barbiani Co- | Montis Carol. oppidum auferre tentarunt
 mitem ejus præfectum suis oppidis spoliaf- | Florentini.

1409 versaretur: nullam in eo Regis mentionem esse habitam, nilque contra eum in fœdere adscriptum. Nullam legem, nullum jus esse, quod prohiberet, ne vicini pro communi salute unanimes, & concordessent. Quod Rex Legatum appellet inimicum, eam rem nuper exortam, & ignotam Florentino populo fuisse. Lucensi tyranno nullas quæsitâs, aut paratas insidias, nullam injuriam illatam, nullum detrimentum, nec quicquam de suo per fraudem capi, cogitatum, nec eas Lucensis querelas, sed Regis figmenta esse: civitatem Pisanam pro Concilio decretam, commendatione, non detractioe, benevolentia omnium, non odio, laude, non culpa Christi fidelibus dignum videri: magnam mereri gloriam putandum esse eos, qui concordia faverent, ac tam nefandum detestandumque schisma (quod singuli Christiani ob salutem animæ summopere expetere, & quærere tenerentur) tollendum curarent. Ad tam bonum opus, tam sanctum, tam optabile perficiendum, non Florentinos tantum dare operam, sed omnes ferme Christicolâs, Reges, ac Principes una mente intentos esse, omnesque gentes, quæ Christum colerent, præter tres Hispanos Reges, uniri Dei Ecclesiam velle, suosque ad id legatos (b) destinasse, ad eamque rem perficiendam suum studium polliceri. Laudent vero summopere Florentinos, qui sedem, ac domicilium pro tam optanda re præbuissent. Laudabilius facturum Regem, si illi faveret, quam si iis contemptis tanto bono adversaretur. Neque vero in odium Regis eam urbem pro concilio concessam, sed in Ecclesiæ utilitatem, quam si impugnare solus Rex vellet, videret, ne Deum malorum facinorum ultorem offenderet, cujus est tueri fideles suos,

& præ-

N O T Æ.

(b) Legatos destinasse. Eorum omnium qui interfuerunt nomina descripta habentur. | quam ex Biblioth. Barberina decerpta referuntur in *To. 17. Edir. Colon. Agrip. p. 369.*
To. 22. de Schismate p. 115. & apud Rayn. tan-

& præmia pro operibus referre. Fœderis vero postulatio- 1409
 ni, ut Regi constaret, id communi consensu factum, ad-
 vocata magna (c) civium concione responderunt, neque
 æquum, nec honestum videri, neque jure permitti insciis
 sociis, quibus confœderati essent, aliquam novam socie-
 tatem, aut fœdus coire; præsertim cum fœderibus qui-
 bus Legato & Senensibus juncti essent caveretur, ne quem in
 amicitiam recipere, nisi communi consensu fas esset: ne-
 que vero Regis postulata æqua videri, fœdere iis jungi
 velle, quorum in agro castra haberet, quosque hostili mo-
 re invasisset, neque dignitatis sociorum esse, ut cum aper-
 to hoste qui agrum eorum vastaret de fœdere ageretur.
 Abiret ex sociorum finibus, metuque, & periculo eos li-
 beraret, tunc pacis, & fœderis condiciones tractari posse,
 quas nunquam Florentinus si recte darentur esset recusatu-
 rus. Redirent igitur, & Regi persuaderent, ut honeste
 id relinqueret, quod nulla honestate suscepisset, alioquin
 cogerentur Regis injuriis impulsæ in eam rationem descen-
 dere, quam suæ libertati profuturam arbitrarentur. Hæc
 responsa cum utrinque (d) legati in castra retulissent,
 indignatus Rex exercitum Senas admovit (e), si qua for-
 te seditio in populo excitaretur. At omnes cives constan-
 ti animo Regis injurias tulere, nullaque in re, præter-
 quam quod segetes in equorum pabulum demersæ sunt,
 ejus arma Senensibus obfuerunt. Verum cum jam com-
 meatus (f) deessent omni spe deditiois destitutus, retro-
 versus Ascianum petiit, quo frustra oppugnato ad Floren-

A a 2 tino-

N O T Æ.

(c) *Advocata magna concione*. seu ma-
 jori, quam mos erat, ut de omnium civium
 voluntate constaret. S. Anton. p. III. Tit.
 22. cap. 5. § 5.

(d) *Utrinque legati*. idest Florentia, &
 Senis reversi.

(e) *Senas admovit*. ad mille passus. Pe-

trus Boninsegni. Hist. Flor. lib. 4.

(f) *Commeatus deessent*. tanto exercitui
 alendo haud satis esse poterat quod a Peru-
 sio, & Salimbeni oppidis deferebatur,
 cum alia omnia loca Florentinis fœdere
 conjuncta essent.

1409 tinorum oppida conversus, montem Savinum objecta spe per prodicionem (g) ejus oppidi capiundi in primis obfedit, qua frustratus Aretium contendit, ac ad secundum lapidem in Vico, qui Ulmus dicitur, positis castris confestim, nil tale suspicantibus civibus, ad urbem proficiscitur. Imber procellæ repentinæ similis cœlo demissus impedit, quo minus extento cursu oppidum ingrederetur. A longe conspecti quidam cum tumultum excivissent, sublato ponte, portisque clausis oppidani muros conscendunt; Cumque ad arma conclamatum esset, ad portam hosti objectam citato agmine profecti urbem tutati sunt, Ladislausque re infecta in castra reversus est. Egregia eo die Aretinorum fides, ac virtus fuit, soli enim urbem defenarunt, militibus qui in urbe præsidii gratia erant in arcem populi timore fugientibus. Decemviri animadversa Regis Aretium versus profectio, Malatestam (h) Pisauriensem exercitus Ducem, cum sex equitum millibus, tribus peditum in hostes proficisci jubent. Rex vero cum pluribus diebus eodem in loco stativa habuisset, atque inanem laborem a se susceptum sentiret, neque ab hostibus satis tutus videretur, motis castris in agrum Cortonensem ad oppugnandam urbem contendit. Expugnatione vero illius diffusus, tum propter loci naturam, tum quia egregie a Jacobo Giamfiliatio equestris ordinis custodiebatur, qui eo cum equitibus, peditibusque quingentis belli principio a Florentinis Regis consilia prospectantibus, ut urbi sociæ succurrerent, missus erat, tanquam agris (i) bellum indixisset, omnem futuræ messis spem auferre studebat; quare animadversa oppidani famem

veri-

N O T Æ.

(g) Per prodicionem oppidi capiundi. O-riensem Pandulphi filium.
 pera Fabiani Botcoli Aretini, qui ejus in (i.) Agris bellum indixisset, unde Rex
 exercitu erat: Boninsegni. Hist. Flor. lib. 4. } Guastagrano denominatus.
 (h) Malatestam, de Malatestis Pisau-

veriti, simul Loysium tyrannum exosi concitato populo 1409
 se se Regi permiserunt. Captus (l) tyrannus ad Regem
 in castra victus, una cum Giamfiliatio perducitur, qui
 magno pretio, pecunia ex ærario sumpta a Florentinis
 redemptus est. His gestis Perusiam (m) primo petiit re-
 lictaque majori exercitus parte, quæ de Pontifice captis
 urbibus præsidio esset, Neapolim rediit. Dum hæc agun-
 tur, Alexander Quintus (n) Pontifex, cum Pistorium
 primo, ubi plures menses resedit, deinde Bononiam se
 contulisset, Regesque omnes Christiani, tribus Hispanis
 (o), & Ladislao exceptis, populi insuper omnes, & uni-
 versa Italia, ac ipse Imperator, cujus ope Concilium per-
 actum erat, illi parerent, magnum terrorem Ladislao, pro-
 pter ea quæ secuta sunt, incussit. Nam creato Pontifice
 sentiens Ludovicus Rex (p) Dux Andegaviæ, qui post
 Patris obitum magnam Regni partem tenuerat, haud par-
 vas dissensiones inter Florentinos, & Ladislaum excitatas,
 eique etiam Pontificem iratum esse, ratus venisse tempus,
 quo adversus hostem, Italorum ea præsidia suppeditaren-
 tur, per oratores de jungendo secum fœdere Florentinos
 postulavit, qui animadverso hostili erga se Ladislai ani-
 mo optimum factu putarunt externa ope vires hostium
 compescere. Cum nulla igitur paratior videretur via,
 quam

NOTÆ.

(l) *Captus tyrannus*. Loysius Cafalis a
 Ladislao captus, & in vincula coniectus ve-
 luti bellua, donec Perusiæ deinde Neapoli
 in carcerem missus fuit, ut Francisci Cala-
 lis a se interfecti poenas lueret. *Boninsegn.*
Hist. Flor. lib. 1.

(m) *Perusiam petiit*. tanto a Perusinis ex-
 ceptus plautu, ut florenos mille ad ludicra
 spectacula inlumpserint. *Pellinus Hist. Per.*
p. II. lib. 4.

(n) *Alexander Quintus*. antea Petrus
 Philargus, non Cretensis, seu Græcus,
 sed de Candia, Mediolanensis ditionis. *Card.*

Tit. Basilicæ SS. XII. Apostolorum Pon-
 tificem in Pisano Concilio renuntiatus
 MCDIX. VI. kal. Junias. *Niemius lib. 3.*
cap. 52. Vide *Dan. Papebrochium in Propilao*
ad Acta Sanct. in Conatu Chronico Hist. ad Ca-
talogum Rom. Pontif. p. II. p. 109. & 110.

(o) *Tribus Hispanis, & Ladislao exceptis*.
 Hærebant Hispani Reges Petro a Luna, cu-
 jus affinis Ferdinandus erat Aragoniæ Rex.

(p) *Ludovicus Rex Andegavia*. filius Lu-
 dovici, qui in Italiam contra Carolum Apu-
 liæ Regem, Ladislai Patrem descenderat.
S. Anton. p. III. Tit. 22. cap. 5. §. 6.

1409 quam hærere Regni competitori, qui maxime ab eo formidaretur, mense Junio (q) inter Ludovicum, quem Alexander privato Ladislao Regem Apuliæ declararat, ac Florentinos, legatumque Bononiensem, ac Senenses firmatum est fœdus, in cuius conditionibus nominatim cavebatur, quot equites, peditesque in gerendo adversus Ladislaum bello singuli præberent. Suadebant omnes Alexandro, cum Pistorium (r) venisset, ut cum omnibus, quæ plurimæ, paratæque erant copiæ, recta ad recuperandam urbem pergeret: sed cohortatione, consilioque Legati futura (s) prævidentis Bononiam urbem sibi fatalem migravit. Interim fœderatorum equites, peditesque ad octo millia mense Septembri Romam versus Duce Malatesta Pisauriensi profecti, Urbem veterem, Flasconem, Viterbium, ceteraque omnia Patrimonii oppida Romam usque recepere: pauloque post urbs ipsa, Pauli Ursini, qui a Rege defecerat opera, ad Pontificem rediit: Capta enim Transyberina regione, reliquæ urbis cives Ladislai præsidio ejecto se se Legato Pontificis dederunt: inde Latium petentes omnibus ejus urbibus partim ultro se se dedentibus, partim vi in potestatem redactis potiti sunt. His actis Malatesta Dux Florentiam rediit. Secuta (t) interim

N O T Æ.

(q) *Mense Junio*. die XXVIII. pax firmata usque ad ann. MCDXI. Ejus conditiones vide in *Ammirar. Hist. Flor. par. 1. To. 2. lib. 17.*

(r) *Cum Pistorium venisset*. Mense Augusto fugiens pestem, quæ Pisis grassari cœperat. *Dominic. Boninsegn. Hist. Flor. lib. 4. prope finem.*

(s) *Legati futura prævidentis*. Balthassar Cossa Bononiæ Legatus Pontificem valde senem brevi interitum conjiciens, & Pontificatum appetens apud se illum detinebat cum omnibus Cardinalibus illi interservientibus. Quin immo eum veneno tollere molitus fuerat, ut constat ex sententia in Conc. Const. adversus eum lata apud *Rayn. To. 17.*

(t) *Secuta Alexandri morte*. quinto Idus Maji cum annum ageret LXXI. Pontificatus mense decimo, non duodevigesimo, ut *Brietius Ann. Mundi p. III. To. 2. Parisiis*, cum enim ipse fateatur p. 341. Pontificem creatum sexto kal. Junias anni MCDIX. & sequenti pagina objisse dicat quinto Idus Maji ann. MCDX. duodeviginti menses interesse non poterant. Tenuisse autem Pontificatum menses decem, & dies octo, testatur *Odoricus Rayn. Ann. Eccl. To. 17.* aitque se eruisse ex antiquis monumentis Joann. XXIII. Tabulario intertis, quæ ibi apponit sub *ann. MCDX. To. 17. p. 404. Colon.* *Agrip. Vide Gobel. in Cosm. ar. 6.*

terim Alexandri morte, Legatus (u), qui Bononiæ erat, 1410 Pontifex est factus nomine Johannes XXIII. animo adversus Ladislaum inimico, infestoque. Percussus novi Antistitis dignitate Ladislaus, cum sciret illum sibi inimicissimum esse, Ludovicum vero Regni competitorem Pontifex detineret in Etruria, Florentinorum quoque vires reformidans, varia etiam adversus se consilia agitari animadvertens, sibi cum Florentinis pacem omni studio procurandam decrevit, cum arbitraretur ea assecuta suas vires firmiores, hostium vero debiliores fore. Itaque Gabriele Brunellesco Florentino cive Florentiam misso, qui nomine suo eam peteret, ut facilius in amicitiam descenderent redditurum se, quæ in Genuensium nave oneraria de illis ceperat, obtulit, Cortonamque pro amissis daturum. Primores civitatis prudentia, & rerum usu præstantes, quibus Regis mens satis perspecta erat, vastusque illius animus immoderata semper appetentis, non concordia cupiditate, sed belli futuri timore, & astu, doloque (x) ab eo pacem quæri prædicabant, suadebantque ejus mentionem rejiciendam, belloque manifestum hostem persequendum esse. Alii contra sentiebant, accipiendum munus (y) urbis oblatum asserentes, cum pax, quæcumque daretur, potior bello foret. Demum civitas bellis fessa, exhausta pecuniis accipiendam pacem censuit, quæ multis utrinque agitatis, tandem per Torrellum Pratensem Jurisconsultum, & Angelum Philippi filium Pandulphinum, ad id missos (z) oratores, constituta est: cui etiam

NOTÆ.

(u) Legatus, &c. Balthassar Cossa Pontifex electus.

(x) Doloque ab eo pacem quæri. ut Florentinis non adversantibus omnes vires in Pontificem, & Ludovicum Andegavensem converteret, queis subactis deinde Florentinos peteret.

(y) Munus urbis. Cortonæ.

(z) Ad id missos oratores. Neapolim pro Florentinis: Florentiam vero pro Ladislao ad pacem jungendam Eques Monacellus de Anna missus. *Ammirat. Hist. Flor. par. I. To. 2. lib. 18.*

1410 etiam Senenses accessere . Pacis conditiones plurimæ dictæ; ne fœderi quod eis cum Pontifice , & Ludovico ceterisque esset , ea pace derogaretur , utque Ladislao , aut urbem Romam , aut quicquam ex iis locis quæ citra sunt , aut certo spatio propinqua capere , & tenere minime liceret , utque res per ipsum Florentinis mari ablatae (eæ sexaginta aureorum millia conficiebant) restituerentur , Cortonaque (*a*) pro his populo Florentino traderetur , qua recepta , ac solemni more quintodecimo kalendas Februarii , decimo supra millequadringentos anno publicata pace , ad Ludovicum Regem (is Prati erat) & ad Pontificem oratores (*b*) missi , qui causas afferrent firmatae necessario pacis , adderentque nil detractum societati , quæ adhuc vigeret . Ad Ladislaum (*c*) quoque oratores , qui de concordia inter eum , & adversarios constituenda agerent , profecti . Sollicitabatur crebris oratoribus a Romanis Pontifex , ut ad urbem rediret , in qua sedes antiqua Petri haberetur ; ad hanc rem multis cohortantibus , mense Martio Romam (*d*) petiit , seque copias omnes subsequi iussit ; Ludovico vero , ut ad urbem proficisceretur persuadet : eo cum venisset cum sex equitum electorum millibus , hortante Pontifice fines Regni ingressus apud Cepparanum (*e*) confedit , expectaturus pugnandi occasionem . Ladislaus quoque cum magno exercitu in agro Casinate juxta Pontem (*f*) Corvum in extremi Regni finibus

N O T Æ .

(*a*) *Cortonaque pro his* . una cum duobus oppidis Pierli , & Mercatole , ut *Ammirat. ibid.*

(*b*) *Oratores missi* . Bartholomæus Poleschus , & Pallas Strozzius .

(*c*) *Ad Ladislaum quoque oratores* . Christophorus Spinus Eques , Joannes Seristorius Doctor , & Aloysius Pittus . *Ammir. p. I. To. 2. lib. 18.*

(*d*) *Romam petiit* . postquam ad annum Bononia moratus fuerat .

(*e*) *Cepparanum* . Oppidum , ubi limes agri Romani , aliter Patrimonii S. Petri . *Briet. Parall. Geog. p. III.*

(*f*) *Pontem Corvum* . aliter *Fregellas* , urbem olim claram Latii , nunc oppidum Campaniæ .

nibus castra posuit. Flumen duos (g) exercitus dividebat. 1411
 Ut primum tempus opportunum visum est, Pontificis (h)
 copiæ transiecto flumine Ladislaum aggrediuntur. Diutius
 magnum certamen fuit. Tandem victoria pro Ludovico
 stetit: acie victus (i) Rex mense Julio cum paucis effu-
 git, fususque, fugatusque exercitus magnaue ex parte ca-
 ptus e vestigio de industria dimittitur: fugientem cum
 paucis Regem equitum Præfetti insequi noluerunt. Hor-
 tabatur Ludovicus, cum victoria in manibus esset, ne La-
 dislao spatium se confirmandi darent: facile esse vincere
 fugientem, præsertim spoliatum exercitu, & prope solum,
 atque a suis destitutum. Sed Paulus Ursinus (l) ceterique
 equitum Ductores, qui bellum trahi, quam victoriam
 consequi malebant, & Ludovico, & ipsi Pontifici parum
 fidi, procrastinando tempus hosti dedere se colligendi,
 exercitumque instaurandi. Nulli dubium fuit, quin si vi-
 ctum persequi voluissent, aut Ladislaum (m) capi, aut
 debellari eo die potuissent. Sed præfectorum dolo vincendi
 occasio est amissa. His Pontifici relatis, cum haud igna-
 rus esset suorum culpa tantam victoriam e manibus dela-
 psam, desperansque suos meliori fore animo (quippe qui
 vinci Ladislaum nollent) cum Rege (n) pacem constituit,
 Bb ma-

N O T Æ.

(g) *Flumen duos exercitus dividebat.* Li-
 ris, Latium a Samnio, & Campania divi-
 dens.

(h) *Pontificis copia.* Sfortia Cotignola
 duce, qui primus Lirim trajecit. *Collenut.*
Hist. Neap. lib. 5.

(i) *Victus Rex cum paucis aufugit.* La-
 dislaus ad castrum *Roccaficca* non multum
 a pugnae loco distans in rupe altissima si-
 tum se recepit. *Teodoricus a Niem. in Vita*
Joannis XIII.

(l) *Ursinus ceterique equitum ductores.*
 scilicet Sfortia cum Ursino prædæ incubue-
 re: noluit enim Ursinus Ladislaum penitus

tollere: illo enim sublato, & a bello, & a
 stipendiis cessabatur.

(m) *Ladislaum capi, & debellari eo die.*
 Ipse Ladislaus dicere solitus, se primo die,
 & vita, & Regno spoliari potuisse, secun-
 do non quidem vita, sed tamen regno, ter-
 tio nec vita, nec regno. *Collenut. Hist. Neap.*
lib. 5.

(n) *Cum Rege pacem constituit.* die
 XXV. Junii. His conditionibus, ut Nea-
 politano regno potiretur: Sicilia, expulso
 Aragoniæ Rege Gregorii fautore donaretur:
 Ecclesiæ signifer designaretur, aliaque quæ
 videre erit in *Pign. Hist. Princ. Arefi. initio lib. 6.*

1412 maxime ad eam motus , ut Paulum Urfinum (o) ulcisceretur , quo victoria impedita erat : quam Rex parvo servavit tempore , & Pontifici , & Florentinis occulte hostis . Quapropter æstate (p) sequenti , magno cum exercitu iter versus Latium cepit . Erat ante Paulus Urfinus multis de causis odio Pontifici : propterea illum a se in speciem custodiendi Piceni cum suis equitibus ablegaverat , secreto Regi (q) significans gratum sibi fore , si Paulus (ut clam conventum erat) sua opera tolleretur . Id Rex pollicitus locum fraudi oblatum non prætermisit ; ea enim simulatione apertius exercitum paravit , se Picenum ostentans petiturum : & forsitan ita egisset , ut Pauli auxilio Pontificem privaret , nisi Romanorum exulum cohortatio ab ea cogitatione illum avertisset : hi frequentes secum erant , urbemque pollicentes impulerunt , ut Romam peteret . Securus sibi Johannes ob occultas conventiones a Rege videbatur fore : timebat tamen nonnihil , cum Latio appropinquantem audisset , averfa a Piceno via , quoniam sciret , expertusque esset parum ab illo fidem servari solere . Haud tamen (r) ægre ferebat vulgari famam adventare ad Urbem Ladislaum , quo facilius excusare posset moram in Germaniam pro celebrando concilio transcendendi : necessarium enim videbatur pro defendenda urbe haud procul abire : neque vero ullo pacto arbitrabatur tam facile nullo negotio , ut accidit , Ladislaum urbe potiturum . Ita cum inter spem , metumque versaretur animus

N O T Æ.

- (o) Ut Paulum Urfinum ulcisceretur . | lantho, qui Constantiam ad Concilium habendum designaverant . Cum vero ipsum facti poenitisset , metum ex Ladislai adventu simulans , Romæ se continebat , & Concilium , a quo sibi timebat , differendum iudicabat . Dan. Papebroch. in Conatu Chronic. Hist. ad Catalog. Rom. Pontif. p. II. p. 110.
- (p) Æstate sequenti . anni MCDXII.
- (q) Regi . Ladislao .
- (r) Haud tamen ægra ferebat , &c. Jam in Germaniam miserat Joannes Pontifex duos Cardinales Florentinum , & de Ce-

mus dubius, neque tam repente (f) ullas copias Ladislao 1413
 opponendi facultas esset, ille ad mœnia urbis accessit, ef-
 fractoque noctu ab exulibus (t) muro prope Capenam
 portam, itaut libere equites ingredi possent, partem co-
 piarum in urbem ire iussit. Mane capta Urbis parte, quæ
 deserta fere habitatoribus jacet, tumultuque ubique exci-
 tato, cum repellendi hostis spe destitutus esset Pontifex,
 diffusus (u) populo cum paucis (x) aufugit, seque Flo-
 rentiam (y) contulit. Ladislaus absque certamine Ro-
 mam ingreditur. Parabant se Romani ad defensionem:
 jamque ad duo millia equites ædificia ingressos; obstru-
 ctis viis, ut neque progredi neque regredi possent, cepe-
 rant: Sed audita Pontificis fuga, dimissis equitibus omni-
 que spe auxilii præcisa, se Regi permisere. Urbe potitus
 in primis Mercatores omnes Florentinos (z) per summam
 fraudem spoliavit. Nam cum illi tum mercaturas, tum
 pretiosiora quæque apud amicos in tumultu occultassent,
 ille data publica fide, quæ in perfidiam versa est, omnes
 cum suis rebus salvos fore, multis verbis hortatus unum-
 quemque, ut bono essent animo, utque deposito timore
 omni res suas ex consueto securi agerent, nil ab eo me-
 tuentes; quo factum est ut singuli sua domum referrent,
 cum tuti ab omni calamitate fide Regia interposita vide-

Bb. 2. ren-

N O T Æ.

(f) Tam repente ullas copias. Non enim
 ullum certum Capitaneum deputaverat (ait
 Theod. Niemius in Vita Joannis XXIII.)
 unde Romani, & Guriales qui occurrebant ad
 hostibus resistendum, ad lares proprios deficien-
 te duce redierunt.

(t) Ab exulibus muro. Dormientibus
 custodibus, muris perfractis, summo mane
 juxta Ecclesiam S. Crucis Urbem ingres-
 sus est. Niemius ibid. apud Rayn. To. 17. Ann.
 Eccl. Col. Agrip. p. 430.

(u) Pontifex diffusus populo. qui in contra-
 riastudia scissus erat: aliqui enim Ladislai
 partes sequebantur. stipendio obstricti.

Niem. ibid.

(x) Cum paucis aufugit. Sutrium pri-
 mo, deinde Viterbium, tum ad Faliscos,
 tum Senas migravit.

(y) Florentiam se contulit. Urbem ta-
 men non est ingressus, sed in quodam su-
 burbano Episcopi Florentini loco moratus
 est: cum enim Florentiæ alii Pontifici, alii
 Ladislao faverent, diversis partium studiis
 ne motus aliquis oriretur, metuebat. S. An-
 ton. p. III. Tit. 22. cap. 6.

(z) Omnes Florentinos, &c. spoliavit. li-
 cet, ut jam diximus, cum illis pacem fecisset.
 Vid. Collenutium Hist. Neap. lib. 5.

1414 rentur. At ille qui pluris illorum spolia, quam suam fidem faceret, in captivitatem omnes adduci, bonaque eorum diripi imperavit. Scelestum facinus, non solum nomine Regio indignum, sed Pirata etiam nequissimo, quorum est in rapinis quoque promissam fidem servare. Post fugam Pontificis omnia ferme de Romana Ecclesia, præter Bononiam, a Rege occupantur. Inde veritus ne cum Pontifice (a) nova se adversus inirentur a Florentinis fœdera, pacem denuo (b) cum eis constituit; non ea quidem mente, ut in proposito perseveraret: quippe qui dominandi studio incensus cuncta perturbaret; sed ut pacis nomine negligentiores Florentinos, imparatiorisque adoriretur. Siquidem paulo ante obitum amenti similis Florentiam sæpius appellans, Florentiam eundem esse dicebat, atque ad id reliquos hortabatur. Sed fatis volentibus, quibus hominum consilia sæpius interrumpuntur, ab armis cessatum, & pestis (c) iniqua ab Italia submota. Nam cum post factam pacem in æstatis fine Romam concessisset, in morbum (d) incidit, Neapolimque (e) triremi delatus diem suum obiit, maxima eorum, quibus formidini erat letitia, quarto, ac decimo supra mille quadringentos anno. Libera Ladislai morte ab omni bellorum metu civitas, plurimum opibus, & divitiis crevit, decem ferme annos ocio quietique dedita: Ecclesia quo-

N O T Æ.

(a) *Cum Pontifice nova inirentur a Florentinis fœdera.* Noverat enim Pontificem Sigismundi Imperatoris, Hungariæque Regis opem petiisse, cui si Florentini accederent, pessime secum actum iri conjiciebat.

(b) *Pacem denuo cum eis constituit.* die XXII. Junii in Castris prope Assisium positis, præsentente Henrico Lusignano Galliarum Principe. *Scip. Ammirat. Hist. Flor. p. I. To. 2. lib. 18.*

(c) *Pestis iniqua.* Ladislaum pestem ap-

pellat, qui in Italia non secus ac pestis grassatus fuerat.

(d) *In morbum incidit.* non Romæ, sed Perusii febre correptus fuit. *Pellinus Hist. Per. p. II. lib. 2.*

(e) *Neapolimque triremi delatus, &c.* Romam prius concessit, deinde Neapolim, Paulum Ursinum captivum ducens. Ibi autem obiit die VI. Augusti, Regni sui ann. XXIX. *Collen. Hist. Neap. lib. 5.*

quoque Romana , quæ in tres Pontifices (*f*) scissa erat , 1415
 creato Constantiæ (*g*) Germaniæ oppido Pontifice Marti-
 no Quinto Columnensi , anno decimo , & septimo post 1417.
 mille quadringentos in pristinum statum (*h*) restituta .
 Qui ad Italiam rediens , cum Florentiæ pluribus resedis-
 set mensibus , eaque mora parum Florentinis (*i*) amicus
 factus esset , Romam proficiscitur .

POG-

N O T Æ.

(*f*) *In tres Pontifices .* Gregorium , Bene-
 dictum , & Joannem .

(*g*) *Creato Constantia Pontifice .* A Con-
 cilio creatus Pontifex Octo Columna S.
 Georgii Diaconus Cardinalis , Joanne ul-
 tro dignitatem abdicante , & concilii sen-
 tentiam subscribente . *Plat. de Vit. Pontif. in*
Vita Joann. XXIV.

(*h*) *In pristinum statum est restituta .* Post
 schisma , sub Urbano VI. inceptum ann.
 MCCCCLXXVIII. & ad XL. annos pro-
 tractum , tandem anno MCDXVII. Ec-
 clesiæ pristina pax restituta est .

(*i*) *Parum Florentinis amicus factus esset .*
 Hujusce rei causa in sequenti libro habe-
 tur .

POGGII BRACCIOLINI
 FLORENTINI
 HISTORIARUM
 FLORENTINI POPULI
 LIBRI QUINTI
 EPITOME.

Fœdus cum Philippo Mediolani Duce a Florentinis fertur. Genuam ille intestinis agitatum odiis capit, bellumque in Florentinos movens eorum exercitum in Flaminia apud Zagonaram ingenti strage fundit. Venetorum auxilium Florentini sibi adjungunt, Brixiaque ductu Carminiolæ occupatur. Pax per Pontificem composita. Bellum a Vicecomite sub ipsa pacis initia renovatur; suumque ipse exercitum in Venetos Florentinosque ducit.

1418. **D**iturnam Florentini populi pacem, quæ decennio (a) ferme viguit, primum turbavit bellum, cum Philippo Duce Mediolani cœptum anno supra millesimum quadringentesimum vigesimo tertio, ita incerto gestum Marte, ut eos qui ante ferme pro victis habebantur, victoria secuta sit: Varia quippe belli diutius fortuna fuit. Id certe constat raro multis antea sæculis tanto militum numero, tot copiis, tanto apparatu, simul terra marique in Italia bellatum.

N O T Æ.

(a) Decennio ferme viguit, ab anno MCDXIII; usque ad annum MCDXXIII.

tum esse , ut paribus opibus , viribusque (hæc utrinque 1418
erant amplissimæ) neque minore odio sit certatum . Ejus
initium belli cum Ducis culpa parum (*b*) jura pacis ser-
vantis contractum fuit , tum haudquaquam adversante
Pontifice Martino , qui Florentinos non injuria exosus , opes
eorum debilitari , frangique cupiebat : quæ ut notiora
fiant , paulo videtur altius ejus origo repetenda . Recu-
perato post fratrem (*c*) interfectum Mediolano , pluri-
misque paternæ ditionis urbibus , quæ per tyrannos (*d*)
occupabantur in potestatem redactis , ampliandi imperii
cupidus Philippus animum adjecit ad oppugnandam Ge-
nuam variis factionibus (*e*) laborantem , cujus (*f*) Dux
erat Thomas Fregosus Vir prudens , magnique animi , &
ad resistendum parati . Veritus ergo a Florentinis sub-
sidia illi suppeditatum iri , omni studio cum eis pacem
quæsivit , & primo Sancti Antonii Abbatem ad tentandos
Florentinorum animos , deinde sex Oratores , qui de pa-
ce aperte inter eos firmanda (cum jam pluribus annista-
cita viguisset) tractarent , Florentiam misit . Summa postre-
mæ legationis fuit : nulli ignotum esse quantas attulerint
Italiæ clades bella , quæ inter majores suos , & Populum
Florentinum hæcenus extitissent : optare Ducem , ut ne-
dum submoverentur bellorum quæ oriri possent occasio-
nes , sed summa perpetuaque concordia inter eos statueret-
tur , omnisque armorum a quibus Ducis animus abhor-
ret

N O T Æ.

(*b*) *Parum jura pacis servantis* . Cum enim in pacis conditionibus esset , ut Florentini a Gallia , Dux ab Etruria , & Piceno abstineret , Forumlivium occupare molitus est .

(*c*) *Fratrem interfectum* . Joannem Mariam .

(*d*) *Paternæ ditionis per tyrannos occupantur* . Ut Cremona a Cavalcabove , & Laus Pompeja , cujus tyranni Joannes Vi-

gnati , & Cabrinus Fondulus interfecti . Vide Joannem Baptistam Villanovam *Hist. Laudis Pomp. lib. 3.*

(*e*) *Factionibus* . Fregosorum , & Adorniorum .

(*f*) *Dux erat Thomas Fregosus* . licet contra hunc , Ducem suum sibi exules elegissent Theramum Adornium . *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

1418 ret tolleretur suspicio. Scire se Venetos semper pacis, atque otii cupidos fuisse: Pontificis animum sibi comper- tum esse si ea pax sequeretur, quo minus universa Italia in otio esset diutius quietura: sibi mentem immemorem esse præteritorum dissidiorum, quin potius meminisse post paternam mortem, cum Gallia omnis bello flagraret (g) Florentinos, cum parvo impendio plurimum damni inferre potuissent, ab armis cessasse: hortari se eos ad sumendam eam pacem quam singuli appetere, cum omnibus esset profutura. Velle Ducem eos habere parentis loco, nec quicquam malle, quam notum omnibus gentibus esse, nihil sibi esse antiquius pacis, & quietis cupiditate: hanc se proculdubio majorum suorum ambitioni longe anteferre, quæ nihil aliud longo tempore peperisset, quam Galliæ, ac Etruriæ vastitatem; ab earum memoria abhorrere Ducis mentem testabantur, ocium, & quietem ceteris humanis præferentem rebus. Suadere Florentinis, ut eundem animum sumant, communique consilio provideant (h) Italiæ quieti: His, aliisque in eam sententiam in frequenti Senatu recitatis, fuere plurimi, & seniores (i) præsertim, qui dicerent eam pacem tanquam infidam rejiciendam esse, & id, quod postea re ipsa comperit, Legatorum verba plena insidiis videri, omniaque ad fallendum spectare: Non enim quæri a Duce sincero animo, sed simulato pacem, quo facilius Florentinorum metu vacuus queat in quos velit insurgere: meminisse Florentinorum subsidiis excitatos, adjutosque (l) contra fratrem tyrannos,

N O T Æ.

(g) Cum Gallia omnis bello flagraret. A tyrannis omnes fere urbes occupatæ fuerant.

(h) Provideant Italia quieti. Quietem Italiæ suadebat, & bellum in Genuenses moliebatur.

(i) Seniores præsertim. quorum Princeps Ginus Capponus qui hanc habuit Oratio-

nem. *Ammirat. To. 2. lib. 18.*

(l) Adjutosque contra fratrem tyrannos: Ugolinum Cavalcabovem Cremonæ Tyrannum mille ducentis equitibus adjuverant Florentini. Præterea Petro Rubeo, cujus opera Parma a Joanne Maria Duce defecerat, militibus & pecunia præsto fuerant, ut est in superiore libro.

nos, quod ne sibi quoque accideret, si quid novi tentaret, 1420
 vereretur: Nequicquam standum esse promissis ejus, qui
 fidem ex quæstu pensitaret: Ducem aliud ore loqui, aliud
 occultum animo gerere: pacem ab eo ostentari, bellum
 intus latere, cui nulla pax, sed cupiditas regnandi cordi
 esset: non quæri ab illo concordiaæ fœdus, nisi ut quibus
 dominari cuperet omni spe externi auxilii destitutos in
 servitutem trahat: optare illum sopiri pacis umbra Flo-
 rentinos, quo securius Genuenses expugnet, simul atque
 hi in potestatem redacti sint paternum dominandi ani-
 mum sumpturum: ardere illum cupidine regnandi, &
 ab eis incipere, qui essent proximiores. Quo enim jure
 Genuensibus bellum intulerit, aut qua ratione appetat alie-
 na, nisi cupiditatis impulsu? emerfuram paulo post eam
 flammam latius, quam Reipublicæ expediat, si pacis ti-
 tulo inclusus ignis nutriatur: eandem filio (m) mentem
 fore, quæ fuerat Patri: expugnatis Genuensibus (n) trans-
 laturum illum arma in Etruriam, si qua detur facultas:
 consultius videri, aut dubio, incertoque responso remitti
 Oratores, aut præsidio adesse Genuensibus, quo vicino
 bello distineatur, quam per simulatam pacem illos de-
 fertos auxilio pati: tutiora semper consilia dubiis esse præ-
 ferenda; non tantum præsentis quieti, sed futuræ quoque
 providendum esse. Alii dandam petenti pacem censebant,
 neque prætermittendam præsentem quietem futuri belli
 metu: neque vero Genuensibus in potestatem redactis Du-
 cem adeo potentem fore, ut ab eo occupandæ Etruriæ
 periculum immineat, cum omnis ejus Patria adeo diuti-

Cc nis,

N O T Æ.

(m) Filio mentem fore qua fuerat patri. |
 ut enim Galeatius, Veronæ, ac Patavii Do- |
 minis profligatis, Florentinos aggressus |
 fuerat, sic & Philippum, Genuensibus |
 subactis, in eos signa conversurum.

(n) Expugnatis Genuensibus, &c. Eodem |
 argumento Scythæ a Dario petiti (ut est |
 apud Herodotum) socios ad arma compel- |
 lunt, quod nequeat hostis victoria ferrox |
 unius gentis exitio contentus esse.

- 1418 nis, intestinilque seditionibus, & bellis vexata jaceat, ut multis annis nequeat in priores vires exurgere: posse fieri, ut vera ab Oratoribus dicerentur, neque desperandum pacis illum fœdera servaturum, cujus nomen adeo mortales alliciat, ut abominandum videatur oblatam ultro repudiare: Cum Parente bellum gessisse quondam per annos duodecim vario Marte, cujus opes, imperiumque longe, lateque etiam in Etruria diffusum erat: multo facilius filio imbecilliori admodum obsisti posse siquid insaniat: neque enim ejus res adeo secundas esse, ut multis annis imperio Etruriæ vacare queat; tempora interim consilia secum ferre. His variis orationibus agitata, seu fati volentibus, seu quia pacis nomen plurimos movebat, fœdus cum Oratoribus mense Januario undevigesimo supra
- 1419 mille quadringentos anno his conditionibus firmatum est: Ne Duci ultra Pontremolum Etruriam versus, Mutinamque arma movendi, aut ultra Crustulum (o) fluvium versus Bononiam ullas copias mittendi, urbesve, aut oppida capiendi deditaque tenendi, auxiliaque cuiquam mittendi jus esset, nulloque fœdere ad societatem cuiquam
- 1421 infra hos fines jungi posset. Pace constituta, ac solemnibus rite peractis Dux Genuam (p) longo bello, intestinilque seditionibus debilitatam anno postmodum secundo,
- 1422 ac vigesimo post mille quadringentos capit. Ægre autem tulit emptum de Genuensibus belli tempore Liburni portum, qui ditionis Pisanorum fuerat, propter (q) pecuniam illis ad usum belli datam, quam postea occasionem præ-

N O T Æ.

- (o) *Crustulum fluvium*. qui a verso e regione in Apennini jugis fonte oriundus Padum illabitur. *Blond. Flav. lib. 1. Dec. 3.*
- (p) *Dux Genuam, &c.* Genua a Thoma Fulgoso ejus Duce, qui se prius dignitate abdicaverat, Philippo tradita est, quod satius videretur, externo eam Principi concedere, quam evertendam suis exilibus relinquere. *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*
- (q) *Pecuniam illis ad usum belli datam*. Centum, & viginti aureorum millibus Liburnum emptum adnotat Foliet ibid. sed centum millibus tantum fuisse emptum kal. Jul. asserit *Ammirat. p. 1. T. 2. lib. 18. p. 991.*

prætulit pacis violandæ cupiditati . Venerat interim Flo- 1422
rentiam (r) ex Germania Martinus Pontifex , ubi plures
commoratus menses , ac publice , privatimque verborum
contumeliis (f) affectus , cum per vicos quædam in ejus
contemptum publice a pueris decantarentur , neque id
prohiberetur a Magistratibus , omnia visus est æquo ani-
mo ferre : verum altius penetrarunt verba , quam ut faci-
le obliterari possent . Erat tunc Civitas longa pace admo-
dum opulenta : opes amplissimæ : pecuniis affluebant ci-
ves supra modum elati fastu ; & ut fieri solet , ex rerum
copia orta superbia , neque Pontificem vereri , neque quem-
vis alium magni pendere sinebat , neque etiam advertere
fortunæ varias mutationes , ejusque infidam indulgentiam
raro longiorem hominibus dari , quoque magis blandia-
tur , eo plus formidandam esse illius varietatem . Quod
autem Martinum admodum offendit , favor erat Brachio
(t) Perusino bellicis artibus jam inde claro , multasque
urbes (u) Ecclesiæ occupanti , per Florentinos antea (x)
præstitus . Concordia deinde Florentinorum opera cum
Pontifice nonnullis amissis oppidis receptis , facta , ad Urbem
proficiscitur , indignatus plurimum ob verborum contu-
meliam , quam facile extinguere potuissent , non repressam .
Ægrius quoque tulit , ut eum sæpius (y) querentem audi-

C c . 2 . vimus .

N O T Æ .

(r) Florentiam ex Germania . E concilio
Constantiæ Florentiam venit die XXV.
Febr. MCDXIX.

(f) Contumeliis affectus . Ea nefaria can-
tiuncula quæ omnium in ore versabatur :
Papa Martino non valè un quattrino , qua in-
dignatus Pontifex Leonardo Aretino ejus
a Secretis , se ita facturum dixit . ut majo-
rem eum pretio dignum Florentini arbitra-
rentur . *Leon. Aret. Hist. Flor. seu sui temporis*

(t) Brachio Perusino . seu ex oppido Mon-
tonæ Perusini agri . *S. Antonin. p. III. Tit.*
22. §. 1.

(u) Urbes Ecclesiæ occupanti . Decem &

septem enumerat *Pompejus Pellinus Hist. Per.*
p. II. lib. 111. queis addenda Roma ipsa , &
Perusium a Brachio occupatum .

(x) Favor per Florentinos præstitus . Pax
scilicet Florentinorum opera cum Regina
Joanna , & Brachio confirmata , quod
plurimum Brachio aliis bellis implicito
profuit . Brachius insuper summo honore
& apparatu a Florentinis exceptus est , &
Civitate donatus . *Scip. Ammirat. p. I. To. 2.*
l. b. 8.

(y) Sæpius querentem audivimus . Nam
Poggius ejus a Secretis erat , & valde fami-
liaris .

1422 vimus, in Brachii gratiam a Florentinis spectam amicitiam,
 societatemque quam sæpius postularat, qua in re visum
 est superbe nimium suam contemni auctoritatem. Anno
 1423 postmodum Alphonfus (z) Sancti Eustachii Cardinalis Le-
 gatus ad regendam Bononiam destinatur, cujus favore
 cum Duce belli origo manavit. Is enim animadversa po-
 puli mobilitate defectionem timens, quo recentem sta-
 tum aliquo firmiori auxilio muniret, societatis fœdere
 cum Florentinis jungi postulavit. Quo ob eam rem dene-
 gato, ne qua novæ contentionis, aut belli causa orire-
 tur, Legatus eo magis futuros metuens motus, idem quod
 ille ultra accepit, a Duce petivit: qua ex re malorum
 omnium est initium profectum. Nam violata per Du-
 cem pace, cujus legibus cavebatur nominatim, ne Bono-
 niam in societatem recipere, aut aliquo fœdere cum ea
 jungi liceret, Florentini pacem ab eo non servatam per
 litteras questi sunt. Dux ad simulandum, ac dissimulan-
 dum promptus, missis Florentiam (a) Oratoribus causam
 suam ea ratione tutari conatus est, ut diceret, non ad in-
 fringendam pacem cujus esset cupidissimus, sed ad salu-
 tem Legati sibi timentis id a se factum esse, longaque ora-
 tione de suo ad servandam Florentinorum amicitiam ani-
 mo disseruere. Multis dictis, ut qui culpam excusare ne-
 quirent, abierunt. Animis dubiis, ac suspensis supervenit
 obitus Georgii Ordelaſii Forilivii tyranni, qui superstiti-
 bus filio (b) impubere, & Lucretia uxore Ludovici (c)
 Principis Imolæ filia, decessit e vita, unde discordiarum
 exordia profecta sunt. Ea parum civibus fidens propter
 Ca-

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (z) <i>Alphonſus</i> , &c. ex Castilia oriun-
dus, imo Castiliæ Regis affinis. | annum vix attingente. <i>Blond. Flav. Dec. 3.</i>
<i>lib. 1.</i> |
| (a) <i>Florentiam oratoribus</i> . quorum Prin-
ceps Thaddæus Vimercatus. | (c) <i>Ludovici Principis</i> . seu Ludovici
Aledosii Imolensis Vicarii, ut <i>Sigismun-</i>
<i>duſ Marchesius Hiſt. Foroliv. lib. 6.</i> |
| (b) <i>Filio impubere</i> . Thibaldo, decimum | |

Catharinam quæ conjugis soror fuerat, & Ghibellinæ factionis viris favebat, paterno consilio in civitate regenda utebatur, quod ægre ferens Catharina (d) suos ad novas res hortari cœpit. Lucretia cum his quos sibi fidos putarat, quo filiis caveret, societatem antea cum Florentinis initam renovavit. Reliqui civium suadente Catharina in Ducis favorem inclinarunt, qui urbis illius capiendæ oblatam spem minime repudiavit. Igitur Lucretiam primo tentat, ut abrogata Florentinorum societate sibi hæere, & fœdus inire secum vellet: auxilia insuper pro filii tutela pollicetur. Illa in societatem cum Florentinis perstans benigne respondit, si casus tulerit se opes illius imploratam: eadem & Catharinæ per (e) nuncios exponit, suadens in suam sectam vellet cedere, multoque plura ei quam Lucretiæ offert. Sata inter duas mulieres, civesque discordia, plures equitum (f) turmas in agrum Bononiensem contra pacis condiciones misit. Quod mirati admodum Florentini, & eam rem minime spernendam (ut majus incendium excitaturam) rati Legato (g) scribere: mirari se quid sibi tam subitus tot equitum adventus vellet: haud recte ab eo factum, qui Ducis equites ad perturbandum ocium in agro Bononiensi ociosos esse sine- ret: suspicari ob id aliquam occultio- rem fraudem contra se a Duce machinatam esse: rogare ut eos missos faceret, quo omnis rerum novarum suspicio, & causa abesset. Ad
ca.

N O T Æ.

(d) *Catharina*. Ordelafeæ gentis, Georgii defuncti soror, Bartholomæo Fregoso Genuensi nupta.

(e) *Catharina per nuncios exponit*. Tentatum Catharinæ animum a Philippo, ac ea adjuvante Forumlivium captum refert Poggius, & cum eo *S. Antonin. Tit. 22. cap. 8. §. 1.* cui adhæret etiam *Blondus Flav. Dec. 3. lib. 1.* Hoc tamen acriter impugnat *Scipio Ammirat. p. 1. Te. 2. lib. 18. p. 1000.* nunquam

enim nec in archivis, nec alio publico in loco se comperisse ait, huic tractatui Catharinam interfuisse, aut operam ullam præbuisse.

(f) *Plures equitum turmas*. Quadringentos equites Duce Sicco Montagnaneo Lugumittit Philippus, quod oppidum Ludovicus Cunii comes Nicolai Estensis patrocinio fultus tenebat.

(g) *Legato*. Bononiensi:

1423, ea Legatus, eos equites a se evocatos respondit, quibus ad recuperandum (*b*) Castellum Bononiense uteretur: nullum ex eo Florentinis periculum imminere. Ridiculum id, neque verisimile (cum responsum esset) videri, tantum equitatum pro tam parvula re ex Gallia excitatum, diesque palam facturos quem ii dolum secum portarent: extemplo suspicionem Nicolaus Estensis Ferrariensis Princeps auxit, qui & ipse scripsit eos equites sua causa venisse, qui paulo post Lugum oppidum Forolivii propinquum concessere. Ibi cum aliquamdiu morarentur, Dux solita calliditate, utrique & Lucretiæ, & Catharinæ seorsum scripsit, se ejus causa misisse equites, quo volenti auxilio esse possent. Lucretia in Florentinorum societate repudiato Ducis fœdere perseverat. Catharina, quique cum ea sentiebant oblatis auxiliis freti, occasione sumpta, excitatoque (*i*) tumultu a Lucretia deficiunt, captamque in custodiam tradunt, unde fugiens (*l*) Forum Popilii petit, Ducisque equites (*m*) in urbem recipiunt. Capta prodicione civium urbe, varia Florentinorum consilia agitabantur, quidam bello vindicandam tantam injuriam censebant, quidam tentanda omnia priusquam ad arma deveniretur. Violatum pacis fœdus erat, transgressique longo intervallo fines in ejus conditionibus statuti: defendendam Lucretiam omnes vociferabantur, & vim vi repellendam: tunc tandem asserentes emergere fructus pacis tantopere a Duce hæctenus petitæ. Quo autem facilius de bello si opus foret, agi posset, Decemviri

fine

N O T Æ.

(*b*) *Ad recuperandum Castellum Bononiense.* quod Fregosius ab Antonio Benti-
volio exule emerat.

(*i*) *Excitatoque tumultu.* ab Andrea
Ludovici Moratino, & Nicolao Latibolo
die IV. Maji, prima noctis vigilia, *sigism.*
March, Hist. Foroliv. lib. 6.

(*l*) *Unde fugiens.* Fenestris cubiculi,
in quo asservabatur, noctu dilapsa est una
cum Matthæo Cimatore, & Amatore de
Orciolis. *ibid.*

(*m*) *Ducisque equites.* ut supra diximus,
Sicco Montagnaneo. Ductore.

sine provocatione creantur, qui e vestigio duos equitum ¹⁴²³
 (n) Præfectos cum sexcentis equitibus ad forum Popilii ,
 ut Lucretiæ præsidio adsint , mittunt . Ne autem incon-
 sulto bellum appetere existimarentur, visum est in primis,
 & litteris , & oratoribus queri de violata pace , si quo-
 modo posset absque certamine res componi . Questi sunt
 igitur primum per litteras cum Duce, pacem ab eo in-
 interruptam esse , cum sciret fœdere se, ne id faceret pro-
 hiberi : æquum videri , ut revocaret equites , urbemque
 relinqueret quam per injuriam cepisset : deinde Ferrari-
 ensi scripsere, ut Ducem ad servanda pacis fœdera cohör-
 taretur . Ad ea rescripsit Dux, se per oratores, quos Ro-
 mam missurus esset, responsurum : unum velle eos scire,
 se pacem optare: quæ vero commissa forent, præter suam
 (o) voluntatem accidisse . Oratores cum Florentiam ve-
 nissent, multis verbis Ducem excusare conati sunt , asse-
 rentes illum omnino servaturum pacem , equites insuper
 revocaturum, ac urbem redditurum polliciti sunt , si eo-
 rum saluti, a quibus urbs tradita erat consuleretur : nol-
 le enim cives qui secum sensissent, adversæ factionis judi-
 cium arbitriumque subire . Sperare se, si qui ex primori-
 bus Mediolanum mitterentur, rem procul dubio esse con-
 venturam . His dictis cum summam spem concordiæ
 ostendissent, Romam profecti sunt . Florentini misso ad
 Pontificem oratore Marcello Strozza juris scientia claro ,
 variis Ducis fraudibus, Legatique injuriis longo ordine
 enarratis , cujus opera , & astu Forumlivii in Philippi
 potestatem, licet testantis Ferrariensis nomine eam urbem
 teneri , illo spreto venisset , cunctisque quæ per Ducem
 ad

N O T Æ.

(n) Duos equitum Præfectos . queis tamen præerat Pandolphus Malatesta , cui Imperium concessum a Florentinis fuerat die XXIII. Augusti.

(o) Præter suam voluntatem accidisse . Cul- pam enim Ferrariensi tribuebat, illius nomine paratis insidiis .

1423 ad eam diem facta erant expositis, pluribus verbis Martinum hortatus est, ut urbem de suo captam, cum tempus daretur recuperare, & e tyrannorum servitute eximere vellet; quod facile videbatur fore, si in amicitiam, societatemque coirent, illique mandaret, ut exercitum domum revocaret. Vana omnia, etsi vera afferebantur, apud exulceratum odio in Florentinos animum fuere: ut qui Philippo faveret, & illos bello vexari summopere appeteret. Excusatione itaque usus, quod intentus omni cura in bellum (p) Aquilanum contra Brachium esset, nec rebus Flaminiae vacare posset, eum missum fecit: eo tantum concesso, ut revocato Alphonso Cardinalem Senensem (q) (Pontificem maximum Eugenium nomine futurum) e Piceno, ubi Legatus erat, ad Bononiam gubernandam destinaret. Dum hæc utrinque aguntur, Ferrariensis eam urbem suæ ditionis esse palam dictitans, per Oratorem (r) Florentinis nuntiat, si paterentur Livii forum a se, aut pueri, aut suo nomine teneri, curaturum, ut copiae Ducis in Galliam redirent, quo fieret, ut omne belli semen tolleretur. Responsum est, non esse dignitatis Populi Florentini prodi statum socii, & amici, quem tueri (s) ex fœdere debeant: rectius fore, si daret operam, ut oppidum impuberi filio restitueretur: neque enim aut suæ honestatis, aut Ducis esse, aliena rapere, neque esse prudentiæ suæ velle alienam culpam in suam traducere: aperte

N O T Æ.

(p) *Bellum Aquilanum*. Duo enim, Aquilanæ ditionis oppida Brachius occupaverat, & diripienda militibus dederat exasperato in Pontificem animo. *Rayn. Ann. Eccl. To. 18.*

(q) *Cardinalem Senensem*. Gabrielem Condulmerium patria Venetum.

(r) *Per oratorem*. Joannem Strozium equestris ordinis Florentinum, quem apud se educatum & Ferrariensi civitate donave-

rat, & opibus auxerat. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 1.*

(s) *Quem tueri ex fœdere debeant*. Inito in Ladislaum Siciliae Regem fœdere, cautum in eo fuerat, ut socii invicem contra omnes sibi auxiliarentur. Moriens præterea Ordelaufus unus ex fœderatis Lucretiæ uxori præceperat, ut filium Florentinorum patrocinio commendaret.

aperte cognosci hæc omnia a Duce fallendi gratia fingi, ¹⁴²³ ut nulla in re pacem violasse videatur. His longe contraria paulo post Archiepiscopus (t) Genuensis ad urbem vadens narravit: mandatum sibi ab eo asserens, ut Florentinis referat, si quæ fecerit, Martini gratia fecisse: equites Pontifici auxilio missos urbem illius voluntate cepisse, tanquam locum idoneum, apud quem si quo proficisceretur, quietem capere, & impedimenta tuto relinquere posset. Hujusmodi artibus & aliam Dux adjecit, misso Florentiam Oratore (u) Franchino, jurisconsulto summæ auctoritatis viro, qui suis verbis diceret, se pacem omnino cum eis cupere, quacumque & Pontifex, & Veneti vellent conditione; quorum arbitrio pacis leges esset permisurus. Suasit præterea, ut oratores ad Ducem mitterent, per quos speraret proculdubio rem facile componi posse. Franchino etsi minime Senatus crederet, parumque fidei haberet, cum ejus verba ad dolum spectarent; tamen, ne pacem oblatam spernere, aut bellum exoptare existimaretur, extemplo Bartholomæum Valorium egregii animi, consiliique virum, & Nellum (x) Jurisconsultum ad Ducem mittit, qui cum Laudum pervenissent viginti millibus passuum Mediolano propinquum, Ducis jussu se adire prohibiti sunt: asserentis se, cum ex ea civitate, quæ pestilentia (y) laboraret, venirent, nisi post quadragesimum diem eos non auditurum: missurum tamen, qui cum eis suo nomine de postulatis agerent. Ad

D d quæ

N O T Æ.

(t) *Archiepiscopus Genuensis ad urbem vadens.* Petrus dictus Petrochinus Papiensis, ab Episcopatu Terdonensi ad Novariensem transit; ab hoc vero ad Genuensem Archiepiscopatum vocatus est ann. MCDXXIX. Hunc pro Mediolanensi Duce legatione apud Florentinos functum refert *Ughelius*

Ital. Sacr. To. 4. Col. 1239.

(u) *Oratore Franchino.* Castilionensi.

(x) *Nellum.* Martinum Saminiatensem Jurisconsultum.

(y) *Qua pestilentia laboraret.* Florentiæ enim quædam pestilentia signa apparuerant teste *Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 18.*

1423 quæ (z) oratores, ad Ducem se, non ad alios ire iussos respondent, neque pestem se, sed pacem secum ferre, quam si respueret armis decernendum esse. Delusi re infecta oratores retroversi civitatem summo adversus Ducis fraudes odio incenderunt: Oratio Bartholomæi præsertim dolos detegentis animos omnium commovit, qui cum de legatione sua, deque Ducis tergiversatione ad populum referret, huiusmodi habuit Orationem. *Si cum eo viro nobilissimi ciues nobis res esset, in quo aliquid certi consilii inesset, ac non in horam pro suo commodo sententiam mutaret, dicerem fortassis aliqua ex parte suorum oratorum pacem præferentium verbis credendum esse. Sed cum bellum acerrimum instet nobis ab eo, qui nulla aut jurisjurandi, aut fidei, aut fæderum jura norit, qui toties nos luserit, ac fefellerit: qui in eo ludo ab adolescentia versatus nullas, nisi decipiendi leges didicerit: non quid dicat, sed quid agat, non quid loquatur, sed quo spectet, non quid offerat, sed quid observet, est animo advertendum. Pacis fædera missis equitibus, societateque cum Alphonso Legato inita, abruptit: datam fidem solvit, jusjurandum solemne contempsit. Ea pro nihilo habuit, quæ apud alios sanctissime observantur, quibus nulla majora habentur humana vincula inter mortales. Capto Livii foro, non sua, sed aliena id factum opera simulavit: nunc culpam in Ferrariensem vertens, nunc præferens Pontificis voluntatem, quæ omnia procul a vero distant. Multis variisque verbis, ac legationibus elusi sumus, multis fraudibus appetiti, multis dolis decepti. Nos vero quos ultro sub pacis specie ad se ire (a) persuasit, qua contumelia sprevit, despe-*

N O T Æ.

(z) *Ad quæ Oratores, &c.* Tanto contemptu loquutos fuisse Oratores negat *Amiratus. ibid.* sed responsum hoc a Poggio confictum ait, ostenditque ex eo præcipue, quod oratores Taddæus Vimercatus, & Franchinus ab ipso Duce missi, pronam

Domini sui voluntatem ad pacis consilia testati fuerant, & ad calumniæ sibi intentatæ expurgationem.

(a) *Ad se ire persuasit.* per Archiepiscopum Genentem.

despexit, inauditos dimisit? Omnia profecto hujus tyranni con- 1423
silia eo pertinent, ut receptaculum propinquum habeat, quo
nobis bellum inferre, & parva impensa vires nostras debili-
tare queat. Parentis hic animum induit, & ejus vestigiis hæ-
ret, qui nos semper per pacis speciem oppressit: hæc fuit causa
querendæ quondam nobiscum pacis, ut subactis Genuensibus
liber vicinorum metu in nos arma facilius verteret. Bello hæc
immanis ambitio reprimenda est, quæ æstuat imperandi cupi-
ditate, proinde fraudes virtute sunt, & viribus superandæ;
non dolo, sed aperto Marte tam variæ insidiæ reprimendæ.
Paremus igitur quæ ad bellum gerendum spectent, ne serpens
ille nos imparatos deprehendat, & a se tanquam nullius con-
siliî homines delusos gloriatur: pacem interim si vera, non fi-
cta afferat, minime repudiemus, eo tendant consilia, atque ope-
ra nostra, ut libertatem conseruemus, ut non mouisse bel-
lum, sed motum inuiti, tractique repressisse videamur.
Hac legatione renuntiata, conspectoque Ducis ad decipi-
endum animo, & a concordia alieno, de gerendo bello
decrevere. Martinus Pontifex, qui rebus Ducis ob poten-
tiam Florentinorum timebat, & quia Brachius vir bello
egregius, & ætatis suæ Dux maximus, reique militaris
scientia omnium judicio princeps, sperabatur (id enim
pollicitus erat) cum tribus equitum millibus Florentino-
rum auxilio venturus, conspiciens majorem excitari bel-
li molem, quam quæ per Ducem ferri posset, Antonium
(b) Luscum virum prudentia, & eloquentia singulari,
Oratorem ad Ducem pro iteranda pace destinavit. At
dux consuetis usus artibus, omnem præteritorum culpam
a se rejiciendo, illamque in Ferrariensem transferendo,

Dd 2 cujus

N O T Æ.

(b) Antonium Luscum. A secretis Mar- | colloquentem fingit Poggius ipse, ubi de Rui-
tini V & Poggii collegam uti compertum | na urbis Roma. Visebamus (inquit) sæpe de-
est ex Baptista Poggio in Orat. Card. Caprani- | ferta urbis, Antonius Luscus vir clarissimus,
ca. Miscell. Ballut. To. 3. Luscum secum | egoque, &c.

1423 cujus opera urbs capta esset, omnino pacem se velle affirmavit, sed urbis reddendæ nequaquam penes se arbitrium esse. Ferrariensis, & ipse novi belli dedecus fugiens per oratorem Florentinos monet, atque obsecrat, ut pro reintegranda pace, cujus Dux cupidus esset Legatos ad se mitterent: mandata enim ab eo habere, quibus pacem aperte polliceatur, qui conditionibus antea petitis assensurum se promittat. Missis legatis Dux ceteris omissis in eo perstabat, ut qui secum sensissent, tuto, & absque noxa in urbe salvis bonis esse liceret, securique ab alterius factionis injuria forent: hoc & antea Dux Antonio pollicitus erat, quod haud inique videbatur peti. Florentini Brachii promissis multa pollicentis freti, spe victoriæ, omnes ejusmodi aspernabantur conditiones, liberum civium arbitrium Lucretiæ filioque permitti postulantes. Facile omnia convenissent, nisi cives nonnulli nimium ad arma præcipites victoriam sibi persuasissent. Ignari profecto, quam sit periculosum felicem sibi fortunam spondere. Pluribus ergo diebus variis colloctionibus nequicquam consumptis, cum ad interponendam moram ea agi viderentur, data spe frustrati Florentiam redeunt. Cum variæ excursiones, rapinæque utrinque in Flaminia fierent, Ludovicus Alidosius, neque Duci, neque Florentinis aperte favens amissa Imola captivus (c) ad Ducem perducitur. Capta est ea urbs proditione militis, qui ad hostes transiens, cum compertum haberet, quæ arcis pars haud satis firma præsidii esset, qua arte, & loco capi posset edocuit, ducemque se itineris præbuit: cumque ob aeris intemperiem, hyeme vi frigoris aqua fossæ arcem circumdantis obriguisset gelu, adeo ut iter tutum præberet aduentibus, nonnullos pedites secum cum scalis ducit, in ar-

cem-

N O T Æ.

(c) Captivus ad Ducem perducitur: a Zanone Justinopolitano circumventus.

cemque, cum somnus alte vigiles nil tale verentes oppressisset, evadit, atque obruncatis custodibus, ceteros qui in subsidiis erant dato signo mœnia scandere jubet, captaque arce cum magno numero hostes introissent, urbe noctu potiuntur. Tantam (d) calamitatem ab umbra paterna post ejus obitum multis antea annis Ludovico prædictam, tempusque urbis amittendæ, & diem designatam ferunt, ut a me in libris de varietate fortunæ pluribus describuntur. Imola amissa, iterum ad Pontificem legatio decernitur, quæ duas jam urbes suæ ditionis a Duce occupatas doceret, rogaretque denuo pro communi pace, ut urbes eas repeteret; non enim de propriis, sed Ecclesiæ oppidis certamen esse, quod iis recuperatis facile sedaretur. Ille ex veteri (e) odio cupidus Ducis augeri vires, quo Florentinorum (ut ajebat) superbia reprimeretur, cum sua consuetudine non esse id sibi integrum propter (f) Brachii bellum respondisset, satisfecisse tamen quoad potuerit eorum precibus, cum Legatum (g) illis longe acceptissimum Bononiam miserit, in incepto perstabat: paulo post tamen Ducis precibus victus, qui Legatum nimis faventem (h) Florentinis apud volentem incusabat, hominem removit, & Archiepiscopum (i) Arelatensem Ludovicum (qui postea Cardinalis ab eo est factus) urbi præfecit. Diversis

N O T Æ.

(d) *Tantam calamitatem ab umbra paterna, &c.* Quin imo dum anteriori ad eam calamitatem die librum evolveret a Patre scriptum, in eam incidisse paginam in qua ejus exitium describatur, narrat *Blondus sine Dec. 3.* quod tamen haud fide dignum puto.

(e) *Ex veteri odio.* Quod Florentini Brachio favissent, sibi que injurii fuissent, dum Florentiæ morabatur, ut jam dictum est.

(f) *Propter Brachii bellum.* Studium nempe liberandi Neapolitani Regni, & recuperandi Patrimonii S. Petri a Brachio occu-

pati vires Pontificias exercebat. Vid. *Pezlinum Hist. Perus. lib. 1. p. 11.*

(g) *Legatum longe illis acceptissimum.* Gabrielem Condulmerium Cardinalem remoto Alphonso Cardinali S. Eustachii, quem ut sibi adversum accusaverant Florentini.

(h) *Legatum nimis faventem Florentinis.* Inscio Pontificæ foedus inierat cum Florentinis Legatus. Nam Imolæ & Forilivii occupatione territus Bononiæ timere ceperat. *Girard. Hist. Bonon. lib. 29. & Sigonius Hist. Episcop. Bonon. lib. 3.*

(i) *Archiepiscopum Arelatensem Ludovicum.* de Alamanis Sabaudiensem.

1424 versis in locis dum hæc aguntur, Florentini desperata tantopere quæsitâ pace, ad bellum gerendum conversi, potestatem Decemviris ejus administrandi pro Reipublicæ salute permisere. Multa interim inter cives variis sententiis jactabantur: aserebant ex primoribus plurimi, necessarium ad tuendam libertatem videri bellum suscipi adversus Ducem, cum levis, aut nulla potius fides in eo esset habenda, quam tam aperte sæpius irritam fecisset. Captam contra fœdus urbem sociam, atque vicinam, & dum se pacis cupidum ostentat, quo remissiores eorum animos reddat, proditione Imolam suo imperio adjecisse: proclivem esse eum ad dejerandum, qui tam parvi faceret jurisjurandi auctoritatem. Plena dedecore solere videri principia delinquendi; cum vero labi semel cœperis facilem cursum ad nequitiam dari: deterius videri tot (l) legationes illusas, tot verba dolis absumpta, quam abruptam fidem: retinere Ducem paternum odium adversus Florentinam libertatem: simulasse illum se pacis cupidum, quo vires amissas instauraret: postea similem sui evasisse: renovare illum cœpisse odia cum progenitoribus habita, & majoribus viribus majores inimicitias exercere: compescendam dominandi libidinem jam surgentem: obstandum principiis esse: facilius enim nascenti malo obviam iri posse, quam corroborato: nullo pacto tolerandam tanti (m) hostis propinquitatem: quæcumque ab eo ad eam diem sint dicta eo spectare, ut tanquam coniventes, ac dormientes Florentinos facilius queat fallere. Non litteras, non oratores, non suasores, non querelas ullius momenti apud illum fuisse, sed in dies nova para-

ri

N O T Æ.

(l) Tot legationes illusas. præsertim cum Bartholomæum Valorium, & Nellum Florentinorum legatos se adire non passus est, pestis suspitione dolum tegens.

(m) Tanti hostis propinquitatem. Urbibus enim paullo ante occupatis, Forolivii, & Imola, propinquior Florentinis factus erat.

ri tendicula, quibus Respublica Florentina suis laqueis in- 1424
necti queat : parandas e vestigio copias esse, in Flami-
niamque mittendas, quibus mordacis serpentis astus in-
cassum evadant. At vero nonnulli ex senioribus qui pa-
cem malebant, maturius consulendum censebant, mini-
meque inutilem dicebant, aut perniciosam parvi tempo-
ris moram videri, si consilio regatur, cui nil tam adver-
sum habeatur, quam festinatio. Ducem aperte profiteri
pacem cupere se, Pontificisque (n) decreto pariturum :
quod equites sui egissent corrigi, emendarique posse, cum
se incio dicat eos auxilium deprecantibus tulisse. Expe-
ctandum igitur paulum, si quo modo locus daretur refar-
ciendæ pacis. Legationibus mittendis, objiciendis, pur-
gandisque criminibus circumactò fere anno, cum Ducis
equites horrentis pacem Flaminiam vastarent, Decemviri,
qui prioribus suspecti erant, decreto bello Pandulphum (o)
Malatestam, Ursum (p) Ursinum, Ludovicum (q) O-
bitium Lucensem, Nicolaum Tolentinam, Ardicionem
(r) Carrariensem, pluresque (s) præterea Præfectos rei
militaris peritos, cum sex equitum, peditum vero tribus
millibus mercede conducunt, Ducemque belli Carolum
Malatestam, virum bello, & pace insignem declarant,
qui coactò in unum exercitu castra prope Livii forum me-
tatus est, si qua occasio per seditionem se offerret urbis
reci-

N O T Æ.

(n) Pontificisque decreto pariturum. Pon-
tificem Florentinis infensum noverat, ideo
illius arbitrio se suaque committebat.

(o) Pandulphum Malatestam. Caroli
Ariminensis Principis fratrem.

(p) Ursum Ursinum. a Monterotundo.

(q) Ludovicum Obitium. Lucensem ap-
pellat Poggius Ludovicum, quia a Luca
oriundum, quæ ejus majores a Gibellina
factione expulsi Pratum venire post annum
MCCC. Civitate vero Pratensi, & hono-
ribus præcipuis donati sunt, ut ter Priores

urbis fuerint renunciati, ut videre est in eo-
rum stemmate quod mihi communicavit
Clar. Vir Abb. Joann. Baptista Casorus, qui
hæc etiam in sua quam elaborat Prati histo-
ria fusius adnotabit.

(r) Ardicionem Carrariensem. a Brachio
una cum ducentis equitibus Florentinorum
auxilio missum.

(s) Plures præterea Præfectos. Rannuc-
cium scilicet Farnesium, & Christopho-
rum Lavellum. *Ammir. To. 2. lib. 18. p. 1010.*

1424 recipiendæ. Castella quoque (r) aliqua expugnavit: prædæ parum fuit, cum omnia pecora, agrestesque in urbem comportatis eorum rebus refugissent. Summum erat Decemvirum studium in exercitu comparando, quo superior Philippi copiis esset. Sed non minor inerat cura, ut favore exulum Genuensium urbem tam validam amitteret: quorum exhortationibus adducti, triremes quatuor, & viginti sub Henrico Alphonsi Regis Aragonum fratre, Lucæ Albitii Masi equitis filii opera, comparant, quæ portum ingressæ, si qui tumultus in urbe civium factione orirentur, nihil profecere: Plus etenim apud illos odium (u) in Catalanos, naturali, & insita inimicitia, æternoque pene hosti valuit, quam exulum benevolentia, quæ haud dubie res in urbe novari coegisset, illosque admisisset, si aliis auxiliis innixi reditum procurassent. Thomas enim Fregosius haud multo ante tempore Dux patriæ una cum (x) ejectis, cum ad mœnia accessisset, civesque ad liberandam servitute urbem hortaretur, affirmaretque si præsentem occasionem amitterent, frustra eos postmodum Deorum auxilia imploratos, tentatis frustra omnibus, capto (y) Delphini portu, quod reliquum æstatis erat oram utramque maritimam frequentibus incursionibus infestam reddiderunt. Carolus interea cum Forumlivii obsideret, cives ægre passi vastari late agros,

N O T Æ.

(r) *Castella quoque aliqua*, ut Sadoranum, & Flumanum. *Marchesius Hist. Foroliv. lib. 6. p. 364.*

(u) *Odium in Catalanos*. Ab anno MCCXCI. ad hæc usque tempora non intermissum. Odii origo non aliunde est, quam ab auxilio Pisanis occulte in Genuenses præstito. Bellum ex Genuensi navi a Catalanis capta initium habuit. Renovatum odii, & belli causa est propter Ligusticam oram a Petro Aragonensi Rege, qui Sicilia

potitus erat, devastatam. Quod ut ulciscerentur Genuenses Catalauniæ oram ipsi quoque Duce Antonio Grimaldo sunt populati, & apud Baleares cum hostibus congressi eos fuderunt. *Foliet. lib. 5. & 6.*

(x) *Una cum ejectis*. quos inter Nicolaus, & Joannes Ludovicus ex Flisicorum gente.

(y) *Capto Delphini portu*. nec non Segesto, & Monelia oppidis in Orientali ora sitis.

agros, seque intra mœnia clausos teneri, majora subsidia 1424
ad se tuendos (nam ad eam diem sexcenti (*z*) tantum
equites urbis subsidio aderant) a Duce petunt. Missi ex-
templo equitum quatuor millia, Angelo Pergulensi Du-
ce: qui copiis omnibus in unum coactis Zagonaræ oppi-
dum, quod Comes (*a*) Albericus tenebat fœdere cum
Lucretia vinctus, obsedit, sibi que quo tutius ad urbem pa-
teret iter, expugnandum statuit: castris juxta positis, ac
fossa circumducta summa illud vi oppugnare adoritur.
Albericus diutius oppidum tueri a se posse adversus tot
copias diffusus, Caroli opem ad tollendam obsidionem im-
ploravit: qui multum ad belli famam conferre arbitra-
tus, eam obsidionem sua opera tolli, vesperi cum omni-
bus copiis castra movit. Sed e vestigio iter ingressis tanta
vis aquæ cœlo die noctuque missa est, eæque noctis tene-
bræ incubuere, ut summo cum labore decem millia pas-
suum conficerent: plures aqua redundantes itinere fatiga-
ti in via constitere: alii per ignotas semitas delati longius
procul a sociis aberrarunt. Tandem cum paulo post (*b*)
exortum Solem in conspectum hostium ventum esset,
subito in aciem nullo adhibito ordine descenderunt. Nam
cum major pars quidam firmandis castris, alii sumendo
cibo, & quiete fessis danda occupati essent, reliqui, &
in his Arditio nulla sumpta quiete, neque curatis corpo-
ribus repentino impetu in hostes irruerunt, eis que fuga
dissipatis ad prædam relicto hoste conversi sunt, spatio-
que illi se a fuga colligendi, inque prælium redeundi dato,
agmine facto victores spoliis intentos aggreditur. Quibus
superatis, & alii subinde equites auxilio suis antea fugien-
tibus occurrunt. Haud dubium est Carolum victoria po-

E c titu-

N O T Æ.

(*z*) *Sexcenti*, &c. Sicco Montagnaneo
ut diximus Ductore.

(*a*) *Comes Albericus*, de Cunneo.

(*b*) *Post exortum solem*, Die XXIV,
Julii.

1424 titurum fuisse, si ceteri Præfecti priorum impetum secuti essent: sed dum cunctantur, dum imperium Ducis expectant, ab hostibus profligati terga vertunt. Æquo Marte aliquandiu pugnatum est. Demum Florentini, tum itineris nocturni labore, tum certamine, limoque terræ (omnia enim imber occupaverat) viribus exhausti superantur, & hostis prius ad locum ubi Carolus erat pervenit, quam ille suos fugatos animadvertisset: cujus prudentia admodum desiderata est, cum neque loco, neque tempore rem fortunæ commisisset. Plures, inter quos ipse Carolus (c) capiuntur; multi salutem fuga sibi paraverunt. Ursus (d), ac Ludovicus eo in prælio occubuerunt. Pandolphus Ravennam, Tolentinas Cæsenam deferuntur, reliqui in hostium potestatem devenerunt. Ea victoria elatus Angelus (e) Cæsenam, Ariminumque petens, multis in ea regione oppidis, & castellis receptis, Ariminum haud dubie cepisset, nisi Philippus (f) id prohibuisset. Nam, ut Carolus est ad eum deductus, non pro captivo, aut hoste habuit, sed ut tutorem sibi, fratrique a Patre relictum veneratus est. Abire illum primo quo vellet, venarique, quo exercitio admodum delectabatur, permittens haud multo post variis decoratum donis in patriam remisit. Fuit Carolus (g) vir, tum belli, tum pacis artibus egregius, & priscis illis majoribus meo iudicio comparandus: maxima in eo erat auctoritas, tum plurimis virtutibus, tum morum optimorum gravitate contracta: Studiis præterea litterarum deditissimus, & disse-

rendi

N O T Æ.

(c) *Carolus capitur*. ab equo pugnando dejectus.

(d) *Ursus*. Ursinus in aquæ pluvialis stagno demersus, & Ludovicus Obicius occisus. *Ammirat. lib. 18.*

(e) *Angelus*. Pergulensis.

(f) *Philippus*. Carolum Malatestam ca-

ptivum benigne excepit, deinde honoribus cumulatum liberumque dimisit.

(g) *Fuit Carolus*, &c. Ejus elogium videre est in *Hist. Ariminensi Cas. Clementini lib. 8. p. 223.* & in *Blondo Flavio Dec. 3. init. lib. 2.*

rendi cum viris doctrina, & ingenio præstantibus, qui- 1424
 bus admodum utebatur cupidus. Fortuna tantum in bello,
 & felicitas pugnandi defuit, quæ prima in Imperatoribus
 requiruntur. Tanti (b) exercitus clade, quæ anno
 quarto, & vigesimo supra mille quadringentos accepta
 est, Decemviri novis comparandis copiis omni studio in-
 tenti Oddonem Brachii (i) apud Aquilam commisso præ-
 lio interfecti filium adolescentem cum exercitus paterni
 reliquiis, qui equites ad mille ducentos erant, condu-
 cunt: cumque Præfecti munia nequaquam obire per æta-
 tem posset, Nicolaum Piccininum alæ equitum sub patre
 Præfectum, cujus consilio in rebus gerendis uteretur ei
 attribuunt: qui cum in Etruriam venisset, in Valle Lamo-
 nis incursione facta ab agrestibus, ac Montanis ita inter-
 clusus, ut neque regredi, neque progredi posset, pugnan-
 do interficitur; reliquis aut captis, aut dissipatis Nicolaus
 (l) Faventiam captivus perducitur, quam Guidantoni-
 us Manfredus Mediolanensis in eo bello partes secutus rege-
 bat. Eum Nicolaus, qui in libera custodia erat hortari,
 ac monere non destitit, ut Florentinis potius propinquis,
 quorum opera promptiori ad se juvandum uti posset,
 quam longe absenti, cujus auxilia in adversis tardiora fu-
 tura essent, faveret: majoris enim pendendum esse propin-
 qui hostis metum, quam spem auxilii procul remoti. Ac-

E e 2. cefse.

N O T Æ.

(b) Tanti exercitus clade. Florentinos exercitu, & ducibus spoliatos subigere facile potuisset Philippus, si arce Mediolanensi, ubi morabatur, egressus rei bene gerendæ occasionem non amisisset. ut Flav. Dec. 3. lib. 2.

(i) Brachii apud Aquilam interfecti. cum mentitis vestibis, ne ab hostibus in se unum tendentibus agnosceretur, pugnaret. a Perusinis exulibus quos urbe ejecerat agnitus. occisus fuit. Leon. Aret. Hist. Ital. rer. Sum-

mont. lib. 4. cap. 3. Corius verop. IV. refert Brachium ad deditiorem invitatum a quodam Fulginato, & ab eo, cum se dedere noluisset, occisum. Hujus elogium habetur in Dialogo Benedicti Accolti Aretini de Præstantia Virorum sui ævi. Parma p. 25.

(l) Nicolaus Faventiam captivus, &c. una cum Francisco ejus filio, Matthæo Castellano Florentinorum Commissario, & Comite Nicolao Ursino. Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 39.

1424 ceserat antea Guidantonus Mediolanum , ut Carolum (*m*) Avunculum bello captum salutaret , videretque : ubi in multorum præstantium virorum cœtu cum de rebus in Flaminia gestis sermo exortus coram Duce esset , ac Guidantonus partam victoriam laudibus tolleret , sibi que ex ea non nihil gloriæ vindicaret , castigatus est acriter verbis a Carolo , asserente illum stulte nimium fecisse , qui Ducis amicitiam ab se longinqui , & a quo nihil unquam beneficii percepisset , Florentinis proximis , quorum Respublica (*n*) diuturnior esset futura , & a quibus in suos nonnulla extarent merita , prætulisset . Quæ verba cum penitus pectori hæsisent , facile apud eum coaluere . Accessit ad flectendum animum , quod ingentia Ducis promissa nullo in loco apparebant , & Decemviri , tum pecuniis , tum pollicitationibus impulerunt , ut meliora consilia secutus descisceret ad tutandam Rempublicam Florentinam , quæ maxime eo bello opera illius sustentata est , ac defensa : omnis enim ferme belli moles in Faventinos conversa est , & Duce defectionis injuriam ulcisci quærente , & Florentinis pro illius urbis salute , tanquam pro communi patria pugnantibus . Nicolaus quoque dimissus , copiarum omnium , quæ sub Oddone militaverant Dux (*o*) declaratus . Post acceptam calamitatem , pluraque amissa castella Renaldus Albitius , Veriusque Guadagnius oratores ad Pontificem decernuntur , qui petant , ut Urbes per Ducem captas , etiam se adiutoribus recuperaret : sublatas esse defuncto Brachio quas antea retulisset difficultates : facillimum fore , si animum intendat , Ducis copias Flaminia pelli ,

N O T Æ .

(*m*) *Carolus avunculus* . Ex sorore nepos Caroli Guidantonus .

(*n*) *Quorum Respublica* . Reipublicæ vita , quam Regum diuturnior .

(*o*) *Dux declaratus* . Nonnulli Nico-

lao Piccinino Oddonis tribuunt , qui eum e medio tollere sit molitus , ut summam imperii auctoritatem sibi deferendam curaret . Vid. *Ammirat. p.1. To.2. lib.19.*

pelli, eamque restitui in Ecclesiæ ditionem posse. Que- 1424
 rerentur quoque nimios favores per Legatum Bononien-
 sem contra Florentinos hostibus suis impendi, quibus ar-
 ma, equi, vestes, commeatus, liberum iter subministraretur,
 suis vero his omnibus interdici, plusque odii ab eo in se,
 quam ab adversariis ostentari. Periniquum videri tantas
 suppeditari opes illi, cujus Pater, avus, Patruus, majores
 omnes semper hostes se Romanorum Pontificum præbuis-
 sent, eorumque (p) imperium occupassent: oppugnari
 autem eos, qui omni ope Sacrosanctam Romanam Eccle-
 siam defendissent, quarum rerum recens (q) adhuc ex-
 taret memoria: rogare Pontificem, ut illi mandet, si aut
 nequeat, aut nolit Florentinis adesse, saltem ab injuria
 abstineat: postulare Pontificis dignitatem, ut se æquum
 judicem nulli faventem parti inter armis decernentes præ-
 beat, quamquam æquius videretur, & Pontificis officio
 dignius his favere, qui pro restitutione rerum suarum sum-
 sissent arma, quam cum eo sentire, qui bona Ecclesiæ
 usurpasset. Hæc quoque Legatio a Martino contenta est,
 asserente quamvis Brachius sublatus esset, ut Perusium ta-
 men, ceterasque Urbes Romæ propinquas quas ille inique
 possedisset, recuperaret, curam rebus cæteris præferre; quod
 ad Legatum vero attineret, displicere sibi, ait, si in partem
 Ducis declinaret: scripturum se tamen, ut neutri faveat
 parti; quo responso perspectum est, cupere Martinum bel-
 lum protrahi, & in eo Ducem superiorem esse. Alii sub-
 inde legati Venetias missi, Pallas Strozzius eques, & Jo-
 hannes Medices, qui dolos (r), & fraudes Ducis in vio-
 lan-

N O T Æ.

(p) Eorumque imperium occupassent. Bo-
 nonia præcipue ab Archiepiscopo pri-
 mum, deinde a Galeatio occupata.

(q) Recens adhuc extaret memoria. Pisis
 enim concilium ad schisma tollendum ha-
 beri siverunt, & in Ladislaum pro Pontifi-

ce arma sumpsissent.

(r) Dolos & fraudes Ducis, &c. Suis in
 Orationibus contra Ducem, exordium ab
 ejus fraudibus & dolis sumit, ut auditorum
 animos in ejus odium commoveat; & ab
 iis, quæ velit, facile exprimat.

1424. landis pacis foederibus, exponerent, cum per varias simulationes, dissimulationesque duas Ecclesiæ urbes ceperit, multaque præterea sociorum suorum oppida, quo ex propinquis locis Florentinos invaderet: pacem a suis dictitari, non depositurum arma Ducem, quoad paterni imperii in Etruria urbes, & loca recuperarit, quæ omnia partim Pontifici, partim populo Florentino parerent. Cogitarent (*f*), consultarentque quid agendum foret: non esse tutum (*t*) augeri potentiam Ducis varia versantis animo, & a fortunæ (*u*) beneficio animum sumentis: reprimendum videri furentis ambitiosi impetum, cui nec sua, nec aliena satis videantur. Illum verbis offerre pacem, re bellum gerere acerrimum: non positurum cupiditatem dominandi, si Tusciam subegerit, sed majora, ut est captus hominum, animo versaturum, quo Genuam omni auxilio derelictam expugnaret: fecisse postea cum eis ad decennium pacem, quo securus a Venetis, Florentinos debellaret: eos si sibi obedientes fecerit, Venetos proculdubio appetiturum, quo paternas (*x*) urbes recipiat. Ideo cum sint prudentissimi futuræ tempestati, dum tempus detur, providendum videri. Salubre esse obviam (*y*) ire futuris periculis, & præoccupare venturæ tempestatis damna: aut enim pace quieti Italiæ consulendum esse, aut bello.

N O T Æ.

(*f*) *Cogitarent*, &c. a sui periculi consideratione.

(*t*) *Non esse tutum augeri potentiam ducis.* Imitatur Poggius *Xenophontem* lib. 5. ubi Cligenes Orator Græcos omnes in Olympiis movere studens ait: ἐγνοήσατε ὅτι καὶ τότε, πῶς εἰκὸς ὑμᾶς, πολὺ μείζονος ἀδριζομένης δυνάμεως μὴ ἀμελήσαι, καὶ ταύτης ἢ κατὰ γλῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ κατὰ δάλατταν ἰσχυρᾶς γενομένης. Hoc est non esse sana rationis, cum longe major potentia in unum coalescit: & maxime terra-marique confirmatur, eam negligere, ac minime curare.

(*u*) *A Fortunæ beneficio animum sumentis.*

Sic *Xenophon. ibid.* καὶ γὰρ ἴσως ὁ Θεὸς ἐποίησεν ἅμα πρὸ δύνασθαι, καὶ τὰ φρονήματα αὐξέσθαι τῶν ἀνθρώπων. Nempe *Deus scilicet effecit quod una cum potentia hominum animi crescant.*

(*x*) *Paternas urbes.* Veronam, & Vincentiam, quas Galætius moriens Joanni Mariæ testamento reliquerat.

(*y*) *Obviam ire futuris periculis.* Potiusque anticipare, quam expectare insidias, ut *Thucydides* lib. 1. in *Oratione Corcyreorum ad Ath.* καὶ προεπιβλεῦεν αὐτοῖς μάλλον, ἢ ἀντεπιβλεῦεν.

bello insanam temeritatem contundendam . Se quidem 1424
optare pacem , quam si Dux respuat , armis decernendum fore potiusquam serviendum . Responsum est , Oratores (z) se , qui de pace agerent ad Ducem missuros , qui cum ad eum venissent verba ambigua , & dolis plena retulerunt . Ad Sigismundum quoque Imperatorem Legati profecti , qui injurias erga se Ducis narrarent , hortarenturque ad coronam in urbe capiendam . Ad eam rem , & pecuniam in sumptus , & milites pollicerentur . Dum hæc a Pontifice , & a Venetis postulatur , Pergulensis partitis copiis in agrum Florentinum ingressus , Porticum oppidum a se captum diripit . Doadola deinde , Cassianoque , & compluribus castellis Flaminia in potestatem redactis Castrocarum obsedit : reliqui in vallem Balneam descendentes , cum quædam castella se illis dedissent , omnia rapinis , incendiis , spoliis , cæde nullo sexus discrimine fœdarunt . Arcem Gorzani , ad quam cum omni supellectili pretiosiori , Gherardus (a) Gambacurta ejus Oræ Princeps confugerat , diutius oppugnatam desperata victoria relinquere : obsidio quoque Castricari adveniente hyeme omissa est . His actis Pergulensis , dimissis in hiberna militibus accersitus ad Ducem abiit . Florentini augendis copiis intenti Berardinum Ubaldinum , virum armis nobilem in eorum præsidium cum duabus turmis equitum exciverunt , qui Decemvirum jussu Faventiam profectus est . Philippus interim , ut novo bello Florentinos distineret , in Etruriam ad Caroli Malatestæ oppidum , quod Burgum sepulchri vocant , eos equites quos Angelus habuerat ,

N O T Æ.

(z) Oratores &c. ad Ducem missuros . Ob hanc rem plures enumerat oratores ad Philippum a Venetis missos Petrus Justinianus *Hist. Ven. lib. 6.* hoc est Andreæ Contarenum , Laurentium Bragadenum , & Nicolaum Maripetrum . Nova quin etiam Legatio per Petrum Corrarium eloquentissimum virum missa .

(a) Gherardus Gambacurta . aurum omne ex Pisarum venditione a Florentinis exactum una cum supellectile illuc adduxerat .

- 1424 rat, pluresque præterea misit, quibus Guidonem præfecit Torellum, ut agrum Aretinum, vicinaque oppida infesta bello redderet. Franciscum vero Sfortiam, quem patre defuncto Pontificis (b) opera cum duobus equitum milibus conduxerat, in Faventinos ire jussit, quo duplici bello hostium distractæ copię suis impares robore essent. Ad ejus regionis tutelam, ne destituta præsidio videretur destinatus Ubaldinus, plurimis levibus præliis cum hoste commissis, demum Torelli astu in insidias (c) pugnando deductus, cum diu summis utrinque viribus certatum esset, tandem numero, & viribus impar hoste superante capitur: multi eo prælio ceciderunt: pluribus captis, pauci fuga evasere. Non minor hæc, quam apud Zagonaram adverso tempore accepta plaga multorum animos terruit, cum omnis ea ora ad victoriam Ducis mentem flexerit.
- 1425 Is qui secutus est annus, qui fuit quintus, & vigesimus supra mille quadringentos, difficilis sane, formidolosusque Florentinis fuit. Nam & plura (d) Aretini agri castella ad hostem defecere, & Nicolai Piccinini ad Ducem transitus rem Florentinorum admodum debilitavit. Cum enim Nicolaus Tolentinas subsidio Aretinis missus esset, Piccininus quoque eo cum suis copiis ex Flaminia ire jussus, iter per superiorem Arnun præmissis equitibus fecisset, exploratis & situ, & munitionibus oppidi, cum in Aretinum agrum venisset, relictis Florentinis Torello hæsit, sive majoris spe præmii, sive (ut ipse asseruit) Decemvirum multa pollicentium, parva servantium injuriis impul-

N O T Æ.

- (b) Pontificis opera. licet a Florentinis duplex oblatum foret stipendium. *Cor. p. V.*
- (c) In insidias pugnando deductus. apud Anglarium fugam simulantes hostes Ubaldinum in insidias deduxere, ibique ex latibus prodiens Guido Torrellus incautum oppressit.
- (d) Plura Aretini agri castella. Adversus hujus prælii fama Tifernates, & Petramalenses ad defectionem excitavit. De Aretio, & Cortona actum quoque fuisset, ni Piccinini illic commorantis opera in fide mansissent. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 2. Cor. p. V.*

impulsus. Tanti ducis transiitione , quam falso Faventia¹⁴²⁵ inter eum , & Philippum firmatam quidam auctores sunt , maxime Florentini sunt consternati , cum suæ vires diminutæ , & hostis auctæ essent : neque enim dubium erat , quin si Torellus Piccinini consilium secutus esset , magnam calamitatem Florentina Respublica acceptura fuisset : hortabatur namque hominem , cujus suprema in ea regione potestas erat , ut e vestigio in Vallem Arni oppidis referam , mediamque Aretium inter , & Florentiam descenderet ; profligato enim Ubaldino , nullum præsidium hostibus in his locis esse ; facile fore , ut omnibus ejus regionis oppidis potirentur . Sperare se primo impetu cuncta consternata metu , suisque auxiliis diffidentia in potestatem ventura ; quod si accideret , seclusa a præsidio Florentinorum Aretina civitas , omnique spe destituta ad Ducem deficeret : Cortonam quoque Aretinorum exemplum secuturam . Et haud dubium , si ejus consilio Torellus steterisset , magnum rerum motum in eis locis fuisse futurum , territis præsertim omnibus , & ad resistendum repentino hosti imparatis . Sed dux cautus , necdum satis fortunæ fidens , incertæ spei tutius consilium prætulit . Itaque in eisdem locis captis pluribus castellis , tota hieme est commoratus . Dum hæc inter spem metumque agitantur , tres a Florentinis oratores ad Pontificem mittuntur , Renaldus Albitius , Nellus jureconsultus , Angelus Philippi filius Pandulphinus , oratum ut pacem inter se , & hostem pro Italia salute componeret . Hi multis verbis ad ejus officium , dignitatemque , cum Pater esset communis omnium Christianorum , spectare affirmabant , primum tutari civitates , & provincias Romanæ Ecclesiæ subjectas , easque a tyrannis eruere ; deinde auctorem , & arbitrum esse pacis , cum sciret qui fructus ex bellis prodeant , & martem esse communem , sæpiusque eos , qui primo vicissent , mutata

1425 postmodum fortuna victos succubuisse : debilitatam esse multorum (e) prodicione suam Rempublicam , sed adhuc multum superesse virtutis , & virium , & pecuniarum , quibus exterorum , si sua deessent , auxilia implorarent . Missus insuper Venetias Laurentius Rodolphus , omnis divini humanique juris peritus , ac magnæ in Republica auctoritatis , qui eos ad societatem , & commune fœdus contra potentiam tyranni hortaretur , quem doceret non esse eo animo , ut rebus suis , & parta de se victoria acquiescat : raptum illum dominandi cupiditate ad violandam contractam secum pacem ; simul ac Florentinos debellasset (f) , arma adversus Venetos moturum . Destinasse illum sibi Italiæ imperium , quod ut facilius consequi posset , Genuenses primum subegisse , quo par eis classe maritima esset : plures insuper urbes paternæ ditionis , quæ defecissent , in potestatem redegegisse . Appetisse deinde debiliorem partem , ut ea victa validiores aggrediretur . Ideo illum societatem cum Venetis exoptasse , quo Florentinos , si adversus eos arma movisset , destituerent : sed tanti facturum Venetorum fœdus , quanti fecerit Florentinorum : nullam fidem habendam esse verbis , aut promissis ejus , qui tam aperte se contra pacis condiciones fefellisset . Proinde dum Florentinis adhuc vires suppeterent , id susciperent bellum , quo summa gloria , ingentes opes , magnum imperium illis pararetur . Veneti , etsi vera quæ dicerentur videbantur , tamen ex Senatus auctoritate respondent :
anti-

N O T Æ :

(e) *Multorum prodicione* . nempe Comitibus Alberici , Christophori Avellii , Aetii de Comitibus de Romena , Guelphi Comitibus de Doadola , Antonii Francisci de Pontadera , & Nicolai Piccinini , qui omnes in prætorio palatio proditorum more pede suspensi depicti fuerunt . *Scip. Ammir. p. I. T. 2. lib. 19.*

(f) *Ac debellasset , arma adversus Venetos moturum* . Eodem argumento utuntur Corycæi , apud *Thucydidem lib. 1.* ut Athenienses adversus Corinthios moveant , sibi que belli societate jungant . imo eisdem pene verbis . καὶ προκαταλαμβάνοντας ἡμῶν νῦν , ἐς πλὴν ὑμετέραν ἐπιχείρησιν .

antiquam Philippi amicitiam (g), societatemque obsta- 1425
re, quo minus fœdere jungantur: oratores tamen ad eum
se missuros ex principibus civitatis, qui eum ad pacem
hortentur, moneantque, ut ab armis desistere velit, ne
quod jure nequit, vi & injuria asequi velle videatur. Le-
gati Mediolanum profecti, ut renuntiarent Ducem ver-
bis rem protrahere, & diem ex die ducere, aliudque (h)
hominem quam lingua ostentaret, pectore versare, ex-
templo nonnulla incessit suspitio, ne parva victoria, quam
animo conceperat, omnis belli moles in se converteretur.
Suspensos itaque consilii, & incertos animos erexere ver-
ba Francisci Carminiolæ, qui invidia, communi regno-
rum malo, maximis rebus gestis extra Ducis fines profu-
gerat. Is cum omnia Ducis consilia calleret, affirmavit
proculdubio illius esse animum, ut subactis (i) Floren-
tinis ad Venetos transferret arma, multisque verbis per-
suasit, ut dum facile illius consiliis obviam iri posset, cu-
ram libertatis suæ servandæ susciperent. Orator quoque
Laurentius (l) hortando, monendo, suadendo, futura
monstrando pericula jam multorum animos flexerat.
Quod intelligens Dux, multorum quippe jam sententiæ

Ff 2 vul-

N O T Æ.

(g) Philippi amicitiam societatemque obsta-
re, quo minus fœdere jungantur: oratores &c.
Idem responsum Romani dedere Campanis
auxilium adversus Samnites petentibus. An-
xilio vos Campani dignos censeat Senatus, sed
ita vobiscum amicitiam institui par est, ne qua
vetustior amicitia ac societas violetur. Samni-
tes nobiscum fœdere juncti sunt &c. Legatos, sic-
ut fas jusque, ad socios, atque amicos precatum
mitteremus, ne qua vobis vis fiat. Liv. lib. 7.

(h) Aliudque quam lingua ostentares, pe-
ctore versare. Hujus notæ homines præ ce-
teris ab Achille perosos refert Homerus lib.
IX. Iliad.

Ἐχθρὸς γὰρ μοικῆνος ὁμῶς αἰδᾶσθαι πύλῃ-
σιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο
ἢ βάζει.

(i) Subactis Florentinis ad Venetos trans-
ferret arma. Imitatur Poggius Herodotum
lib. VII. ubi Athenienses, & Lacedæmonii
Gelonem Siracusarum Tyrannum in suas
partes adversus Xersem traducere tentant,
hoc præcipue argumento: Næque enim spe-
raveris Persam, si nos victor prælio everterit,
in te non esse venturum: quin immo hoc ante
caveris.

(l) Laurentius. Rodolphus Florentinus.

1425 vulgatæ erant , denuo oratoribus (*m*) Venetias missis , iisdem quibus se pacis cupidum simularat artibus rem protrahebat . Eis vero qui penes Pontificem erant , ut de reconciliatione Florentinorum agerent , mandat , suspicatus fore , quod summopere appetebat , dum pax tractando differretur , se quibus vellet conditionibus Florentinos in Etruria oppressos obstricturum . At Laurentius eorum quæ in urbe agebantur ignarus , occulta , & ad dolum spectantia Ducis verba , consiliaque evolvens , quæ antea ab eo dicta erant , pluribus recensebat , orans Venetos , ut privatæ (*n*) quoque libertatis , quæ sua deperdita in discrimine versaretur , rationem haberent . Notam esse Ducis mentem , qui quo magis ostentat verbis pacem , eo magis ad belli curam spectaret : Ducis fidem ex se cognoscere vellet , quos ille fallaci semper pacis commemoratione decipisset ; nequaquam fore contentum infinitæ ambitionis virum patriæ suæ spoliis : majora illum appetere : nullam fidem (*o*) , nullum jusjurandum apud eum sanctum esse : majora ausurum , si prima succedant : proinde de salute propria cogitarent : Venetorum agi rem ea societate , qua profecto aut utraque Respublica ab illius insidiis tuta redderetur , aut Ducis vires minuerentur . Quæ verbis sæpius iterata multorum civium mentem inclinarunt ad firmandam cum Florentinis societatem . Legati vero Philippi non ab eo , sed a Florentinis testabantur pacem abruptam esse , cum Liburni portus castello empto , Thomam

N O T Æ.

(*m*) *Oratoribus Venetias missis* . Beltrando Lumponiano , & Joanne Aretino , qui Galeatii fuerat ab Epistolis .

(*n*) *Et private quoque libertatis* . Non enim majori argumento , quam libertatis tuendæ Venetos moveri posse putabant Florentini , quod nunquam servitutem passi essent .

(*o*) *Nullam fidem , nullum jusjurandum* , &c. Eadem ratione Lacedæmonii apud Herodotum lib. VIII. Athenienses in Mardonium sollicitant . ἄπειρ εὖ τυγχάνετε φρονιόντες ἐπισκεμένοιτελ , ὡς βαρβάροισιν ἐστὶν ἄτε πισὸν ἔτε ἀληθες ἔδιν . Quod idem est ac , *Si recte sapitis , nihil barbaris esse , neque fidum , neque verum* .

mam (p) Genuensium Ducem, cui bellum intulerat, grandi pecunia juvissent. Laurentius manifestum id, novumque calumniandi genus asseverabat: nulla enim lege, nullo instituto, nullo fœdere prohiberi Florentinos emere portum, qui paulo antea Pisanorum finium extitisset, * quæ cum omnibus humanis, divinisque a Gabriele Galeatii filio ducentis millibus aureis empta fuisset. Itaque nullam censeri debere injuriam cuiquam factam esse, si Pisanorum jura præter justitiam occupata propriis sumptibus recuperassent: nihil a Duce ineptius afferri posse, quo a se exorti belli culpa amoveri queat. Carminiola interim, qui Tarvisii morabatur, astu (q) Ducis veneno appetitus, re per ancillam detecta, ac sceleris auctore securi percusso, Venetias profectus palam Philippi, qui se immeritum veneno tollere curasset, iniquitatem questus est, multa differens de infesto illius erga Venetos animo, non pacem, sed bellum pectore versantis, quod in tempus magis opportunum differret. Arriperent ergo occasionem, & oblatam in tempore pessundandi serpentis dolo, & nequitia miscentis omnia facultatem: se duce si uti velint, vires tyranni in arctum redigi posse, & eo deduci, ut ne minimum quidem periculi ab eo imminere queat. Cum variae civium sententiæ essent, partim præsentis, partim futuræ paci consulentium, tandem & Laurentii, & Carminiolæ consiliis moti de societate agere cœperunt. Oratoribus itaque Ducis responsum: per Legatos se illi antea significasse, nisi infra Galliæ metas, quas suo beneficio dilatarit, acquiescat, Venetos ei hostes futuros: qua in sententia tum etiam perstare, eaque perseverare in animo esse,

N O T Æ.

(p) Thomam. Fregosium.

(q) Astu veneno appetitus, a Joanne Luitprando Mediolanensi qui exul Tarvisii morabatur. Huic Dux & reditum, & pecu-

niam pollicitus erat, dummodo Carminiolam veneno tolleret; quo ab ancilla detecto, Luitprandus capite mulctatus fuit. Blond. Flav. Dec. 3. lib. 2.

1425 esse, nisi ab armis discedat. Illi rem verbis trahere spe pacis, quæ Romæ inter Ducem, Florentinosque jam profecta habebatur. Ægre ferebat Dux, Venetos præter fœdus antea inter eos initum sibi belli gerendi leges imponere, præscribereque, quibus terminis acquiesceret, omnique opera, & summo cum studio pacem firmare cum Florentino populo studebat, ut rebus Etruriæ compositis in Venetos arma transferret; quam rem & ipsi veriti societate cum Florentinis jungi exoptabant: sed lentius id agebatur, quo meliori sua conditione in leges fœderis veniretur. Florentinorum quoque animi ad eorum societatem, quam ad pacem Ducis semper dubiam, quamvis leges dicerentur æquissimæ, proniores erant. Pontifex, ut audivit Venetos ad eam societatem proclives, quam ad eam diem rejecerat, quærebat, ac suadebat pacem, non tantum suo, quantum amicorum consilio impulsus. Erant enim plures infensi Venetis, quorum vires (quoniam auctoritatem Pontificis contemnere, atque insolentius abuti rebus Ecclesiasticis viderentur) diminui cupiebant. Et jam de pace, ignorantibus (r) Florentinorum Legatis quæ Venetiis agerentur, conventum erat; ut utrinque ablata restituerentur, utque equites peditesque omnes in Galliam redirent; cum litteræ a Decemviris superveniunt imperantes in octavum diem rem procrastinando protrahi: interim Laurentio significant, nisi infra biduum de societate amicitiaque decernat, Romæ per Pontificem cum hoste de pace actum esse: itaque mature factò opus esse, ne siquid præter spem eveniret, sibi non prædictum affirmarent. His renuntiatis, Veneti haud ignari Philippi animum a se alienum, & ad ulciscendum

para-

N O T Æ.

(r) *Ignorantibus Florentinorum legatis.* | bello agebatur: eo consilio, ut si Veneti
Dum a quibusdam Florentinis legatis Ro- | societatem rejecissent, pax fieret.
mæ de pace ageretur, ab alio Venetiis de |

paratum, e vestigio omnibus posthabitis, fœdere (f) icto, 1425
 in amicitiam, societatemque * ad Ducis vitam veniunt,
 conditionibus adjectis, ut communibus stipendiis sexde-
 cim equitum, octo peditum millia belli tempore condu-
 cerentur, classisque (t) maritima, & in Pado haberetur:
 utque pacis, ac belli arbitrium penes Venetos esset: quæ
 in Gallia caperentur Venetis, in Flaminia & Etruria Flo-
 rentinis cederent. Parma quoque, si expugnaretur, aut a
 Philippo deficeret, Nicolao Ferrariensi, qui cum Fran-
 cisco Mantuæ Regulo fœderi ascriptus erat, adjiceretur;
 Isque Florentinorum exercitus dux declararetur, summa-
 que imperii penes illum esset. Vulgato fœdere, cui Ame-
 deus Sabaudiaë Dux Philippi opes, ac potentiam veritus,
 Senensesque accessere, legatisque ex Urbe (u), pace Du-
 cis rejecta, Florentiam revocatis, omni aliarum rerum cu-
 ra omissa, ad bellum parantur; Nicolaumque Tolenti-
 natem ducem belli peritissimum, nonnullos præterea præfe-
 ctos, cum sex equitum, tribus peditum millibus in Gal-
 liam auxilio Venetis mittunt, qui collectis undique co-
 piis, ac valido, præstantique exercitu comparato, ducem
 Carminiolam designant, virum ea tempestate rei mili-
 taris præclarissimum, ac odio (x), ut prædicabat, adver-
 sus Mediolanensem acerbo. Antea tamen quam novi-
 quicquam tentarent Veneti (nam & Alphonfus Arago-
 num Rex Philippum, Genuensesque exosus, fratrem cum
 classe haud parva adversus Genuenses se missurum in il-
 lorum gratiam promiserat) iterum a Duce per (y) orato-
 res

N O T Æ.

(f) Fœdere icto. IV. Decembris die.

(t) Classisque maritima. ut Ligusticam
 oram invaderet.

(u) Ex urbe. nempe Roma, ubi de pa-
 ce cum Pontifice agebatur.

(x) Odio adversus Mediolanensem acerbo.
 Ipse enim de Duce benemeritus, & ob res

gestas insignis, Torello in ducendis ordini-
 bus subijci noluit; nec satis æquo animo
 Genuæ Præfecturam Cardinali Insulano si-
 bi suffecto tradiderat.

(y) Per oratores. melius per oratorem:
 solum enim Franciscum Serram Decenvi-
 rum a secretis oratorem missum invenio.

1425 res postulant, ut infra Galliæ fines se teneat, pacem, ac concordiam cum Florentinis firmatam servare velit, cujus se sponsores fore in futurum affirmant, si ut palam dictitabat illos eam violaturos dubitaret: quæ ad eam diem bello occupasset restitueret: ni pareat bellum indicant. Copiæ interim omnes in agrum Veronensem, & loca Brixix propinqua ire jussæ. Dux perplexe, ut certa sententia ex ejus verbis elici nequiret, dato responso, nequaquam ea belli denuntiatione territus, & ipse copias, quæ dispersæ erant, contrahit: equitatum, peditatumque omnem, qui in Etruria, Flaminiaque bellum gerebat, accersit, nihilo quam antea inconsultius rem gerens, sed pristino more seclusus, conspectumq; hominum fugiens bellum per internuntios administrabat. In magno ab utrisque apparatu studens Carminiola aliquo egregio facinore initium fieri decertandi, arcis Brixix sublimioris custodes, pecunia, & ingentibus promissis ad desciscendum allicere conatus, cum id parum processisset, Guelphorum (z) secta Duci maxime adversa in suam sententiam traducta, nocte muris (a) effractis cum magna exercitus parte urbem ingressus, eam regionem, quam Guelphi tantum inhabitant, occupat, quo die (sic enim constitutum erat, ut Duci pluribus locis se tuendi necessitas imponeretur) Ferrariensis agrum Parmensem depopulatus, magnam hominum pecorumque prædam abigit. At Philippus veritus, ne dux sagax Carminiola aliquem dolum in civitate Brixix sibi suspecta moliretur, ad prohibendos novos motus, ac cives metu in officio continendos, præfectum (b) alæ equitum ad urbis præsidium proficisci jubet, qui
urbis

N O T Æ.

(z) *Guelphorum secta*, &c. Hujus principes Petrus, & Achilles Avogari. | go *Platina Hist. Mant. lib. V.*
 (a) *Muris effractis*. non muris, sed porta S Joannis effracta. *Bapista Sacchius. vul-* | (b) *Præfectum alæ equitum*. Oltrandum cum cohorte miserat.

urbis defectione audita, in eam partem, quæ a Ghibellinis incolitur, profectus, eos diversæ factionis odio in fide continuit. Hujus urbis, quoniam summis viribus, maximoque odio & defensa, & expugnata longiori obsidione fuit, necessarium videtur situm paucis describere, ut quæ urbem tam munitam, tam validam difficultas expugnandi fuerit, legentibus constet. Brixia tribus millibus passuum in circuitu patens, tres firmissimas arces continet. Prima in monte qui urbi imminet sita, separata a mœnibus, duplici latoque muro, ac frequentibus turribus cingitur. In ejus medio area ampla est, inque ea turris ingens egregii operis a reliquis ædificiis disjuncta. Paulo inferius ab utraque muri parte murus altissimus ducitur frequentibus turribus, qui alteram, amplioremque efficit arcem a civibus inhabitatam. Ab ea ad inferiora urbis loca, ad portam usque, quæ Garzetta dicitur & ipsa operis munitissimi, urbem dividit murus latissimus frequentibus propugnaculis distinctus: ab hoc muro & alius ad dexterum latus ad portam Pilarem productus, quo efficitur tertia, & nova arx secundæ juncta. Infra hanc planities est ad quartam fere urbis partem, duabus fere portis distincta, in qua Guelphi habitant; cetera urbis loca a Ghibellinis incoluntur. Carminiola igitur urbis regione, cui nova arx imminet, deditione recepta, eam una cum civibus e vestigio, quo tutiores ab incursum militum propinquæ arcis essent, fossa lata, profundaque, ad hæc pluribus additis castellis, ac firmo præsidio communivit. At Philippi (c) copiæ quæ prope Brixiam obequitabant, viribus (nondum enim omnes convenerant) impares hosti, nequaquam acie dimicare audebant. Commeatum tamen turribus in eam partem urbis, quæ Mediolanensi parebat, inque arces ad

G g tole-

N O T Æ.

(c) *Philippi copia*. Francisco Sfortia Duce.

1426 tolerandam diutinam obsidionem deferri curabant. Verum Ferrariensis consilio, ut ea invehendi frumenti facultas demeretur hosti, coactis sex hominum millibus, duplici fossa difficilis operis viginti pedes lata, duodecim profunda, a porta quam ceperat amplius duobus passuum millibus, ad montem usque, in quo, ne ab hoste occuparetur, castellum erexerant, Carminiola parat cingere, erecto medio aggere inter utranque fossam, qui pro vallo esset. Continuo tamen ea fossæ portio, quam mane cœperant, eadem die perfecta, propugnaculis interjectis muniebatur. Vigiles quoque adhibiti, qui aditu hostes prohiberent. Mensibus duobus perficiendis fossis absumptis, facultateque omni comportandi in urbem comatus sublata, conversus Carminiola ad expugnandas arces, quæ tum situ, tum muris, turribusque erant firmissimæ, Garzetta oppugnata, eam primam ex his, quæ tenebantur a Philippo, in Venetorum redegit potestatem. Plures enim dies oppugnationibus continuis fessi custodes, simul vexati bombardis, atque omni telorum genere attriti, omnique subsidio desperato se se dediderunt. Hac recepta, arcem novam inferiorem, quæ sextam ferme urbis partem occupat, aggressus est. Eam tanto militum ardore, tot præliis, tot machinis oppugnavit, ut decem continuis diebus, nulla quiete, nulla ab asperrimis pugnis, nulla a vulneribus intermissione neque die, neque noctu data, cogerentur fessi labore, vulneribus debilitati defensores, octo dierum inducias ad se dedendos petere. Sed omni via subsidii ferendi seclusa, arcem tradidere, ea conditione, ut liberi cum suis rebus abirent. Dux interea Philippus accersitis (d), quæ in Etruria erant,

N O T Æ.

(d) *Accersitis copiis*. quæ sub Angelo Pergulensi militaverant.

erant, copiis mandat, ut restitutis (e) quæ de Pontifice 1426
 erant urbibus, oppidisque, cetera firmis munirent præsi-
 diis. Erat equitum numerus circiter quatuor millium,
 peditum mille, qui cum ad flumen Scultennæ (Panarium
 incolæ vocant) pervenissent, a transitu (f), dispositis in
 ulteriore ripa equitibus, prohibiti, inferius prope Vinio-
 lam oppidum descenderunt, ubi ponte juncto, flumen
 nullo inhibente transeunt, seque cum reliquis Philippi co-
 piis jungunt. Comparato, ac in unum coacto præpo-
 tenti, egregioque exercitu, in quo quindecim millia equi-
 tum, peditumque censebantur, imperator illi datus Caro-
 lus (g) Malatesta Pisauriensis, cum ad liberandam obsi-
 dione Brixiam proficisceretur, Philippi præfectis senten-
 tias variantibus, singulisque consilium suum ceteris omni-
 bus præferentibus, parum profecit. Alii enim oppugnan-
 das novas munitiones, vallum rescindendum, fossam re-
 plendam censebant: alii obsidione cingendam urbem,
 ne commeatus ad hostes deferri posset, & fame postea,
 quia vi nequibant, ad deditorem compellendos. Quidam
 majoris animi, fortunam belli experiendam esse dicebant.
 Quam sententiam secuti reliqui fossam vallumque magno
 conatu aggressi, irrito labore, multis acceptis vulneribus
 eam oppugnationem reliquerunt. Carminiola enim defen-
 dendo vallo robustissimos milites præposuit, eruptioni-
 busque factis hostes in castra, pluribus occisis aut captis,
 redire coegit. Expectabant, qui urbem, atque arces tue-
 bantur, ut his subveniretur; videbant enim Philippi equi-
 tatum, peditatumque magno numero haud procul a mœ-
 nibus in campis esse tamquam certum auxilium laturos,

G g 2 ideo-

N O T Æ.

(e) Restitutis qua de Pontifice erant urbi- | tinensis fluvii ripam tuebatur.
 bus. nempe Imola, & Forolivii. | (g) Carolus Malatesta. qui pridem Flo-
 (f) A transitu, &c. prohibiti. A Nico- | rentinorum. dux adversus Ladislaum fue-
 lao Marchione Estensi, qui Scultennæ Mu- | rat.

1426 ideoque summa vi se oppugnantibus resistebant. Verum cum post commissum certamen veluti victos abire viderent, continuis laceffiti præliis, & vulneribus confecti, desperata salutis spe defecere animis. Qui Pilarem asservabant portam, ea relicta in proximiorum arcem muro continuo se se receperunt: ejus quoque custodes haud multo post, cum aliquandiu repugnassent, tandem fame urgente, dierum decem inducias pacti, arcem reliquere. Secundam deinceps adorti, cum qui eam defensabant nulla humana adjutos ope arcis amissæ milites conspicerent, se pro derelictis habitos, & ipsi omni spe auxilii præcisa, paucos post dies eadem conditione, qua priores, arcem omnium maximam tradiderunt. Restabat oppugnatione montanæ (b) arcis, quæ tum loci natura, tum mœnibus, & frequentibus turribus, & militum robore perdifficilis videbatur. Sed diversarum machinarum multitudo, ad hoc bombardarum magna vis turrim in medio sitam, crebris verberibus disjecit, tum reliqua ædificia ictu lapidum contrivit. Tolerata duos amplius menses obsidione, præsidio, arce tradita, abeundi est facultas permessa, urbsque omnis in potestatem redacta, octavo (i) postquam obsideri cœpta erat mense, in expugnandis arcibus, muris, & turribus summa industria adhibita. Philippi copiæ agrum Brixiensem frequentibus populationibus vastabant, dispositis per oppida militibus, qui illa ab hostibus tutarentur. Id vero in expugnatione Brixie post devictam urbem perarduum fuit, comportatio scilicet commeatus, quo civitas aleretur. Nam & messem omnem in equorum pabulum equites consumpserant, & Philippo omnia urbi propinqua parebant loca, ut nullus frumenti invehendi daretur adi-

tus.

N O T Æ.

(b) *Montana Arcis*. cujus præfectus Antonius Landrianus. *Corius p V.*

(i) *Octavo postquam obsideri cœpta erat*

mense. Aprili obsessa, & Novembri in potestatem redacta.

tus. Benaci vero lacus oppida, præter angulum quendam, 1426
 cujus parva arx Venetorum ditionis erat, adversa Venetis
 expugnari nullis ad id præparatis navibus nequibant.
 Constans fama est, culpa præfectorum Philippi eam ur-
 bem non esse recuperatam. Nam cum liber aditus ad il-
 lam esset, facile fossam prohibituos fuisse ajunt, nisi cer-
 tamen dignitatis (l), æmulationisque, dum quilibet suum
 consilium alterius sprete sententia exequi nititur, inter eòs
 ortum, facultatem, spatiumque perficiendi operis hosti
 per ignaviam præbuisset. Dum cunctantur, dum de feren-
 do auxilio disceptant, rei bene gerendæ, impediendique
 operis occasio (m) est amissa: & quod ne fieret facile
 prohiberi poterat, id perfectum, munitumque expugna-
 re frustra tentarunt. Dum Brixia pari pene conatu expu-
 gnatur, & defenditur, nullis nondum certis inditiis, quo
 se fortuna inclinaret, Paulus Guinifus Lucæ tyrannus,
 sperans aliorum bellis sua augeri, confirmarique, equiti-
 bus sexcentis diversis ex locis coactis, eo consilio, ut ejus
 stipendia sequerentur, qui omnium pene judicio victo-
 riam consecuturus esset, arbitratus tanto beneficio libe-
 rius suis civibus dominari posse, cum existimaret Medio-
 lanensem superiorem fore, fortunamque pro eo pugnare,
 rejectis Florentinorum postulatis, qui mille equitum præ-
 fecturam filio detulerant, Ladislaum maximum natu fi-
 lium ad eum in castra ire jussit. Qua ex re & Venetis,
 & Florentinis summa adversus eum indignatio coorta est;
 eaque postmodum causa fuit, ut fœdere pacis excludere-
 tur, quoniam (n) nulli aperte favisset. Ferunt Franci-
 scum

N O T Æ.

(l) *Dignitatis æmulationisque certamen.* Inter Franciscum Sfortiam, & Nicolaum Piccininum.

(m) *Occasus est amissa.* Angelo Pergulano amissæ Brixie culpa illata fuit, qui ab omnibus præfectis rogatus nunquam per-

fringendis operibus impetum fieri permisit.

(n) *Quoniam nulli aperte favisset.* Imo quia aperte favisset Mediolanensi, cujus auxilio sub Ladislao ejus filio sexcentos equites miserat.

1426 scum Foscarum, Venetorum Ducem, virum prudentissimum, pace facta Florentinis oratoribus dixisse, eos recte facturos, si memores Pauli injuriarum, insanum tyranni consilium ultum irent. Decemviri interea, cum Philippi copiæ Etruriam reliquissent, summa in recuperandis amissis castellis cura adhibita, partim vi expugnarunt, partim postmodum pacis conditionibus receperunt. At Veneti Brixia occupata, ad expugnanda oppida, castellaque ejus agri omni ope intenti, ad ea loca quæ circa Benaci lacus littus sunt exercitu circumducto (jam enim omnis ea regio sponte in partes Philippi concesserat) nonnullis vicaptis, faciliorem comportandæ annonæ aditum præbuerunt. His rebus Carminiola intento, Martinus Pontifex, cujus opera bellum antea protractum erat, cum quæ animo conceperat vana apparerent (fama namque frequentior fuerat, & multorum sententia, illum ante fœdus cum Venetis ictum de industria exoptasse, ut bellum vigeret, neque concordia statueretur, quo Florentini longo, ac diutino bello fatigati, viribusque exhausti Philippi odio se suaque sibi dederent) amissa Brixia, veritus, ne Dux reliquarum quoque urbium discrimen subiret, mente ad pacem conversa, litteris Mediolanensem, Venetos, ac Florentinos exhortatus ad arma deponenda, ut intellexit minime eam omnes refugere, Cardinalem (p) Sanctæ Crucis Nicolaum, virum sanctissimum, ad Venetos, quibus quocumque modo belli componendi arbitrium permissum erat, Legatum misit: qui cum cives concordiam haud horrere intellexisset, Amedei quoque, & Florentinorum

N O T Æ.

(p) *Cardinalem S. Crucis Nicolaum*. Albergatum ex Sacra Carthusianorum familia, Episcopum Bononiensem. *Sigenius de Episcop. Bonon. in B. N. c. Alberg. lib. 3.* Ejus vitam scripsit *Jacobus Zenus, Feltrensis, ac Bellunensis Episcopus. Col. Agrip. apud Jolia, ann. Kinchium 1618.*

norum auctoritatem, qui focii erant, secuturos dicerent, 1427
 Mediolanum petens, ubi Philippum pacis cupidum, ut ex
 verbis hominis elici poterat, comperit, singulorum ora-
 tores Ferrariæ convenire jussit: quo in loco multis utrin-
 que summa animi contentione agitatis, tertium tandem
 post mensem kalendis Januariis pax solemniter firmata est.
 Conditiones dictæ, ut Brixia, divina humanaque omnia,
 valle quadam excepta, ac quæ circa Olimum ditionis
 Cremonæ essent, Bergomum insuper, omnisque ejus ager
 Venetis cederent: quæ Florentinorum ante bellum fuerant,
 restituerentur: Amedeus (q) vero bello capta teneret:
 Quibus, ut acquiesceret Philippus, Mediolanum reversus
 Cardinalis illum hortatus est: *Ut rationem temporum haberet:
 Satius esse partis alicujus, quam totius imperii jacturam
 subire: prudentis viri esse parere tempori, a quo consilia
 omnia sumenda essent, & cui parere sapientes vellent.
 Utile proculdubio fore adversa fortune cedere, cujus
 arbitrio humanæ res regi viderentur: non in eodem statu
 semper omnia futura: accidere posse, ut minori impensa
 recuperet amissa, quam qua sunt perdita. Denique eam
 esse Pontificis mentem, ut quacunque conditione præsen-
 tibus consulat rebus: se quoque illi suadere concordiam,
 utque Pontificis auctoritatem sequatur.* At vero Dux tum
 Florentinorum, qui se Pontifici restituere urbes Ecclesiæ quaerentem
 impedierunt, superbiam incusabat; tum Venetorum, quibuscum
 fœdere junctus erat, aliena occupandi cupiditatem plurimum
 querebatur. Sed Legati viri gravissimi verbis commotus in
 datas pacis condiciones descendit. Hæc ea æstate utrinque facta.
 Accepto per Ducem pacis

N O T Æ.

(q) *Amedeus vero.* Allobrogum Dux, Eugenium, Antipapa fuit nomine Felix.
 qui Venetis adhæserat. Hic ille est qui de- Hunc Poggius investiva quam acerrima
 functa uxore in Sancti Mauricii monaste- exagitavit.
 rio secessit, & deinde in schismate contra

1427 pacis fœdere, Carminiola ad recipienda oppida profectus, a mœnibus omnium repulsus est, jurejurando pro nihilo habito, ac legibus pacis a Duce contemptis. Creditur Legati viri integerrimi sanctissimique auctoritate motum eas accepisse conditiones quamvis invitum, cujus suasionibus contra ire vereretur, postmodum pœnitentia ductum insita animi varietate sententiam mutasse, & ea quæ condonabantur duxisse satius amittere bello, quam per speciem timoris relinquere. Quod ægre ferens Legatus, Ducisq; inconstantia offensus Romam rediit. Variis moribus variaque a reliquis natura Dux fuit, & nova in diem consilia versans, nulli credere penitus, nulli fidere, promissorum haudquam fidelis custos, quem dilexerat paulo post a se rejiciebat. Callidus, & ingenii sagacis, mobilisque, ut qui in bello pacem, in pace bellum cuperet, suo innixus consilio spernebat ceteros, semper procul a conspectu hominum reclusus (r), atque omnia per internuntios agens. Antequam Brixienfes ab eo deficerent, quidam eorum quæ parabantur haud ignarus Mediolanum profectus Duci nuntiari jussit, esse quædam minime contemnenda, quæ cum eo communicare sine arbitris opus esset, rogare, ut quæ afferret ex se audiret. Ille more suo, cum quæ dicturus venisset, ex amicis cuidam referri imperasset, alter vero Philippo tantummodo necessario ea edenda respondisset, cum in sententia perstaret, indignabundus confestim abiit, affirmans non multos post dies nuntii spreti pœnitentiam Ducem acturum, ac subinde ejus civitatis rebellio, amissioque secuta est. Initio præterea belli Mediolanensium optimates Philippo magnam (f) auri vim obtulisse ferunt, si curam belli gerendi eis permitte-

ret,

N O T Æ.

(r) *Reclusus*. in Abbiatæ oppido.
Blond. Flav. Dec. 3. lib. 3.

(f) *Magnam auri vim obtulisse*. quæ de-

cem millibus equitum & totidem peditum colligendis sufficeret. *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 6.*

ret, utque providerent, nequid ab hoste caperent detri- 1427
 menti: illum vero omnes suspicientem, ac nulli prorsus
 credentem, obstantibus adulatoribus oblatam pecuniam
 repudiasse, asserentibus præcludendam populis omnem
 belli gerendi facultatem; eam enim ad appetendam li-
 bertatem optimam viam esse. Itaque sive suopte ingenio
 parum in promissis firmo, seu aliorum (t) bellum pa-
 ci præferentium impulsu (utrunque enim traditur)
 abjectis concordiaë legibus (& jam hyems erat) armis (u)
 se tutari, atque hostem aggredi parat: multos enim equi-
 tes conduxerat, quos Veneti firmam fore pacem existi-
 mantes, ut parum utiles missos fecerant, quibus ille fre-
 tus agrum Mantuanum, quo omnem timoris suspicionem
 amoveret, incursionibus, populationibusque vastavit. Id
 facinus tum Venetos, tum Florentinos ad instaurandum
 bellum acriores reddidit, ac paratiores: hinc enim fidei
 adeo palam violatæ injuria, hinc Mantuani damna stimu-
 lant ad ultionem animos. Parato itaque novo equitatu
 Veneti, Florentinorum additis copiis, brevi magnum con-
 ficiunt exercitum. In amicitiam præterea, ac belli socie-
 tatem Montisferrati (x) Regulum, ac Orlandum Palavi-
 sinum, qui Philippi fines hostili more invadant, asciscunt.
 Amedeus enim innata avaritia pecuniæ, & stipendii reci-
 piundi causa fœderi ascriptus, neque bello, neque paci
 utilis erat. Genuensium quoque exules operam polliciti,
 ut patriam a Philippi servitute vindicarent, unico præ-

H h lio

N O T Æ.

(t) *Aliorum bellum paci præferentium im-*
pulsu. Non alia de causa ad pacis consilia
 animum appulisse Ducem animadvertit
Ammiratus, & cum eo *Blondus*, aliique,
 quam ut Venetos a Florentinis removeret,
 & Carminiolam, dum pace facta ad suum
 oppidum pergeret, insidiis occuparet: quod
 cum ex voto non cessisset, pacem fregisse.
Ammirat. p. I. To. 2. lib. 19.
 (u) *Armis se tutari*, &c. Classem apud
 Brixiam reparando, & Ligures extorres Ge-
 nua arcendo.
 (x) *Montisferrati Regulum.* Joannem Ja-
 cobum.

1427 lio superati (y) sunt. Philippus vero existimans in eo rem verti, ut qui prior arma inferret, victoriam ex hostibus reportaret, copiarum parte agrum Brixientem populando, urendoque tecta multiplici calamitate affecit: classe quoque in Pado flumine confestim parata, castella quædam, in queis Casale (z) majus fuit, terra navibusque (ea secus aquam sunt) expugnata cepit. Jam superiori loco Mediolanensis fortuna esse videbatur; non enim Venetorum copiarum Carminiolæ ad (a) balnea ob adversam (b) valetudinem profecti consilio uti poterant, quò absente Venetorum non eodem quo antea consilio viribusque res gerebatur; cum Veneti, ut hostium viribus obsisterent, paratis e vestigio navibus longis triginta, nautisque impositis bellis maritimis exercitatis, ac instructis machinis omnibus, atque armamentis, quæ ad hostium munimenta oppugnanda pertinerent, imperatoreque Bembo (c) maritimæ expeditionis peritissimo declarato, Padum ingressi, ad hostium naves militum virtute, & navigandi, rerumque navalium inscitia inferiores cursum dirigunt, primoque impetu adversariorum (d) classe ad Brixellum in fluminis ripa situm fugata, obsidionem solvunt. Capto enim proditione oppido, quod Venetis parebat,

N O T Æ.

(y) *Unico prælio superati sunt.* non uno tantum prælio, sed duobus, nempe maritimo, & terrestri superatos Genuensium exules, qui Thomæ Fregosii ductu convenerant, refert *Ubert. Folietæ*. Primo prælio magna cum cæde ab urbis mœnibus, amissis scalis repulsi, secundo ad Ververiam oppidum victi, una triremi fugata, & tribus captis. *Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

(z) *Casale majus.* Cremonensis agri oppidum, cui Gabriel Pisanus Venetorum nomine præerat, ut *Pigna lib. 6. Hist. Princip. Arest.*

(a) *Ad balnea.* Patavina exercitui propinquiora, ut putat *Blond. Dec. 3. lib. 3.* Ad

balnea Senensia profectum asserit *Pigna lib. 6. Hist. Princip. Arest.* cujus sententiam probaverim, tum quia paulo infra ait Poggius *Carminiolam recuperata valetudine Patavium venisse*, tum quia Laurentius Saxolus Præsentis, insignis Philosophus, ac Medicus, curam Carminiolæ ad balnea Senensia egit.

(b) *Ob adversam valetudinem.* quod equo apud Tarvisium decidisset, ex quo nervi debilitati, & febris, laterisque dolore correptus fuit.

(c) *Bembo.* Francisco.

(d) *Adversariorum classe.* cui Pacinus Eustachius Ticinensis præerat.

bat , arcem in fide permanentem forti animo se defen- 1427
 fantem oppugnaverant , machinasque , ac varia ad di-
 ruendam arcem tormenta ex Cremona comportaverant :
 quibus omnibus recepto oppido potiti , navesque hostiles
 infecuti , commisso (*e*) certamine in fugam verfas supe-
 rant , octoque captis , paulo post Cremonam versus pro-
 fecti , repagula , oppugnaculaque (*f*) omnia fluminis a-
 scensum prohibentia magno certamine removent . Parta
 ubique victoria , cum milites imperio ducis neglecto re-
 lictis navibus , prædatum in agrum Cremonensem descen-
 dissent , palatique nullo ordine vagarentur spoliis agresti-
 um intenti , præfectus (*g*) equitum in urbis tutelam re-
 lictus dissipatos aggreditur , multis captis , trecentis occi-
 sis , reliquos turpi fuga ad naves compulit . Relicta Cre-
 mona classem Ticinium versus cum Venetus movisset ,
 veritus insidias Cremonam revertitur , existimansque eif-
 dem copiis eodemque præfecto defendi urbem , acceptam
 injuriam ulcisci parat . Dum milites cautius exponit po-
 pulabundos majorique quam antea equitatu (novi enim (*h*)
 advenerant equites) repulsus parva jactura suos revocat . Et
 jam æstas aderat , cum Carminiola recuperata valetudine
 Patavium (*i*) venit . Inde Brixiam petens quinto ab urbe
 lapide cum paucis confedit copiis , omnibus quas inte-
 rim Veneti scripserant , se sequi jussis . Ex omni exercitu
 cum ad decem equitum millia in urbem inscientibus ho-

H h 2 stibus

N O T Æ.

(*e*) *Commisso certamine* . quarto a Cre-
 mona lapide octo galeones (ut vocant)
 subegit Bembo coram Piccinino , qui in
 fluminis ripa suos ad pugnam voce , & ge-
 stu extimulabat .

(*f*) *Oppugnacula omnia fluminis ascensum*
prohibentia . Tria in Pado castella erexerant
 Philippenfes , quæ ita flumen clauferant , ut
 paucis militibus cuilibet magnæ classi tran-
 situs posset in interiora Galliæ impediri .

Petrus Justin. Hist. Ven. lib. 6.

(*g*) *Præfectus equitum* . Christophorus
 Lavellanus . *Campi Hist. Cremon. lib. 3.*

(*h*) *Novi advenerant equites* . Inscio
 Bembo cohors equitum duce Nicolao
 Guerrerio Cremonæ præsidio addita . *Blond.*
Flav. Dec. 3. lib. 3.

(*i*) *Patavium venit* . a balneis Senensi-
 bus .

1427 stibus misisset, Albericus vero Cunii Comes, nonnullique Philippi equitum præfecti ab Octolingo oppido, quod duodecim millibus passuum distat Brixia, procedentes, usque ad urbis portas excursionem facta, cum omnis generis onerati præda redirent, emissio (l) ex urbe equitatu, & præda recuperata est, & ex præfectis (m) unus cum equitum parte captus. Eadem die Carminiola urbem ingressus secundum id equestre prælium factum permolestè (n) tulit: existimabat enim, si se duce eruptionem fecissent, captis omnibus facile oppidum expugnari potuisse. Mense inde Martio cum exercitu, in quo equitum quindecim, peditum millia sex censebantur, calorum, curruumque magno numero ad comneatum, & bellicas portandas machinas addito, profectus, Montemclarum opulentum oppidum obsedit, quo pluribus præliis tentato, cum egregie defenderetur, ex eo loco ad Octolingum castra movit, sperans per facile se oppido potiturum. Sed nocte præcedente ad mille (o) equitum Mediolanensium oppidum ignorante Carminiola intrant, qui se intra portas continuere, quoad hostes metarentur castra. Illi per negligentiam (nihil enim hostile timebant) ducis eorum parum providi ad repentinos motus culpa, dissolutiusque quam par erat curantes corpora, otio, quietique indulgebant, vagi incompositique tamquam in pacato forent. Solus Johannes (p) Strotius, eques Florentinus,

N O T Æ.

(l) *Emisso ex urbe equitatu.* per Nazaream portam a Petro Lauredano in Francisci Bembi Veneti imperatoris locum suffecto. *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 6.*

(m) *Ex præfectis unus.* Perinus Torto-
nensis, cui Tarco cognomen erat, cum
150. equitibus captus.

(n) *Permolestè tulit.* ob invidiam, quod
alienis hoc actum auspiciis fuisset.

(o) *Ad mille equitum.* Philippus mille

equites noctu Octolingum mittit una cum
Guidone Torrello, Christophoro Lavel-
lano, & Nicolao Guerrerio.

(p) *Johannes Strotius, eques Florentinus.*
Qui factioni Petri de Albizis adhærens,
Florentia expulsus ad Nicolaum Atestinum
confugerat, a quo summo honore exceptus
equitum præfectus declaratus est. *Scip. Am-
mirat. Hist. Flor. p. 1. To. 2. lib. 19.*

nus, quem præfectum turmæ equitum Ferrariensis (id (q) 1427
 enim ex formula debebat) ad exercitum miserat, in armis
 cum suis tantum perstabat, in omnes casus pro exercitus
 salute intentus. Conspecta ab oppidanis negligentia, eruptio-
 ne post meridiem (& æstus increbuerat) facta, magno im-
 petu castra nullis munitionibus firmata invadunt. Solus
 cum suis Johannes, conferto cum hostibus prælio, rem sub-
 stentat, & dum parvo numero cum majoribus hostium
 copiis pugnat, occubuit (r). Illi magna strage edita, ad
 mille quingentos ex equitibus captis, tandem excitatis (s)
 e somno militibus intra oppidum se recipiunt. Carminio-
 la deinceps, quo ab hostium incurso castra tutiora forent,
 curribus, ii ad duo millia erant, circumfedit. Conside-
 rans autem oppidorum agri Brixienis expugnationem lon-
 giorum fore, ne reliquum æstatis inutili bello consume-
 ret, Cremonam obsidere statuit, opinatus ea capta, &
 reliqua in potestatem ventura. Ut autem a Mantua com-
 meatus, machinæque usui belli, atque obsidioni neces-
 sariæ Pado commodius in castra deferri possent, arcem
 Binam supra Ollium cum ponte sitam maximo labore
 exercitus vi cepit, impositoque præsidio valido, firma-
 tis muris, atque arce, quæ crebris machinarum ictibus
 confRACTA erat, instaurata, prope Cremonam, secundum
 Padi ripam ad sextum lapidem castra posuit. Quibus re-
 bus perterritus admodum Philippus, omnibus, qui se,
 suaque salva vellent, sequi iussis, quod nunquam antea fe-
 cerat (t), Cremonam contendit, lustratoque exercitu vigin-
 ti

N O T Æ.

- (q) *Id enim ex formula debebat.* Ex for-
 mula foederis. | torianorum manu ipso Carminiola accur-
 rente.
 (r) *Occubuit.* ab irruentibus hostibus | (t) *Quod nunquam antea fecerat.* in Ab-
 suffocatus, ut *Pigna Hist. Princip. Arest. lib. 6.* | biatæ oppido, ut diximus, semper occlusus.
 (s) *Excitatis e somno militibus,* cum præ-

1427 ti amplius millibus hominum (multi enim undique ad eum confluxerant) prope hostem tribus passuum millibus castra locavit . Eorum præterea , qui secuti erant , equitum , peditumque ingens numerus , sed plurima minime apta bello multitudo .

POG-

POGGII BRACCIOLINI
 FLORENTINI
 HISTORIARUM
 FLORENTINI POPULI

L I B R I S E X T I

E P I T O M E .

Vicecomitis praelium cum fœderatis in Cremonensi agro .
 Franciscus Sfortia Binæ oppidum occupat , adve-
 niente vero Carminiola , relinquit . Philippi exercitu
 apud Maclovium profligato , pax denuo fit . Bellum a
 Florentinis in Lucenses movetur . Vicecomes cum Senensi-
 bus Lucae auxilia mittunt , ejusque Tyrannus dolo capi-
 tur . Florentinorum copie ad Lucam cæse , eorumque ager
 depopulatus . Cum Florentinis Veneti junguntur , & in
 Pado superantur . Genuenses navali pugna a Venetis ,
 Florentinisque subjiciuntur . Carminiola a Venetis capite
 mulctatur .

ERectis omnium Ducis adventu ad pugnam ani-
 mis , ne frustra advenisse videretur , utque ali-
 quod suæ virtutis opus quisque ederet , quo be-
 nivolentiam Principis iniret , hosti pugnandi co-
 piam fecere . Carminiola apud Summum (id nomen est
 villæ) habens castra , minime abnuvit certamen , sed edu-
 ctas acies in hostem promovit . Pluribus horis (& finis
 mensis Junii erat) collatis signis , acriter est pugnatum ,
 nullam in partem belli fortuna inclinante : tandem fessis
 diu-

1427 diutino prælio omnibus, æquo Marte discessum est. Fertur signo receptui dato, utriusque (a) exercitus milites bellando immixtos fuisse, ut variæ equitum turmæ ad suos se recipere opinantes, in hostium (b) ferme manus incaute, vi exorti pulveris devenirent; cum neque signa inspiciendi, neque suos præter vocis sonum internoscendi daretur facultas. His apud Cremonam gestis, cum Amedeus, Montisferrati Regulus, aliquot equitum turmis omnem Mediolanensem agrum usque ad urbis portas depopularentur, coactus Philippus rebus suis consulere, relicto exercitu, Mediolanum cum (c) paucis copiis revertitur, cujus adventu parvo equitatu hostium impetus est repressus. Diffusus Carminiola tantam urbem tanto exercitu munitam obsideri a se posse, Casale petit, iussu (d) classis Venetæ præfecto eo naves deducere, quo facilius expugnaretur. Franciscus Sfortia, haud inferior Philippi equitum præfectus, abeuntem exercitum insecutus, postquam nulla in parte capi a se hostem posse vidit, itinere ad Binam flexo, expugnatis arcibus, imposito (e) præsidio, in castra redit. Ea re per Carminiolam comperita, confestim cum expeditis equitibus Binam advolat, si forte ibi Franciscum offenderet, quem cum abiisse cognovit, denuo arces expugnat: cumque ejus custodes e muris an-

tea

N O T Æ.

(a) *Utriusque exercitus milites.* Septuaginta millia militum in utrisque castris censebantur, ita ut post Romani Imperii casum nunquam amplius tanta Itatorum multitudo ad arma simul coierit.

(b) *In hostium fere manus incaute devenirent.* Nec milites tantum, sed ipsi duces; Carminiola enim equo sublapso pedes diu pugnavit, Mantuanus in mediis hostibus solus stetit, Sfortia nullo ex suis comitante ad castra usque Venetorum pervenerat; qui omnes capi potuissent, nisi pulveris exorti beneficio effugissent. *Pigna lib. 6. Am-*

mirat. p. I. Tô. 2. lib. 19. p. 1038.

(c) *Cum paucis copiis.* quibus præerat Lancislaus Guinifius, Pauli Lucæ Tyranni filius. *Pigna lib. 6.*

(d) *Iussu classis Venetæ præfecto.* Petro Lauredano, non Francisco Bembo, ut *Blondus Dec. 3. lib. 3.* Bembo enim post Padanum prælium gravi morbo correpto; cum militiæ vacare nequiret, successus Lauredanus, ut refert *Petr. Justin. lib. 6.*

(e) *Imposito præsidio.* Venetorum militibus in subjectum flumen projectis.

tea præcipitatos audisset, suo quoque jussu milites a Fran- 1427
cisco impositi in flumen dejiciuntur; statimque ad Casalis
obsidionem, quod firmo præsidio defendebatur, reversus,
oppidum terra flumineque (f) circumdatum oppugnat,
non muro, sed alto, densoque aggere cinctum, ideoque
locus ab ictu lapidum tutus. Turris excelsa portæ immi-
nens, quæ ad Padum ducit, machinarum lapidibus quas-
sata, cum in subjectam corruisset fossam, ac per illius rui-
nas ingredi milites niterentur, veriti oppidani, ne vi ca-
pti præda essent hostibus, salutem pacti, ut cum singulis
vestimentis abire liceret, deditionem (g) fecere. Quo re-
cepto aliquamdiu eo loci exercitus castra habuit. Interim
simulans se ad varia loca oppugnanda cum exercitu adi-
turum, hostes eo in subsidium profectos sæpius elusit, in-
dignantibus illis, ac ægre ferentibus, nullo certo consilio
se uti posse. His sæpius simulatis, demum Maclovium
oppidum majori ex parte paludibus circumdatum subita
obsidione cingit, ea mente, ut si hostes ad tollendam ob-
sidionem pergerent, difficultatibus locorum adducti facile
superarentur. Id ægre major (h) pars Ducis præfectorum
ferens, rem (i) indignam clamitant, sinere hostem, quæ
velit loca petere, nulloque obsistente oppugnare: concedi
eo modo audaciam hosti, suis minui: dedituros se se o-
mnes, simulac senserint obsidionem, nisi subsidium sub-
mittatur: prodi causam ejus, cujus stipendiis militarent,
si sua, ut hosti libitum fuerit, capi libere permittatur.
Tentandam igitur belli fortunam, neque sinendos fidelis-
simos populos ludibrio simul, & libidini hostium esse:

Ii voci-

N O T Æ.

(f) Flumineque. Oleo.

(g) Deditionem fecere. inscio Antonio
Pisano oppidi præfecto.

(h) Major pars Ducis præfectorum. præci-
pue Sfortia, & Piccininus.

(i) Rem indignam clamitant sinere hostem,
&c. Non dissimiliter Minutius Magister
equitum Fabium Dictatorem incusabat,
quod Hannibalem impune in socios grassari
pateretur. Liv. Dec. 3. lib. 2.

1427 vociferare omnes in bellum : armis Venetum appetendum magis loci situ , quam viribus fidentem . Quidam (*l*) ætate , & disciplina militari peritiores , maturo , non præcipiti consilio utendum censebant : hostium res eo in loco deductas , ut una solum via , & ea perangusta , & sinuosa ad eos adiri queat , quæ magis pediti , quam equiti usui esset : reliqua omnia aquis palustribus teneri , haudquaquam equiti pervia : obsecrare , ut eam sententiam rejiciant : hostem (*m*) cunctando magis , quam decertando vinci posse : si secus ageretur , magnam ex eo venturam calamitatem . Carolus (*n*) exercitus dux neque ætate , neque usu doctior , juniorum , quos Hæctoras appellabat , voluntatem secutus , aggredi hostem statuit : singulos præfectos in ordinem structa acie ire jubens . Carminiola suos excipere hostium adventum , confertoque prælio pedites (*o*) in paludem adire , hastis , ac sagittis a lateribus ferire hostem mandat ; quæ res maximo momento victoriæ fuit : non enim poterat aut egredi e via , aut vitare crebros ictus , quibus patebant latera . Quum aliquandiu haud æquis partibus pugnatum esset , superati tandem hostes in fugam versi sunt : præfecti ferme omnes evasere cum equitatus parte . Carolus (*p*) captus est , & cum eo ad millia equitum octo : impedimenta omnia amissa , quæ maxima habita est jactura . Haudquaquam ambigitur , Philippum eo die imperio spoliari potuisse , si Carminiola captos equites

N O T Æ .

(*l*) *Quidam ætate & disciplina militari peritiores . Pergulensis , & Torellus .*

(*m*) *Cunctando magis quam decertando vinci . Fabius Maximus ex eo Cunctator dictus , quod cunctando , non pugnando Hannibalem superasset . De quo Virgilius Æneid. lib. 6.*

Quo fessum rapitis Fabii? tu Maximus ille es ; Unus qui nobis cunctando restituis rem .

(*n*) *Carolus exercitus dux . Carolus Ma-*

latesta Pisauriensis , non Ariminensis , quem supra Florentinorum ducem fuisse comperimus , ut adnotat Cæsar Clementinus Hist. Arimin. in Vita Caroli p. II. lib. 8.

(*o*) *Pedites in paludem adire , &c. nec non duo equitum millia Tolentinate Duce ad Terentianum paludis latebris se occultare jubet . Petrus Just. in fine lib. 6.*

(*p*) *Carolus captus est . una cum Angeli Pergulensis filio .*

equites detinuisset: omnes enim fere nobiliores, & bello 1427
 utiles in potestatem venerant. Sed dum obsequitur præ-
 sentibus moribus, dum cunctatur, dum prædæ partiun-
 dæ vacat, dum equites liberos dimittit (credo Philippi
 adversæ fortunæ misertus) victoria de manibus lapsa est.
 Actum enim de statu Principis illius erat, si præfectos fu-
 gientes insecutus e vestigio parta victoria, castra Cremon-
 nam admovisset. Tantus enim tumultus incesserat omnes,
 tanta rerum desperatio animis hominum inerat, tanta vi-
 ctoriæ fama veris falsa adjiciens increbuerat, ut procul-
 dubio plurimi in Venetorum ditionem sponte venturi fu-
 issent, omni spe fortunæ melioris præcisa. Poterat libere
 obsidere Cremonam, ponte Abduam nullo obsistente jun-
 gere, & populatis agris ad ipsum Mediolanum regni ca-
 put arma proferre: quæ omnia ab eo neglecta præbuere
 Venetis immutati animi, proditiōisque (q) suspitionem.
 Nam dum expugnandis, recipiendisque Brixienſis agri op-
 pidis, atque ad leviora circumagendo exercitu, tardeque
 omnia exequendo tempus terit, spatium dedit Philippo
 exercitus instaurandi. Quum enim præfecti, equitesque ad
 unum integri omnes redissent, facile fuit equorum, ar-
 morumque jacturam refarcire. Arma, & vestem Medio-
 lanenses; equos, diversarum urbium cives, oppidani quo-
 que permulti subministrarunt. Pecunia undecumque con-
 tracta. Reparato exercitu præfecti Philippi continuis in-
 cursionibus infesti Carminiolæ oppida expugnanti impe-
 dimento erant, quo minus victoria uteretur. Quamvis
 autem Philippi copiæ parum diminutæ essent, suamque
 rem summis viribus tutarentur, tamen multa timens, si-
 bique diffidens Philippus, Sigismundum Imperatorem in

Ii 2. suum

N O T Æ.

(q) *Proditionisque suspitionem*, nec immerito ex hoc ejus supplicii causam ortam, adnotat *Sabellicus Enead. lib. 2.*

1427 suum auxilium excivit: utque terrorem suspicionemque Venetis injiceret, Perbrunorum Scalam, cujus majores Veronæ, Marsilium Carrariensem, cujus pater, avusque Patavii imperitaverant, ut in Italiam ad recuperandas avitas urbes exercitum traducerent, hortatur, sperans eorum auspicio eas civitates a Venetis descituras. Ab Amedeo vero datis per causam matrimonii (f) enim ejus occulte desponderat) Vercellis (f), pacem redemit, quo ab ea parte tutior omnes copias Venetis opponeret. Cum autem externa auxilia ad terrendos hostes evocata non satis in promptu essent, quo facilius ad pacem descenderent, cum Martino Pontifice per oratores egit occulte, ut veluti sua sponte eam quæreret. Obierant insuper nonnulli (t) ex suis præfectis, qui in re militari admodum præstabant; ut multis ex causis pace sibi opus esse censeret, destituito iis viris, in quibus maxime resideret belli cura. Ineunte hyeme Legatus idem, qui prioris concordie auctor fuerat, Cardinalis (u) Sanctæ Crucis, ad componendam pacem missus, jussis omnibus quos inter bellum erat, oratores Ferrariam decernere, ipse eo proficiscitur. Florentini, ut qui pro augendo aliorum imperio certarent, pacem optabant. Amedei, qui jam occulte cum Philippo convenerat, oratores haudquaquam Philippi postulata improbant, paci assentiebantur. Veneti inter spem, metumque dubii, debilitari hostem cupiebant: hinc eos impensa, com-

N O T Æ.

- (r) *Filiam enim ejus*. Mariam, ut *Cerius* p. V. licet *Pingorius in Arboris Enodatione*, ubi de Amedeo VII. nomen reticeat.
- (f) *Datis, &c. Vercellis*. Ab Amedeo occupatæ fuerant Vercellæ, restitutæ vero Philippo dotis nomine, quod ejus filiam uxorem duxisset. Rursus tamen Amedeo a Philippo concessæ. *Bugar. Hist. Med. lib. 5.*
- (t) *Nonnulli ex suis præfectis*: Angelus Pergulensis, Fabricius Capuanus, Siccus Montagnaneus, & Antonellus Mediolanensis. *Blond Flav. Dec. 3. lib. 3.*
- (u) *Cardinalis Sanctæ Crucis*. Nicolaus Albergatus Bononiensis, ut alibi dictum est, in cujus obitu Orationem habuit Poggius, quam ut ineditam P. Georgius Carthusianus edidit *Colonia Agrippina ann. 1618.* licet una cum aliis Poggii operibus Basileæ vulgata fuisset *ann. 1538. apud Henricpet.*

communisque mars, ac belli eventus incertus, & Carminiola jam suspecta fides urgebat ad pacem : hinc ambitio, & majorum rerum appetitus bellum trahere suadebat. Philippi quoque ea postulata erant, quæ omnem belli timorem excutere viderentur. Oratores singuli, ut iustum erat, Ferrariam sunt profecti. Interim quamvis hyems esset asperrima, tamen a Carminiola multa oppida tum in Cremonensi, tum in Brixienſi agro ex hoste capta. Re pacis contentioneſ variis diutius protracta; tandem Legati (x) virtute, auctoritateque poſt quintum fere menſem, qua de agi cœptum eſt, conſtituitur Aprili menſe anni XXVIII. ſupra MCCCC. hiſ conditionibus, ut Brixia cum omnibus ejus ditioſis oppidiſ, caſtelliſque, etiam quæ ad eam diem Philippus poſſideret, iis quoque additiſ, quæ de Cremonenſibus cepiſſent; Bergomum quoque cum omnibus ſiſ uſque ad Abduam, Venetorum juris eſſent; utque quæ de Florentiniſ teneret, infra certam diem reſtituerentur. A Venetiſ dicti ſunt focii Mantuanuſ, Ferrarienſiſ, Montiferrati (y) Princepſ. A Florentiniſ, Senenſibuſ, nonnulliſque extremæ Liguriæ Dominiſ fœdere cautum eſt, & paci conſultum. Adjectum præter hæc, ut uxor, liberique Carminiolæ, qui in Philippi poteſtate ad eam diem fuerant, bonaque per eum poſſeſſa reſtituerentur. Lucenſiſ (z) tyranni nulla mentio facta; verbiſ tantummodo ſignificatum, eum pro amico ab utriſque haberi: relictique indiſcuſſi termini finium agri oppidorum, quæ ex Cremonenſium ditioſe Venetiſ tributa erant,

N O T Æ.

- (x) *Legati virtute, auctoritateque.* Illi enim ab omnibus delata componendæ pacis auctoritas fuerat, quod ſanctiſſimum virum noviffent. Attamen ut amicus habitus eſt. Ideo de eo mentionem haberi noluerunt Florentini, quia in eum bellum meditabantur, ut injuriam ulciſcerentur auxilii Philippo præſtiti, ad quem Ladislaum filium cum 400. equitibus miſerat.
- (y) *Montiferrati Princepſ.* Nec non Ornduſ & Antoniuſ Pallavicinuſ.
- (z) *Lucenſiſ tyranni nulla mentio facta.*

1428 erant, cujus rei arbiter dictus est Ferrariensis. Nemo tunc ambigebat, tanto desiderio confecta pace Florentinis, quietem ab armis longinquam fore, eosque adversos ab omni bellorum strepitu in otio quieturos: sed aut fati ita jubentibus, aut civium, quibus Reipublicæ damna questui erant, libidine, novis calamitatibus aditus est patefactus: & qui enixius quam reliqui pacem appetiverant, bellorum sumptus improbantes, quique præterita pericula, tum varias fortunæ vices horrere debebant, inconsulto impetu, minimeque justo incepto ad bellum Lucense haudquaquam necessarium biennio fere præter omnium spem profiliere. Nam post pacem factam, exercituque dimisso, Nicolaus (a) Fortebraccius Florentinorum equitum alæ bello Gallico præfectus, coactis militibus, qui missionem ægre ferebant, magna manu agrum Lucensem populabundus adoritur, causam nescio quam prætendens inanem, neque eam quæ armis disceptanda foret. Occupabat ejus urbis tyrannidem, ut antea diximus, Paulus Guinifius, qui in Philippi bello nulli hærens præcipue extra pacis fœdera relictus erat. Nicolaus (b) spontene sua prædandi causa, an nonnullorum, ut vulgo jactabatur, Florentinorum, quibus bella potiora pace erant, suafu, arma in Paulum moverit, incertum relinquo: ut tamen opiner id Florentinorum quorundam consilio actum, publicum decretum, quo postmodum adversus tyrannum bellum sumptum fuit, efficit. Insperato bello laceffit Paulus, idque Florentinorum opera fieri addubitans, per
ora.

N O T Æ.

(a) Nicolaus Fortebraccius. Montonenfis, Braccii præstantissimi ducis ex Stella sorore nepos.

(b) Nicolaus sponte an Florentinorum suafu &c. Quod dubium relinquit Poggius, apertissime refert Baptista Bevilacqua Veronenfis, qui in Lucensi bello equitum ductor fuerat, ut ex ejus MS. apud me. Habet

enim, iniquum Florentinorum primoribus visum fuisse, quod Nicolaus Lucensem aggredere, sed populi impulsu a Lucensi abhorrentis factum fuisse, ut Braccius ad Florentinorum stipendia vocaretur, dummodo oppida Lucensi erepta Florentinis cederet.

oratores (c) Nicolai injurias questus, petit, ut se vel- 1429
 ut amicum tuerentur auxilio, aut si id grave videretur,
 ne hosti ope, pecunia, subsidiove faverent: Scire enim
 se non esse unius equitum præfecti vires adeo validas, ut
 diutius in armis, suis opibus posset persistere. Respon-
 sum ambiguum datum est: neque tyranno fautores se,
 cum fœdere exceptus esset, neque inimicitiam (d) ar-
 mati, & ad bellum parati provocaturos. Quicquid Ni-
 colaus egerit, ultro nullius impulsu egisse: non esse suæ
 auctoritatis dimovere illum ab incepto, qui sui juris es-
 set, & Florentinis amicus. Ratus, quod futurum erat, Pau-
 lus, veritusque Florentinorum calliditatem, qui alieno
 nomine secum certarent, ad Mediolanensem, & ad Vene-
 tos missis oratoribus, Nicolaique injuria exposita, subsi-
 dium postulat. Captis nonnullis de Lucensi agro castel-
 lis, cum tyranno vires ad defensionem deessent, ingrave-
 scente in dies bello, hortatus est Florentinos Nicolaus ad
 eam urbem a tyranno eripiendam. Facile id quidem testa-
 batur fore in civitate nullo præsidio suffulta: se quidem, si
 pecunia, favoreque sibi assisterent, infra paucos menses ur-
 bem illis traditurum. Philippus quoque, sive ad ineundam
 cum Populo Florentino gratiam, sive ut eos novo re-
 rum discrimine implicaret, ad id bellum cohortatus, e-
 quites si opus sit, & auxilia pollicetur. Re Florentiæ in-
 ter paucos primum tentata, bellumne adversus tyran-
 num sumendum esset, sæpius quæsitis consiliis, variis
 sententiis disceptabatur, partim nova reprobantium bel-
 la, quietemque suadentium, partim id probantium
 cer-

N O T Æ.

(c) *Oratorem*. Jacobum Vinitianum, | & vitæ & honoribus restitutus fuerat. *Scip.*
 qui licet publice pro Lucensi loqueretur, | *Ammir. p. I. To. 2. lib. 19.*
 privatim tamen Florentinos in eum excita- | (d) *Inimicitiam armati*. Nicolai Forte-
 bat, magna ingrati animi significatione; | braccii.
 nam capite damnatus Lucensis benignitate

1429 certamen, ex quo civitatis opes, tanta urbe in potestatem redacta, ampliores futuræ essent. Major populi pars tyranni perdendi odio bellum affectabat: sibi enim persuasum habebant, agrum uberrimum, opulentissimam urbem usui fore, designatis præsertim pluribus magistratibus, ad quos cives quæstus gratia aspirabant: nonnulli varia inter se se jam officia partiti erant, potius ad prædam, quam ad Reipublicæ decus, aut amplitudinem intenti. Prudentiores seniores, qui ut rem inhonestam, difficilemque horrebant, asserentes incertos esse bellorum eventus, neque semper fortunam votis respondere, civitatem præterea, bello recenti exhausto ærario, pecuniis haud abundare: necessario paulo post feram pœnitentiam suscepti belli secuturam. Tandem convocato Senatu, cum sententias exquirere placuisset, Renaldus Albitius ex equestri ordine populi voluntatem secutus, in hunc modum disseruit: Scio, *Florentini cives, hanc Rempublicam diuturno bello fatigatam otio egere, & quiete, a turbine armorum semotam. Sunt enim duo hæc, quibus maxime gaudent populi, non solum salutaria, sed etiam necessaria, adeo ut qui hæc improbant, non videantur suæ urbis consulere salutem; sed longe prospiciendum est, diligenterque cavendum, ne dum otio, & quiete frui quærimus, in majora, neglectis quæ possunt accidere, pericula incidamus. Ea enim saluberrima esse nequeunt, nisi depulso timore belli, certa detur ratio otii, & quietis futuræ, sine quibus nequit pax esse diuturna: otium quippe, & tranquillitas semper appetenda sunt, nisi in his lateat suspitio majoris, & occultioris mali, quod nobis hac neglecta occasione imminere videtur: siquidem ille nactus sit tempus, quo timorem conceptum procul a se propulsare valeat. Scitis belli, quod nobis cum Duce Mediolanensi fuit, Paulum Guinifium fautorem, & adiutorem contra nos licet occultum fuisse. Nostis illum, nobis spretis, qui societatem ejus quæ-*
vimus,

mus, & filium suum cum equitum ala in auxilium hosti mis- 1429
 sisse, & juvisse pecunia. Scitis hunc tyrannum nobis semper
 infensum, neque palam hostem, sed hostili semper animo leta-
 tum nostris rebus adversis, secundis anxium. Proximo certe
 bello hostis partes secutus, contra nos erat moturus arma, ni-
 si Venetorum societas ejus vesanos impetus retardasset, ut si
 ab oppugnatione nostra destitit, non voluntati, sed metui,
 non amori, sed timori sit tribuendum; cumque nostra stipen-
 dia (e) ultro oblata contempsisset, minori commodo, digni-
 tateque ad Philippum transiit, quo major illi sua ope nos op-
 pugnandi facultas esset. Nunquam ille nobiscum fœdere jun-
 gi voluit; quoniam semper alienus vixit a nostra salute: ne-
 que id fortasse mirum. Natura enim ita est comparatum, ut
 tyranni oderint Respublicas, cum nonnisi deperdita libertate re-
 gnare queant. Nihil est magis inter se contrarium, quam
 servitus, & libertas, quam Respublica, & tyrannis,
 qua nulla est publicæ utilitati infestior. In altera legibus
 vivitur, alteri pro legibus est libido. Quo ille pacto nos
 tractaret; si adesset facultas, qui propriæ matri eripu-
 it libertatem, pessundatamque tenet in vilissimi mancipii
 modum? hunc nisi, cum tempus datur, tollamus, penitus ob-
 servabit ultionis tempus memor Nicolai injuriarum, quas no-
 bis auctoribus sibi illatas asseverat. Semper ad vindicandam
 injuriam paratus erit, si quis emerferit ad nocendum casus; ni-
 hil erit, quod ab eo negligatur, modo vos possit perdere: ho-
 stes nostros sibi, odio nostri, constituet dominos: malens se peri-
 re, quam nos salvos esse. Est præterea urbs illa propinqua
 Pisane urbi, quæ quanta cura propter incertos rerum casus re-
 tinenda sit, quis ignorat? Tollenda sedes est nostris hostibus,
 ex qua non parvum nobis discrimen imminere censendum sit.

Kk

Nul-

N O T Æ.

(e) Stipendia ultro oblata, & duplo majora, quam quæ a Philippo habuit.

1429 Nullus præterea ex Gallia nobis incumbere timor potest, nisi per civitatem Lucensem, quam scimus ab externis sæpe fuisse possessam. Prætereo utilitatem, quæ plurima futura est civibus nostris, tum fertilitate terræ, tum maris opportunitate. Nam quod quidam otium, & quietis spem præferunt, ipsi testes sumus, quanto damno nobis constat pax (f) olim cum Philippo facta. Bellum atrox, periculosumque ex pace est ortum, & adeo ancipiti status nostri discrimine, ut in periculum ventum sit libertatis: itaque non semper pax salutaris fuit, sed ea, ex qua requies longinqua spectetur, non cui inditium fraudis insit. Quapropter cum sit tutissimum providere, ne quis obesse queat, & id facile videatur, quoniam omni externa ope tyrannus destituitur, vos hortor, quibus Reipublicæ cura est, quique otium appetitis, ut accipiatis quod offertur ultro, quodque parva impensa brevi tempore Nicolaus se daturum spondet. Ampliores erant opes Pisanae urbis, cum illam a Gabriele Vicecomite emimus: opulentior certe, & civium numero, ac virtute, fortunisque validior; & tamen post amissam arcem decreto bello, omnes rerum, & temporum difficultates constantia, & virtute superavimus, eaque urbe potiti sumus, quæ antea nobis fuerat inimicissima, ut non voluntate ducti, sed extrema (g) necessitate coacti deditionem fecerint. Itaque postmodum securi ad hanc diem ab his viximus, a quibus quotidie aut suo, aut alieno Marte oppugnabamur. Itidem quo securius fruamur pace, hic a nobis tyrannus est exterminandus: neque est ut existimet aliquis, illo mortuo Lucenses libertatem esse recuperaturos. Extant plures filii, quorum (h) major penes Philippum est, cuius præsidio in tyrannide perseverabit: hæc haud incerta discrimi-

N O T Æ.

(f) Pax olim cum Philippo facta. cum gente, ut in dies plures eneati occumbent. Genuam in suam potestatem redegit, ut nos inde potentior urgeret.

(g) Sed extrema necessitate. fame ita ur- præfectus.

(h) Quorum major. Ladislaus equitum

crimina si evitare cupimus, delenda est vobis inimica ty- 1429
 rannidis sedes. Et quidem perfacilis victoria spondetur no-
 bis, & haud magni laboris opus, cum imparatus ille sit,
 nullo (i) neque suo, neque externo subsidio munitus. Odio
 est (l) praeterea omni populo, ut verisimile fiat nolle illum pro
 tyranni salute pugnare, quin potius illius exitium exoptare,
 ut iniquam excutiat servitutem. Id vero non parvi ducen-
 dum videtur, quod via, & facultas Mediolanensibus Du-
 cibus in Etruriam transcendendi praeccludetur: cum duo (m)
 veluti claustra, quibus ad oppugnandam nostram Rempublicam
 adiri possit, fuerint hostibus intersepta. Ideo, cives praestantis-
 simi, id bellum mea sententia suscipiendum decerno, quod ne-
 que diuturnum erit, neque magno negotio transigetur. Com-
 moda vero tot, tantaque ex hac victoria parabuntur, ut
 nulla majora ad praesens videantur optanda. His dictis cum
 varius in concione sermo esset tum eam aspernantium
 orationem, tum laudantium, senioresque, & qui pru-
 dentia, & rerum usu praecellere existimabantur, ut inu-
 tilem, & iniquam, maximique discriminis impugnarent;
 neque civibus conducere novis in diem bellis immisceri
 affirmarent, ne tamquam inquieti homines pacem atque
 otium odisse viderentur: tandem Nicolaus Uzanus quie-
 tem armis praeferebat hujuscemodi habuit orationem. Ve-
 tus sapientium virorum sententia est, cives praestantissimi,
 eos qui in hujusmodi locum ad consultandum accedunt, libe-
 ros ab omni morbo animi, nullique perturbationi obnoxios esse
 debere, eaque & sentire, & loqui, quae jure existimentur
 Reipublicae profutura. Itaque optimus mihi quidem ille civis

Kk 2 esse

N O T Æ.

(i) Neque suo, neque externo subsidio mu-
 nitus. non suo, quia equitum turmam Vice-
 comiti auxilio miserat; non externo, cum
 Vicecomes longe abesset, & pace facta mi-
 lites dimisisset.

Sto Lazaro Guinifio, libertatem sibi adsci-
 cere tentaverant Lucenses, cum Paulus
 Ducis copiis adjutus tyrannidem occupa-
 vit.

(m) Cum duo veluti claustra. Pisa, &
 Luca.

(l) Odio est praeterea omni populo. Interfe-

1429 esse videtur, qui paci, & tranquillitati consulens omnes suas cogitationes ad publicam referat salutem. Et certe nos omnes id in sententia dicenda sequi oportet, quod certa conjectura assequi possis salutarem, ac felicem exitum habiturum: neque si qua spes inanis futuri boni ostentetur, statim proflire ad agendum quippiam, cujus (n) postea necesse sit pœnitere, ac dicere, quod turpissimum est viris sapientibus; non putaram. Nam qui in rebus dubiis, & periculo proximis exploratum sibi finem, certumque futurorum exitum pollicentur, raro sui desiderii compotes fiunt; cum præsertim rerum humanarum, & maxime bellorum dominam (o) constet esse fortunam, cujus est eludere nostras cogitationes, & eas præcipue, quarum sit finis in ejus libidine situs. Quare ea mihi deliberatio videtur censenda esse optima, quæ procul absit a temeritate fortune. Certus sum, prudentissimi cives, clarissimi, atque integerrimi viri Renaldi orationem sincero animo dictam eo spectasse, ut eam Reipublicæ (neque enim aliter sua virtus requirit) conducere arbitraretur. Multis verbis populum ad id bellum, quod utile, exigui temporis, minimique sumptus putat futurum, cohortatus est. Verum quoniam de re agitur gravissima, & disceptando veritas elicitur, æqua ferret mente, si alienæ a sua sententiæ auctor ero. Mihi quidem tutiori, meliorique consilio videntur uti, qui pacem (p) bello præferunt, ac post diuturnos armorum tumultus, variaque e quibus emerfimus pericula, quietem & otium a bellis, ac tributis conferendis fessi quærunt, ac post longos tempestatum fluctus portum ingredi conantur, quam qui sprete pace bella ex bellis ferentes quietem aspernantur, potiusque procelloso

N O T Æ.

(n) Cujus postea necesse sit pœnitere. Sapientis est proprium, nihil quod pœnitere possit facere. Cicero Tusc.

(o) Dominam constet esse fortunam. Sic Cicero in Orac. pro M. Marcello. Maximam

vero partem quasi suo jure fortuna sibi vindicat.
(p) Qui pacem bello præferunt. Melior enim certa pax quam sperata victoria. Pax vel injusta utilior est quam justissimum bellum. Cic. de Off.

loso mari gaudent , quam tranquillo . Etenim bella suscipi 1429
 (sicuti placet prudentibus) debent , ut in pace vivamus , non
 ut post presentis mali finem aliis novis turbinibus minime
 necessariis implicemur . Hoc enim esset in continua calamitate ,
 ac miseria versari , si semper futurorum , quæ incerta sunt ,
 metu ad arma inferenda profiliremus : quæ quantum ex vo-
 to procedant , paulo ante sumus experti , ut admodum mi-
 rer non horrere nos omnes belli nomen , si mentem ad præterita
 (q) pericula referamus . Bellum nuper cum Philippo difficile ,
 ac periculosum gessimus , in quo futuri eramus inferiores , nisi
 (r) aliorum ope , auxilioque illius potentia contusa esset . At
 nos id (s) bellum quod facile sopiri poterat , alacres ultro sus-
 cepimus , longo lascivientes otio , tamquam parvi temporis ,
 & haud magnæ impense , explorataque victoriæ , ut omnes
 dicebant futurum . Id fortuna postmodum præter spem nostram ,
 & gravissimum reddidit , & temporis longioris , & magno
 cum civium detrimento . Eodem pacto bellum de quo agitur ,
 qui facili , atque brevi exitu confici posse augurantur , longe
 sua opinione falluntur , ignari incertos esse bellorum exitus ,
 martemque communem . Verum levis impensa quæ potest
 videri , exhaustis nostris viribus , & pene superiori bello con-
 sumptis ? Poterat hoc dici , si recentes , non fessi bellum susci-
 peremus . Parvus labor ingens est debilibus corpore , & bre-
 vis via longo fatigatis itinere videtur esse longissima . Exi-
 nanita pecuniis civitas , quodcunque etiam leve tributum ,

gra-

NOTÆ.

(q) Ad præterita pericula . Cum fuso a-
 pud Zagonaram exercitu , & Carolo eo-
 rum duce capto in libertatis discrimen ad-
 ducti fuerint .

(r) Nisi aliorum ope . Venetorum scili-
 cet , ad quos confugerant .

(s) Id bellum quod facile sopiri poterat . Ses-

mo est de bello Forilivii causa suscepto ;
 quod declinare poterant , illis parcendo , a
 quibus Lucretia Ordellaffea expulsa fuerat .
 Id Mediolanensi postulanti responsum a
 Florentinis fuit , non esse sua dignitatis his ac-
 quiescere .

1429 *gravissimum* judicabit, *pertaesa* (τ) tot *sumptuum*, quot nuper subire coacta est. Quid enim *causae* attulimus olim, cum pace nobis opus esse *praedicaremus*, nisi *ciuitatem* auro, & argento *inanem* ob diuturnos, ac *graves* belli *sumptus* ad *tributa* solvenda *obduruisse*? *Gravis* ergo, non *levis* sit *quaevis* *jaectura* *pecuniarum* *necesse* est, & non *facile* *ferenda*; *facilitatem* vero, aut *breuitatem* belli *perficiundi* qui sibi *despondet*, longe a *recto* *abest* *judicio*. *Multa* enim *possunt* in *diem* *emergere*: *mutabiles* quippe *sunt* *hominum* *mentes*, *quae* *adversari* poterunt *cogitationibus* nostris: *plura* *praeter* *spem* *evenire*, *quae* *bellum* *longius* *trahere*, & *difficillima* *reddere* *queant*, *quae* *videntur* *facillima*: *multa* *tempus*, *multa* *casus*, *multa* *fortuna*, (υ) *multa* *rerum* *varietas* *secum* *ferunt* a nostris *consiliis* *remota*, in quibus *tamquam* *certis* *desigere* *mentem* *parum* *prudentis*, & *nimum* *de* *fortuna* *potestate* *sibi* *spondentis* *esse* *videtur*. *Quis* enim *vestrum* *novit*, *quid* *sit* *suscepto* *bello* *eventurum*? *quae* *sors* *illius* *eveniat* *nobis*? *quis* *novit* *hominum* *partim* *novas* *res* *appetentium*, *partim* *invidorum*, *partim* *sibi* *prospicientium* *voluntates*? *Vereor* *profecto* *ne* *liuor*, *odium*, *timor*, *emulatio*: *plures* *nobis* *adversantes* *excitet*. *Quis* *divinare* *potest*, *an* *Philippus*, *vir* *inquietus*, *suas* *copias* *subministret* *tyranno*, *non* *tantum* *illius* *causae* *favendi* *cupidus*, *quantum* *fugiendi* (x) *molestias* *militares*? *cui* *exploratum* *est*, *an* *Pontifex* *in* *senso* *adversus* *nos* *animō*, *sit* *eam* *urbem* *nobis* *subjici* *permissurus*? *Cui* *manifestum*,

N O T A E.

(τ) *Pertaesa* tot *sumptuum*, quot nuper subire coacta est. post pacem factam Volaterranorum defectio, & Ludovicus Marradi Dominus tributa solvere detrectans ad bellum valde sumptuosum rursus Florentinos aegerunt. Poggium increpat *Ammirat. p. I. To. 2.* quod haec non referat, quae in ejus aetatem inciderunt.

(υ) *Fortuna*, *rerum* *varietas* *multa* *ferunt*

a nostris consiliis remota. Concordat cum dicto Ciceronis. *Fortuna* *efficit* *multa* *improvisa* *nobis* *propter* *obscuritatem* *ignorationemque* *causarum*. in Acad. Quæst.

(x) *Quam* *fugiendi* *molestias* *militares*. Si enim Lucensi copias tribuat, Florentinos oppugnabit sine ulla belli molestia, quae tota penes Lucensem erit.

stum, an Senenses (y) de sua libertate solliciti, sibi que timen- 1429
 tes pro tyranni defensione nobis bellum inferant? Quis tam
 prudens, tam exquisito consilio, ut sibi certam victoriam spon-
 deat? Quis fortunam semper in bellis dubiam, ac dominantem
 secundam sibi fore polliceatur? Multa, variaque sunt discrimina,
 quæ bellorum casus secum portant, ut majorem timorem
 incutere, quam spem ullam debeant afferre. Nam quod otium,
 & quietem ita laudavit vir optimus Renaldus, ut in eis
 belli suspicionem latere asseveraret: nulla tam recta, tam san-
 cta res reperietur, quæ non in pejorem flecti partem disputan-
 do queat: nulla tam justa, tam probanda, quæ per-versas
 iniquorum calumnias, & malignitatem non recte interpretan-
 tium possit effugere. Nulla est virtus, quæ sit a detractoribus
 libera. Quod certius bonum, quod salubrius (z) pace? quod
 Deo acceptius reperitur? Quid otio, & concordia utilius, quid
 optabilius quiete? At nos hæc omnia altercando, & retractan-
 do in contrarium videmus trahi; & quæ honesta apparent, a
 multis turpia, & quæ utilia, incommodis plena reputari. Nos
 profecto rationem secutos ejusmodi inanes suspensiones effugere
 oportet, & eis quoad datur uti bonis, quæ divina potius quam
 humana recte appellantur. Ego quidem pacem, & otium ap-
 petens hujus belli eventum infelicem horreo: tyranni vero se-
 cundam fortunam extimesco; cum haud dubie credendum sit,
 Deum magis fauturum repellenti injuriam, quam inferenti,
 magisque se, suaque tutantium saluti, quam oppugnantium
 cupiditati prospexiturum. Non est profecto, non est aut æqua
 causa, aut justa, quæ nos impellat ad Lucense bellum: nisi
 fortasse justam causam bellorum, dominandi cupiditatem judi-
 cemus. Si non sensit nobiscum, aut noluit, aut non (a) po-
 tuit,

NOTÆ.

(y) Senenses. Florentinum nimis propinquum extimescebant, qui jam Pisis captis omni pene ex parte eos circumdabat.
 (z) Quid salubrius pace? Et nomen pa-
 cis dulce est, & res ipsa salutaris. Cic.
 (a) Aut non potuit. Quomodo enim Paulus Guinifius, qui Mediolanensis auxilio Luca potitus fuerat, ei poterat adversari?

1429 tuit, aut sibi, & patriæ quieti prospexit, procul a bellis esse voluit. Quod consilium haudquaquam reprehendendum videtur. Id ille egit, quod præsens tempus tunc postulabat, quod salutis suæ conducere arbitrabatur. Nunquid ille nostro arbitrio consilium de sua re erit capturus? Liberum est hominum sua administrandi arbitrium. Quod si qua est data nobis indignandi occasio adversus eum, qui ad hostem nostrum, filium armis suffultum misit, quid meruit civitas universa semper ejusdem factionis, ut plurimum (b) socia, & amica nobis? nunquid plecti pro tyranni, quem summopere oderunt, culpa merentur cives? Si eo pulso ad nos civitas quaesitum mittat, quaenam ratio sit propter quam eos armis in servitutem redigere queratis, a quibus nulla in re aut lesi fuistis, aut laceffiti: quid his respondebitis? quam honestam belli causam afferetis? nullam certe, nisi ambitionis crimen, & imperandi summam cupiditatem. At nullo neque divino, neque humano jure permittitur per injuriam, & iniquitatem aliena usurpare. Iusta causa debet esse bellorum, quæ aut pro injuriis propulsandis, aut suis repetendis suscipi debent, aut pro patria conservanda, & horum bellorum felices esse exitus solent. Injusta vero arma raro victoria comitatur; infamia, dedecus, opprobrium, odium sequi solet. Quam ille nobis injuriam infert? quid eripuit nostri? quod bellum patriæ intulit, ut hæc armis sint vindicanda? Si Pisanam urbem vi & armis cepimus, id optimo a nobis jure factum est. Nam primo ab eo cujus vendenda jus, potestasque erat, emptæ est: tum eam invasimus urbem, quæ ut plurimum hostili erga nos animo semper fuit, & odio fere immortalis, a qua multa nobis discrimina summa cum nostra pernicie emergerunt.

N O T Æ.

(b) Ut plurimum socia. ut etiam in bello Pistoriensi foederi ascripta anno MCCCLXX. nec non deinde anno MCCCXCV.

(c) Ab eo cujus vendenda jus, & potestas erat. a Gabriele Maria, cui Pisæ & Galeatii testamento obvenerant.

runt. At Lucensis ciuitas contraria Pisanis semper natura 1429
 fuit. Nam & alterius (d) factionis partes secuta est, &
 nunquam nos appetiit bello, sed multis (e) bellorum cala-
 mitatibus nobiscum sensit, ut abominandum (f) videatur
 nos velle eam subigere urbem, quæ plura in nostram Rempu-
 blicam merita recensere queat. Nihil est in hominum vita ini-
 quius, aut perniciosius ingratitude, quæ omnia complecti sce-
 lera videtur; neque enim aut amicitiae iura tueri, aut ve-
 nerari parentes, aut Deos colere, aut alicui beneficio responde-
 re ingratus potest. At quid ingratius reperias, quam bene de
 nobis meritos armis pessundare, & ejus moliri seruitutem ci-
 uitatis, quæ (g) ne nos seruiremus, omni ope, auxilioque
 pugnavit. Quamobrem hortor vos, oroque, ut non tam re-
 pente hoc bellum suscipiatis, ejus præsertim verbis freti, cui
 (h) bella questui sunt; cuius nil refert, victine, an victo-
 res abeamus: cuius maxime interest bellum trahi longius, quo
 plus stipendiorum accipiat a nobis: qui id offert, quod dandi
 nullam habet potestatem. Mea quidem opinio est, ab injustis
 armis abstinendum esse, potiusque pro honore nostro præteritas
 tyranni injurias æquo animo tolerandas, quam propter illius
 odium ciuitatem de nobis optime meritam oppugnandam.
 Deum oro, ut eam vobis mentem in deliberando præstet,
 quæ sit consentanea & honori nostræ Reipublicæ, & salutem.
 Varius deinde diversa sentientium animus fuit, pro ut pri-
 vatum quæque commodum trahebat; tamen ut sæpif-
 sime contingit, melior pars a majori superata est; bel-
 lumque decretum Decembri mense, nono & vigesimo

LI post

NOTÆ.

(d) Alterius factionis. Ghibellinæ.

(e) Multis bellorum calamitatibus nobis-
 cum sensit. ut anno MCCLX. in Senensi
 bello, ann. MCCLXXXIX. in bello A-
 retino, & Pisano.

(f) Ut abominandum videatur, &c. Si ni-
 hil turpius quam cum eo bellum gerere cum
 quo familiariter vixeris, ut ait Cic. in Philip.

quid si cum eo bellum geratur, a quo bene-
 ficia semper acceperimus?

(g) Ne nos seruiremus, omni ope auxilioque
 pugnavit. contra Henricum Imperatorem,
 Florentiam ann. MCCCXII. obsidentem.

(h) Cui bella questui sunt. de Nicolao
 Fortebraccio sermo.

1429 post mille quadringentos anno, Decemvirique, (i) qui bello præessent, quoniam haud longius trahi posse arbitrabantur, ad sex menses creati. Maxime populum ad id bellum incitasse dicitur memoria Ladislai a tyranno in Ducis auxilium, dum præcipue bellum arderet, destinati. Alii quorundam civium ambitionem, cupiditatemque, quibus bella usui erant, opesque eorum aliorum damno augebantur, plusæquo valuisse tradunt, Nicolaumque privati cujusdam civis consilio ad arma tyranno inferenda motum, cui confestim scriptum est, ut quod bellum antea sponte sua movisset, & auctoritate populi Florentini administraret. Berardinus (l) quoque Ubaldinus cum pluribus equitum turmis ad id bellum denuo conductus, multæque equitum, ac peditum alæ scriptæ. Ad purgandos vero Florentinos ab injuria suscepti belli, ad Pontificem Martinum, ad Philippum, Venetos, Senenses, Bononienses, & ad Ferrariensem oratores missi. Omnes perplexe responderunt, excepto Philippo, qui rem laudavit, suamque (m) in Florentinorum gratiam ad id bellum est operam pollicitus, callido quidem animo, quo nova molestia vexarentur. Paulus posteaquam Florentinorum consensu se oppugnari animadvertit, legationesque auxilium postulantes fuisse irritas, in primis Senenses sollicitavit, si quo pacto excitari possent, ad belli societatem suadendo (n), hortando, monendo. Testabatur, *se de victo, Florentinos Senarum imperium appetituros. Eisdem*

N O T Æ.

- | | |
|--|--|
| <p>(i) Decemvirique ad sex menses creati. Carolus Federicus, Nerius Capponus, Leonardus de Bardis, Alamanus Salviatus, Andreas Sacchetti, Bartholomæus Cenducius, Joannes a Stufa, Martinus Lucæ, Martini Notarius, Joannes Puccius, & Henricus a Curfu. <i>Ammirat. p. I. To: 2. lib: 19.</i></p> | <p>(m) Suamque, &c. operam pollicitus est. Auxilium Florentinis est pollicitus, & Franciscum Sfortiam cum omnibus militibus ad Lucensis stipendia ire jussit, eum se dimisisse simulans.</p> |
| <p>(l) Berardinus Ubaldinus. <i>della Carda</i> appellatus.</p> | <p>(n) Suadendo, hortando, &c. Eisdem, prorsus argumentis Florentinus legatus belli societatem in Philippum Venetis suaserat, ut in præcedenti libro.</p> |

dem armis eorum libertatem ablaturus, quibus sibi imperium 1429 eripuissent. Expergiscerentur, dum tempus, & facultas daretur consulendi, dumque saluti suæ prospicere facillime possent: nullo pacto illis caveri posse, si victoria potiatur Florentinus: neque quieturam Luca capta, neque ulla pacta, aut fœdera servaturam eam gentem, apud quam nihil sanctum esse, aut inviolatum ambitio sineret, & avaritia. Cum egeant, aut aliquo in periculo versentur, multa illos polliceri solitos: transacto periculo, nulla promissa, nulla pacta, nulla conventa servari, sed omnia pro eorum utilitate pensari: verosimilius videri Florentinos studiosius appetituros eam (o) urbem, quacum manus sæpius conseruissent, & quæ quæsierit ejus calamitatem, quam quæ semper in fide, societateque vixisset. Hæc pluraque aliæ in eam sententiam dictæ excitant Senensium animos jam sua sponte titubantes ad consultandum, quid rebus suis conducere. Et infensa, & dubia eis erat Florentinorum potentia, neque dubitabant, quin devicta ea urbe in se a Florentinis arma moverentur. Multæ ad id suspensiones eos impellebant, & ea præcipue, quod audierant Florentiæ nonnulla in vulgus jactata, ac decantata verba, quibus haud obscure bellum Senensibus nuntiabatur. Igitur e vestigio oratores tum Venetias, tum Florentiam mittuntur. Hi ut hortarentur ad omittendum bellum nulla iusta causa susceptum, ne cogerentur per vim oppresso Lucensi opem ferre; alteri ut rogarent, ut pacis componendæ auctores essent, simulque peterent utrum se adjuturi forent, si a Florentinis oppugnarentur. A nostris responsum est, haud (p) injuria illatum tyranno bellum, tum quia Ladislaum in rebus eorum dubiis ad-

L. l. 2. ver-

N O T Æ.

- (o) *Eam urbem.* nempe Senas. | bellum Guinifio movere poterant, quem
 (p) *Haud injuria illatum tyranno bellum.* | ut amicum exceperant, licet de eo in fœde-
 Florentinos excusat Poggius, quos tamen | re nulla mentio esset. Nulla porro post pa-
 auctores reliqui criminantur; non enim | cem injuria ab eo Florentinis illata fuerat.

1429 versus se misisset hosti, tum quia falsa calumnia culpasset tyrannus, Nicolaum Florentinis hortantibus se armis appetisse: æquum videri ei, cum injuste, & per alterius injuriam queratur, justam dari causam criminadi: se cum Senensibus antiquum servaturos fœdus, nihilque acturos, quod ab eorum societate alienum esse censeretur. Venetorum oratio fuit, si a Florentinis in Senenses intentarentur arma, non (q) posse se æquo jure illorum libertatem tueri, cum in fœderibus contractæ pacis socii a Florentinis sint adscripti. Reversi oratores cum quæ acta erant exposuissent, maxima cura civitatem invasit, cœptumque tractari, quo maxime modo tyranno opitularentur. Nam si is succubuisset, & Florentinorum vires timebant, & auxilia desperabant, cum neque Mediolanensem, neque Venetos sibi confiderent fautores. Nicolaus interea, atque
 1430 Ubaldinus Lucensem agrum tum populationibus, tum oppidorum, quæ multa ceperant, præda infestum reddebant. At tyrannus (r) cum fluctuantes Senensium animos sensisset, pecunia se illos impulsurum in suum subsidium ratus, grandem vim auri Senas misit, qua equites, peditesque contra Florentinos conducerentur; & cum plures pecunias se daturum promitteret, e vestigio inferendo bello statuerunt. Antonio Petruccio (s) optanti, quærentique comparandi militis negotium datum, qui Romam profectus, copiisque haud abnuente Pontifice scriptis, cui bellum Lucense permolestum erat, ac mari eis Lucam delatis, aliis quoque in agro Bononiensi paratis, quæ paulo

N O T Æ.

(q) *Non posse se, &c. cum in fœderibus contracta pacis, &c.* Optima licet Venetis oblata esset occasio cum Senensibus, & Lucensibus fœdus ineundi; hisque sociis & Florentinos debellare possent, & Pisano portu potiri ad maritimas expeditiones tutandas peropportuno, nihil tamen apud eos plus valuit, quam ratio fœderis.

(r) *Tyrannus.* Lucæ Paulus Guinifius.
 (s) *Petruccio optanti, quærentique.* Non gloriæ, aut lucri causa Guinifio auxiliari studebat Petruccius, sed ut Florentinorum injuriam ulcisceretur, qui eum Prætoris Lucæ dignitati inhiantem, alio Lucensibus proposito, expulere. *Ammirat. lib. 20.*

paulo post ad Florentinos defecere, Lucam proficiscitur . 1430
 Cum hyems adventaret, quiesque tam apud eos, qui ob-
 sidione urbem cinxerant, quam apud obsessos fore vide-
 retur, Antonius (*t*) Senensis Florentinis adversus, cui a
 Republica defendendi tyranni causa demandata erat, Ge-
 nuam ac Mediolanum profectus, & Genuenses & Philip-
 pum ad præsidia Guinisio præstanda hortatus est. Super-
 biam insuper, ambitionemque Florentinorum culpabat,
 qui dominandi cupiditate semper cum finitimis decertave-
 rint: minime in eorum rem videri asserebat eam urbem
 subjici populo Florentino: dari aditum terra hostibus pu-
 gnandi cupidis invadendi Liguriam, & in Galliam trans-
 eundi. Multaque in eam sententiam differuit, quæ Phi-
 lippum moverunt in auxilium tyranni, & ejus a pace ad
 belli curam mentem convertere. Sed calliditate, astuque,
 non aperto consilio usus, Franciscum Sfortiam & tyran-
 ni, & Senensium stipendiis conductum auxilium obsessis
 ferre cum duobus equitum millibus mandavit. Ab Anto-
 nio insuper plures piratæ Catalani (*u*) pecuniis receptis
 omne Pisanum litus infestum reddentes, expositis militi-
 bus, onusti omnis (*x*) generis præda ad naves revertun-
 tur. At Florentini, cum nullæ, aut parvæ Lucensem co-
 piæ ad eam diem tyrannum tutarentur (nondum enim
 ulla (*y*) subsidia advenerant) obsidere urbem, & com-
 meatu prohibere parant. Nicolaus igitur, & Berardinus
 partitis copiis binis (*z*) castris cinxere urbem, singulis-
 que portis singulæ stationes erectis castellis oppositæ, per-
 multæque machinæ ad diruendos muros additæ. Ex con-
 tem-

N O T Æ.

(*t*) Antonius Senensis . Petruccius .
 (*u*) Piratæ Catalani . Sex triremibus Lu-
 censi auxilio fuere .
 (*x*) Omnis generis præda . Navem in ipso
 Liburni portu prædati sunt, Blond. Flav.
 Dec. 3. lib. 4.

(*y*) Subsidia advenerant . a Philippo ,
 & a Genuensibus , qui licet Mediolanensi
 parent, multa tamen suo arbitrio & au-
 toritate agebant . Ammirat. lib. 20.
 (*z*) Binis castris cinxere urbem . Ad o-
 rientem , ac meridiem dispositis .

1430 temptu hostis negligentia in castris , ut fit , secuta est ,
 omnisque rei militaris cura omissa . Qua re animadver-
 sa , delectæ juventutis cives , tum mercenarii (a) milites
 ad duo millia sub ortum solis eruptione facta Nicolaum
 adoriuntur , pelluntque castris , & in fugam vertunt ;
 fuissetque magna clades eo die accepta , nisi eruptione au-
 dita Berardinus (nil enim minus timebatur) subsidio fu-
 gientibus occurrisset , cujus adventu hostes nonnullas bom-
 bardas secum raptim ferentes in urbem revertere . Tenta-
 tis omnibus , cum neque obsidione , neque præliis tyran-
 nus ad deditonem compelleretur , alia ratione expugna-
 re urbem statuunt , auctore Philippo Brunellesco , maximo
 omnium ejus tempestatis architecto . Is opus aggreditur dif-
 ficile sane , ac laboriosum , quod incassum evasit . Nam
 regionem urbi propinquam contemplatus , primum flu-
 men Auxerim oppositis repagulis reprimere ab aqua-
 rum cursu , ita ut in immensum excreceret , deinde lata
 fossa aquam in urbem inducere , tum cæteros rivulos in
 alveum fluminis derivare ad augendam aquæ vim ,
 quo plana urbis aquarum inundatione mergerentur , sta-
 tuit . Sed nil usui contulit susceptus labor . Nam cives
 postquam veluti diluvium sibi parari intellexerunt , præ-
 altis aggeribus circum urbem , qui vim aquarum exci-
 perent , e regione fluvii erectis , id periculum declina-
 runt . Deductas enim versus urbem aquas rejecerunt agge-
 res , quibus securi cives , facta eruptione disturbatisque ho-
 stium operibus aquas ad castra Fortebraccii defluere com-
 pulerunt , qui magno ab aquis accepto incommodo , lo-
 cum

N O T Æ .

(a) Mercenarii milites . a Petruccio con- cano , in quo se equitum ductorem fuisse)
 ducti . Hanc Lucensium eruptionem , & asserit , hocque , ne sua & Braccii famæ of-
 pene Fortebraccii cladem omittit Joan. ficeret .
 Bapt. Bevilacqua Veronensis MS. de bello. Lis.

cum (*b*) mutare compulsus est. Erant interea apud Me- 1430
diolanensem Ducem Venetorum , (*c*) ac Florentinorum
legati , hortantes inter cætera , ut nil novi ageret , quo
pax violata censeretur . Præsenferant enim animum
suapte natura mobilem , atque inconstantem , de mittendo
Lucensibus subsidio agitare : qui unum in ore , aliud in
pectore habens , nil sibi antiquius pace respondit , nil-
que acturum se , quo turbata ab eo quietis , aut otii ulla
oriretur suspicio : ideoque præfectos equitum , quibus ad
eam diem stipendia subministrasset , missos esse facturum .
Callidum id responsum fuit , cum pro evitanda belli su-
spicione eis se commeatum daturum diceret , quos ad bel-
lum Lucense antea destinasset . Occulte igitur egit cum
Francisco , ut spreto (*d*) armorum otio missionem flagi-
taret . Is magnopere , tamquam (*e*) in re nova , multis ver-
bis palam contendit a Duce , ut abire liceret : velle se Be-
neventum proficisci , quoniam sibi conducere arbitraba-
tur bellis , quæ in regno Neapolitano orta dicebantur , in-
teresse . Accepta clam pecunia , cum equitibus , peditibus-
que veris principio Parmam versus movit : ubi suos expe-
ctare simulans , præmio omnibus , qui se sequi vellent , pro-
posito multos ex composito a Duce dimissos conduxit .
Magna coacta manu , cum plures ad eum convenissent , ne
pro profectioe Beneventum proposita Lucam peteret , du-
bitabatur ; sed quia verisimile erat illum ex animo loqui ,
quod optabant , facile plures credebant . Et jam Medio-
lanensis dolo militiæ venia impetrata , Antonius Pontade-
reus,

NOTÆ.

(*b*) *Locum mutare compulsus est* . ligneis
castellis in hostium potestate relictis , quibus
dirutis , Lucenses oppida plura recepere , &
Florentinum agrum depopulati sunt . *Ma-*
lavolt. Hist. Sen. p. III. lib. 2.

(*c*) *Venetorum , ac Florentinorum le-*
gati . Andreas Contareus , & Lauren-

tius Medices .

(*d*) *Spreto armorum otio* . pace enim fa-
cta , arma otiantur .

(*e*) *Tamquam in re nova* . de qua scilicet
nullus clandestinus sermo habitus esset , sed
ex se tantum prodiret .

1430 reus, vir audax, & in Florentinos animo infesto, cum octingentis equitibus Ducis stipendio, ut dictitabant, defunctis Lucam profectus omnia ferme castella a Fortebraccio capta in potestatem redegerat, animumque, & vires tyranno addiderat: cum Sfortia nequicquam tentatis omnibus via Parmensi, ut alpes superaret (saltus enim omnes ab ea parte firmissimis præsiidiis tenebantur) Pontremolum deflexit, tutoque in Etruriam descendit cum plurimis equitum turmis, peditibus octingentis. Lucæ appropinquans Nicolaum obviam prodeuntem commisso prælio fudit. Qua ex re Florentinorum copiæ retro Pisas (f) versus tribus passuum millibus cessere, castellis quibusdam portis urbis oppositis cum præsidio relictis, quæ Franciscus, cum Florentini acie certare nollent, brevi tempore expugnavit. Dolum Ducis conspicati Decemviri, majoribus copiis exercitum auxere: Franciscus cum spe prædæ, tum ut hostis potius suis tuendis, quam alienis oppugnandis operam cogeretur impendere, unacum tyranni (g) filio Vallem Nebulæ, regionem pacatam atque opulentam, ingressus Stilianum oppidum captum magna vi diripuit. Urgente deinde comæatus inopia Lucam reversus, cum stipendia a tyranno peteret, isque avarus, & magna ex parte pecunia exhaustus procrastinando tempus tereret, a Decemviris vero ad relinquendum tyrannum pecunia sollicitaretur, non ut fidem solveret, sed ut post semestre, quo conductus fuerat, Beneventum, ut palam prædixerat, diverteret, tyrannus quoque magnis promissis ad urbem tradendam alliceretur: cuncta ordine Philippo per internuntios significat. Ille damnata hominis avaritia, qui imperio privari,

N O T Æ.

(f) *Pisas versus, &c.* in Ripæ fractæ col- | duxerunt.
 lem, qui medius Pisas inter, & Lucam na- | (g) *Tyranni filio*. Ladislao natu ma-
 tura loci munitissimus erat, exercitum re- | jori.

vari, quam pecunia carere mallet, sollicitatus præterea 1430
 a Senensi ad spoliandum urbe tyrannum, asserente maximam auri, argenti que vim ab eo possideri, ingentis spe prædæ ductus, simul veritus, ne ad Florentinos deficeret, consilium arripit, mandatque Francisco, curet, ne quid privatæ colloctiones afferant detrimenti, & Senensi quoque datum est negotium tyranni capiendi, si quid moliretur novi. Erant in Florentinorum castris, qui adulterinis (h) litteris Franciscum, ac tyrannum in mutuum odium acuerent, alteri alterius secreta consilia detegere simulantes; qua ex re aucta utrinque prodicionis suspicione, malivolentiaque non minima contracta, Franciscus decrevit tandem populum ad defectionem impellere. Communicata cum Senensi (i) re, ac occulta cum Florentinis tyranni colloquia culpans, facile cives ad rebelandum commovit. Præstituta (l) die Antonius acceptis satellitibus, arcem sub negotii spem ingressus tyrannum (m) cum filio capit. Direpta (n) supellectile, pecunia multo minor fama, partim ad Philippum missa, partim usui reservata. Captivi (o) duo ad Ducem missi. Civitas restituta libertate, antiquos magistratus creat. Franciscus simulata profectioe, quo promissa a Florentinis pecunia daretur, a Senensibus postulat, ut oppida, M m quæ

N O T Æ.

(h) *Adulterinis litteris*. simulato amicorum caractere confictis.

(i) *Cum Senensi*. Antonio Petruccio, nec non cum Petro Cinnamio, & Joanne Chivizzano Lucensibus civibus.

(l) *Præstituta die*. Paulum Guinifium lecto recumbentem captum refert *Joan. Bapt. Bevilag.* a Petruccio, cui arcis ingressus patebat: huic enim se totum crediderat Guinifius.

(m) *Tyrannum cum filio capit*. Tyranni filius non a Petruccio, sed a Francisco Sfortia captus fuit, qui Lucensis eventu audito, Ladislaum ejus filium apud se in castris de-

gentem detinuit, ut *Bevilag.* supra citatus, & *Malavolt. Hist. Sen. p. III. lib. 2. Ammirat. lib. 20.*

(n) *Direpta supellectile*. Quæ sexaginta aureorum millibus censebatur, ob margaritas præcipue, quæ pene omnes Mediolani oppignorata, ut ex eis stipendia militibus persolverentur. Sed pretiosissima quæque sibi duces reservarunt. *Baptista Bevilagua de Bello Lucano MS.*

(o) *Captivi duo ad Ducem missi*. Paulus Guinifius cum Ladislao filio, qui infelici exitu defecere.

1430 quæ paternæ ditionis fuerant, ab eis post obitum occupata restituerent: quod si negligenter, armis jus suum vindicaturum. Hac spe Florentinis injecta, grandem (p) illi pecuniam persolvunt. Acceptis quoque a Lucensibus nummis, se veris principio reversurum pollicetur: instare etenim hyemem, quæ tum eis tum suis equitibus ex annonæ caritate gravis admodum futura esset: sed in tempore se affore promittit. Inde profectus converso itinere Galliam versus, Mirandolam oppidum petit. Post recuperatam libertatem Lucenses, legatos Florentiam mittunt, pacem orantes, quam pulso tyranno se habituros sperarent: rogare ut potius suorum quondam erga Florentinum populum meritorum meminissent, quam injuriarum tyranni, quæ se invitis, ac flentibus accidissent: se æquis conditionibus postulare pacem, quæ utrique populo videretur profutura: commemorare pericula bellorum, & varios fortunæ casus, ac dicere certam pacem speratæ victoriæ præferendam. Responsum tulere non deserturos bellum Florentinos, quod justis ex causis suscepissent, non libertatem ab illis partam, sed novam (q) tyrannidem quæsitam esse: proinde abirent, ac præsentis temporis consulerent, meliori conditione futuri, si urbem sponte traderent, quam si coacti vi, & armis superarentur. Legati dato responso Lucam reversi, a Philippo & a Francisco spe subsidii oblata, populum ad defensionem hortantur, asserentes Dei opes minime defuturas. At Decemviri Francisci discessu, omni Lucam præsidio spoliatam cito in potestatem venturam arbitrati, novis conductis copiis, au-

N O T Æ.

(p) *Grandem illi pecuniam persolvunt.* De-
 mentia Florentinos arguit *Ammiratus*, alii-
 que scriptores, quod pecuniam Sfortiæ per-
 solverint, ut discederet, cum hyeme adve-
 niente diutius jam morari nequiret. Disces-
 sit vir callidus, Guiniffi spoliis, Lucen-
 sium, Florentinorumque nummis ditatus.
 (q) *Novam tyrannidem quæsitam esse.* &
 longiori tempore duraturam, potentiore
 domino, nempe Mediolanensi Duce,

auctoque exercitu, denuo urbem obsidione cingunt, ca- 1430
 stellisque pro numero portarum ædificatis, cives & fa-
 me, & continuo labore fessos urgent acrius, adeo ut ob-
 sidionem minime laturo amplius viderentur. Philippus
 vero, qui bellum ad eam diem aluerat, cum non igno-
 raret Florentinos in belli sumptus auro, argentoque ex-
 haustos, jam pertæfos cœpti, quo illos novo fatigaret bel-
 lo, cum Genuensibus (r) egit, ut Lucenses primum in
 fidem reciperent: tum a Florentinis peterent, ne hostilia
 arma in eos inferrent, qui societate, & amicitia (s) se-
 cum juncti essent. Igitur post contractum fœdus orato-
 res Florentiam mittunt, postulantes, ut a bello desiste-
 rent, neque fociis molesti essent, quos sibi tuendos susce-
 pissent. Ad ea responsum est, mirari populum Florenti-
 num, civitatem natura servam, neque tunc sui juris,
 sed alteri subjectam petere quod eorum arbitrii minime
 foret: nihil enim a Genuensibus agi posse, quæ ad pu-
 blicam rem spectarent, nisi quatenus ab eo, qui eis im-
 peraret permitteretur. Ideo docerent, si quid a Duce
 Mediolani eorum domino, de ea re mandatum esset:
 non enim eorum esse juris, aut velle, aut nolle quic-
 quam, nisi quantum a Duce tribueretur. His verbis le-
 gati admodum irritati animo abiere, minitantes paucos
 infra dies cognituros illos liberine, an servi forent, con-
 festimque cum Genuam rediissent, Nicolaum Piccininum,
 Philippi exercitus ducem præstantissimum, qui in hybernis
 apud Ligures erat, rebus omnibus jam antea a Mediola-
 nensi instructis, subsidio Lucensibus mittunt. Dum hæc
 parantur, obsidioni urbis intenti Florentini ducem belli

M m 2 Guid.

N O T Æ.

(r) Cum Genuensibus egit, ut Lucenses, &c. | (s) Amicitia juncti essent. Lucensium,
 Ne ut fœdifragus accusaretur, Lucensibus | enim Genuenses duo oppida, Petram san-
 auxiliatus non est, sed Genuenses occulte | etiam, & Mutronium sibi oppignorata tene-
 sollicitavit. | bant.

1430 Guidantonium Feretranum, Urbini Comitem, sua, (t) & majorum gloria clarum, cum sex equitum, peditum vero quatuor millibus, præter auxiliares copias, quæ Decemvirorum jussu ad id bellum convenerant, creant: ejusdemque (u) nominis Faventinum principem, qui sub Feretrano militaret, conducunt. Interea Philippi conspecta fraude Veneti, qui Genuensium nomine Nicolaum adversus Florentinos missum intelligerent, per oratorem apud Ducem queruntur, violata esse ab eo pacis fœdera, qui præter conventa præfectos suos variis fallaciis, confictisque tabellis in auxilium Lucensium ire jussisset: non enim tanta calliditate id machinamentum fuisse actum, quin aperta vestigia appareant, omnia ea consilia a se profecta. At ille consueta simulatione, nulla sua opera id factum fuisse testabatur; Genuensium opus esse, qui socio, & amico auxilia decreverint. Neque vero id a se potuisse prohiberi. Quamvis enim sub ditione forent, nullo tamen pacto, nulla lege vetari, quin cui velint, propriis sumptibus auxilio esse queant. In multis enim libertatem illis concessam, qua suo jure uti possent; licere quoque & Venetis secundum fœderum formulam subsidia Florentinis, quæ velint, mittere. Hoc dato responso, cum Venetias orator revertisset, haud ignavis Philippi consilii (palam enim erant) Venetis visum est nildum novi tentandum esse. Suadebatur tamen a Florentinis, ut bellum instaurarent, cum magna pars præfectorum, qui sub Philippo militabant, abesset. At illi prioris belli impendio debilitati decrevere haudquaquam novo distineri bello. Interim Piccininus Mara flumine trajecto, ad Petram sanctam

N O T Æ.

(t) *Sua, & majorum gloria.* quorum, Rosa aurea a Pontifice hunc donatum repleurimi exercitus duces fuerunt, ut Comes | fert *Ammirat. Hist. Flor. lib. 18.*
 Guidus, Nulfus, Bonus Pisanorum, Ni- | (u) *Ejusdemque nominis Faventinum,*
 colaus & Guidantonius Florentinorum, | *Principem.* Guidantonium Manfredum.

etiam Lucensium oppidum venerat . Guidantonius vero 1430
 cum exercitu pro ripa Auxeris, quæ Lucam spectat, ca-
 stris posuerat, fossaque circumdederat, quo munitiora ab
 eruptione civium forent. Piccininum vis aquæ (media
 enim fere hyems erat) transitu prohibebat, cujus copiæ
 ad duas (x) ferme legiones conficiebant. Erat in castris
 Piccinini rerum omnium, quæ navibus a Genuensibus
 subvehebantur, copia. Apud Florentinos vero ex difficul-
 tate annonæ comportandæ summa inopia, adeo urgen-
 te fame, ut multi desertis sponte castris abirent, quidam
 ad hostes transfirent; quæ res consultandi causam Duci,
 ac præfectis (y) dedit, mutandusne locus esset, an for-
 tuna certaminis expectanda. Dum dubiis animis tem-
 pus consultando terunt, Auxer paulum imminutis aquis
 facultatem præbuit fluminis transeundi. Præmiserat ad
 ripam fluminis Nicolaus agasones, jumenta que cum fru-
 mento, quod superato fluvio in urbem fame oppressam
 comportaretur. Dubitanti tamen, ac paulum hæsitanti,
 an aquam ingrederetur (ignarus enim quo loco trans-
 eundum esset in armis stabat) fortuna quæ in rebus hu-
 manis maxime dominatur, tuto trajiciendi occasionem
 insperato attulit. Nam dum Florentinorum equitum (z)
 præfectum cum turma suorum noto vado in ulteriorem
 ripam transgressum prædandi cupidum vidit, nonnullis
 que nil tale suspicantibus improvise captis ad suos se rece-
 pisse (longo etenim intervallo ab exercitu divisi tam-
 quam in tuto vagabantur) excitato tumultu Piccininus o-
 pem laborantibus ferens, eodem itinere, quo hostes traje-
 cerant,

N O T Æ.

(x) *Duas ferme legiones conficiebant. sex* | venerant.
peditum, tria equitum millia habebat. Am- |
mirat. lib. 20.

(y) *Duci ac præfectis dedit. una cum tri-* | (z) *Equitum præfectum. Carafellum,*
bus Florentinis Commissariis, qui nuper ad- | *qui ut jumenta frumento Lucæ ferendo onu-*
sta prædaretur, flumen transierat.

1430 cerant, paucis milites ad pugnam hortatus, ipse in primis aquam ingressus (& jam vesper erat) ad hostes cum equitatu omni pervenit, superataque (a) fossa, Florentinum exercitum fere incompositum, commisso prælio, parvo labore fudit, ac fugavit: plures quoque ex urbe subsidiariæ cohortes, ut auxilio suis essent, egressæ, præcipue ad victoriam contulerunt. Profligatis omnibus, ac pene ad unum captis, Feretranus ipse fuga salutem consulens, pluresque præfecti Pisas post solis occasum pervenere. Clade nuntiata, quam nonnullorum præfectorum (b) discordia acceptam ferunt, qui mutuis odiis dissidentes seigniter, otiose, negligenter, contumaciter omnia agentes, non tantum non vincere, sed vinci volebant, pro nihilo pendentes propriam dignitatem, atque honorem, aut Reipublicæ pericula; tantus timor Pisis, ac tumultus fuit (territæ quippe, & consternatæ omnium mentes erant) ut si eo castra hostium post victoriam movisset Nicolaus, urbem procul dubio absque ullo certamine fuerit capturus. Castris cum omni tormentorum, bellicæ apparatus, impedimentis quoque omnibus captis, nonnullis interfectis, pluribus vulneratis, equis ad quatuor millia in suam potestatem redactis, recipiendis quæ defecerunt castellis Piccininus intentus, rejectis omnium sententiis, Genuensium præcipue, qui nullo impediante Pisas metu attonitas petere, inde Florentinum in agrum prædabundum descendere suadebant, in armis stabat, satis a se factum affirmans, qui obsidionem solvisset, & fame urbem liberasset: cumque sibi abunde Philippi mens perspecta esset,

eo

N O T Æ.

- (a) *Superataque fossa*. Castra circum- | auspiciis inceptum fuerat. Florentinis vero
eunte. | culpam tribuit *Ammirar. p. I. To. 2. lib. 20.*
- (b) *Præfectorum discordia*. Fortebraccio | qui Feretrano duo millia peditum juxta
haud æquo animo ferente Feretranum Co- | Montemmagnum locari jubenti obtempera-
mitem eo in facinore sibi præferri, quod suis | re noluerint.

eo consilio cuncta agentis, ut nulla in re pax violata cen- 1430
feri posset, commeatu ex propinquis locis in urbem com-
portato, præparatisque rebus omnibus ad cives reficien-
dos, & tolerandam obsidionem, si qua vis ingrueret,
aut si a Philippo ad se defendendum revocaretur, hostium
consilia expectabat. At Decemviri, tanti exercitus stra-
ge accepta, convocato duce, ac equitum præfectis, in-
staurandis copiis summa ope intenti, curam reparandi
exercitus his attribuunt. Tum suspicione orta, ne Senen-
ses pro Lucensium salute, quam cum sua conjunctam di-
cebant, arma fumerent, oratorem (c) una cum Vene-
torum legato Senas mittunt, qui pro veteri amicitia,
societateque peterent, ut bello abstinerent, neve pro alie-
na quiete suam in discrimen deducerent; otiosi belli e-
ventum, quod minime ad eos spectet, tamquam ex spe-
cula prospicere velint. Satius esse cum finitimis, ac pro-
pinquis amicitiam servare, quam externos, & procul a
se remotos tueri. Sibi cum Senensibus pacem, & fœdus
esse: caverent diligenter, ne quid agerent, quod utrisque
non parvæ calamitatis origo esset futura. Creatus con-
sulto populi Capitaneus (ita summum urbis magistratum
appellant) Antonius Petruccius, antea ut retulimus a Se-
nensibus ad excitandos tum Philippum, tum Genuenses
pro ferendo Lucensibus subsidio missus, asperum respon-
sum dari oratoribus jussit. Non esse in Senensium rem,
ut Luca Florentini populi ager fieret: ex eorum enim in-
cendio facile se, suaque conflagrare posse: propinquorum
damno propriam calamitatem pendere: ea occupata ur-
be, facile in se versuros arma. Se tamen ex tempore id
consilium capturos, in quo salus patriæ contineretur. Ora-
toribus

N O T Æ.

(c) Oratorem una cum Venetorum legato, | casolanum, una cum Antonio Contareno
Duos oratores a Florentinis Senas missos, | Venetorum legato, refert *Malavolti. Hist.*
Rodolphum Perruccium, & Galeotum Ric- | *Sen. lib. 2. p. III.*

1431 toribus dimissis extemplo Philippi (d) voluntatem otium aspernantis secuti, cum Genuensibus his legibus fœdus ineunt, ut communi impendio bellum pro Lucæ libertate suscipiant; Ludovicumque (e) Plumbini Principem, suscepti a Florentinis beneficii immemorem (testamento enim tutores a patre relictæ imperium illi conservarant) Pontificis opera in amicitiam, societatemque recipiunt. His rebus moti Decemviri Franciscum, qui Mirandulæ hyemaverat, una cum Venetis magnis pollicitationibus ad sua stipendia traducere conati sunt. Cum eorum populatis (exquisitæ enim conditiones afferebantur) assentiri videretur, Philippus transitionem tanti viri ad hostes veritus, oblato (f) filiæ nondum nubilis matrimonio, hominem ab eo proposito avertit, inque suas traduxit partes. Suspensis Venetis, Florentinisque ad movendum Philippo bellum; Martini (g) mors Pontificis, qui Ducis causæ admodum faverat, eo qui secutus est anno supervenit; quæ res spem, metumque multis, iis præsertim, qui novorum eum auctorem consiliorum habuerant, incussit. Creatus deinde Eugenius (h) Quartus Pontifex maximus, patria Venetus, multorum animos auxit, non-

N O T Æ.

(d) *Philippi voluntatem secuti.* Qui per Franciscum Spinulam suum legatum ad bellum in Florentinos sollicitaverat, frustra obnitentibus contra Marcello Strotio, & Laurentio Rodolpho Florentinis oratoribus.

(e) *Ludovicumque Plumbini Principem.* Male Poggium Plumbini Principis filio Ludovici nomen tribuisse adnotat *Ammirat. lib. 20.* cum Jacobus fuerit appellatus. Ita sentit etiam *Ubert. Fol. Hist. Gen. lib. 10.* & cum eo omnes pene Scriptores, Blondo excepto.

(f) *Oblato filia nondum nubilis matrimonio.* Blancam Mariam filiam unicam, sed viro adhuc immaturam, quippe quæ vix octavum annum attingeret, Sfortiæ despon-

derat, pollicitus, nisi mascula sibi proles obtigisset, totius Principatus hæreditatem.

(g) *Martini mors Pontificis.* Apoplexia percussus decessit. In cujus æneo sepulcro in Basilica Lateranensi posito hæc habentur. *Martinus Papa V. sedit annos XIII. menses III. dies XII. obiit anno MCCCCXXXI. die XX. Februarii, temporum suorum felicitas.*

(h) *Eugenius IV.* antea Gabriel Condulmerius Venetus, Gregorii XII. nepos. Hujus elogium videre est in *S. Antonin. p. III. Tit. 22. cap. 10.* & in *Platin.* in ejus Vita. Prædictum ejus patri Pontificatum, nec non ipsi asserit *Philelph. in Orat. ad Jacobum Antonium Marcellum;* & *Pius II. seu Æneas Sylvius in Europ. cap. 58.* Vid. *Rayn. Ann. Eccl. To. 18. sub ann. 1431.*

nonnullorum debilitavit. Accesserant Romam de more 1431
 gratulatum Pontifici, Philippi, Venetorum, ac Florenti-
 norum legati, petentes maxime, ut auctorem præberet
 se pacis servandæ. Is acrioribus verbis singulos ad pacem
 hortatus, se hostis loco illum habiturum minitatus est,
 qui pacis fœdera violasset: deprecantibus præterea Floren-
 tinis, Michelettum Cutiniolam cum equitibus mille, ut
 eis subsidio belli esset (inopia enim equitatus urgeban-
 tur) concessit. Senas (i) insuper Cardinalem Bononien-
 sem Legatum, qui eos ab armis, & bello movendo de-
 terreret misit; quæ res Ducis pacem horrentis animum
 a Pontifice abalienavit, causamque præbuit multarum Eu-
 genii, quibus postea vexatus est, calamitatum. Aucti no-
 vo equitatu Florentini rursus Lucam infestis armis ag-
 grediuntur. Qua permoti re Genuenses (l) portum Pi-
 sanum duabus onerariis navibus, & quinque triremibus
 ita infestum reddidere, ut Pisas aut mercaturas adve-
 hendi, aut exportandi facultas præcluderetur. At Vene-
 ti Philippi pertinacia prospecta, animumque bello, quam
 paci aptiorem, nascenti malo occurrendum esse rati, re-
 novato (m) cum Florentinis fœdere, cui Monferrati (n)
 Princeps, & Pallavifinus (o) accessere, Carminiolæ exer-
 citus duci in Brixienfi agro copias recensenti, ut bellum
 Mediolanensi inferat, mandant. Philippus vero veritus,
 quod priori (p) bello re ipsa compertum habebat, ne

N n Car-

N O T Æ.

(i) Senas insuper Legatum Bononiensem .
 ex Corraria Gregorii XII gentè . Ut Se-
 nenses ,cujus urbis Episcopatum tenuerat
 Eugenius IV. peculiari honore prosequeretur , licet eos ad se gratulatum accedentes
 de pace alloquutus fuisset , attamen rursus
 Legatum Bononiensem sibi sanguine con-
 junctum ad eos misit .

(l) Genuenses . Bartholomæo Furnario
 duce . *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

(m) Renovato cum Florentinis fœdere .
 quarto kal. Decembris anni MCDXXV.
 Venetiis inito .

(n) Monferrati Princeps . Joannes Ja-
 cobus .

(o) Pallavifinus . Rolandus .

(p) Priori bello . anni MCDXXXVII.
 quo Ducis copiæ penitus deletæ fuerant, Ca-
 rolo Malatesta ejus præfecto capto , Brixia-
 que in Venetorum potestatem redacta .

1431 Carminiola aliqua insigni clade initium belli faceret, dispositis per oppida hosti propinqua, quibus prospiciendum existimabat firmis præfidiis, salutis suæ consuluit. Patefacta enim conjuratione, qua arcis Laudæ præfecti proditione illius equites admittebantur, ac consciiis tanti sceleris supplicio affectis, oppidum servavit, utque hostem suis ulcisceretur artibus, Suncini arcis custodi imperat, ut eam se Carminiolæ die constituta traditurum simulet. Transactis conditionibus, quo tempore, quaque ratione arcem proderet, cum ad præscriptum (q) tempus cum magna exercitus parte noctu accessisset Carminiola (r) nonnullosque ex suis in arcem admisisset, Nicolaus Tolentinas, ac Franciscus cum copiis prodeuntes, hostem nil tale veritum invadunt, qui acri commisso certamine, ad mille equitibus amissis, pluribus interfectis, fuga salutem petens in agro Cremonensi urbem obsessurus constitit. Dum hæc a Venetis aguntur, Piccininus cum audisset bellum in Gallia suscitatum, Genuensium castellis Lucæ propinquis, & quæ receperat, omiſſis, agrum Pisanum ingressus una cum Antonio Pontadereo viro impigro, & maxime Florentinis infenso, quem a Philippo Lucensibus subsidio missum diximus, nonnullis expugnatis, ac deditione sponte facta, receptis oppidis, exulum Pisanorum opera, qui undique spe patriam libertatem recuperandi ad eum confluerant, ac proditione urbem sollicitarant, civesque ad id studium suum pollicentes illexerant (in quos more majorum re palam facta, animadversum est) Pisas cum exercitum frustra admovisset, relicto Antonio cum copiis exulumque cohorte, qui fines Pisanos incendiis,

N O T Æ.

(q) *Ad præscriptum tempus*. matutina luce. | Carminiolæ milites, sed longe pluribus ex suis munitam, ut ipse Carminiola sine suspitione accederet.

(r) *Nonnullosque ex suis in arcem admisisset*. | Ex composito introducti in arcem Car-

diis, excursionibusque vastarent, bellicque terrores omni ex parte Florentinis inferrent, a quibus omnis fere Pisana nobilitas (f) Florentiam evocata erat, in Volaterranos flexit, primoque adventu pluribus castellis captis, castra posuit. Michelettus enim ad opem ferendam Volaterras missus & illius impetus comprimebat, & ne late prædabundus vagaretur, coercebat. Interim monendo, ac sollicitando, ut Senenses ex fœdere arma adversus Florentinos moverent, obtinuit tandem, ut fide interposita, cum primum hostili more in illorum agrum impetum fecissent, duo equitum millia a Philippo promissa se illis missurum, ut in Vallem Ambræ improvise descenderent: quibus mature factis, Alberico Cunii Comite cum equitibus mille ex Gallia a Nicolao evocato, ac Senensibus præsidio relicto, ipse paratis omnibus quæ oppugnandis urbibus erant necessaria, in Vallem Elfæ proficiscitur. Inde spe injecta Aretii potiundi, magnis itineribus eo contendit. Egregia ad eam diem fide fuerant Aretini, amiceque in Florentinos animo post assecutum tantæ urbis imperium contenti rebus suis, præsentis fortunæ acquiescebant, meliori conditione sub alieno viventis imperio, quam cum sui juris civibus suis serviebant. Unus Mariottus obscuro ortus genere, sed cui divitiæ animos facerent, rerum novarum cupidus, & aliorum fortunis invidens inventus est, qui de prodenda urbe consilia cum Piccinino agitaret, illumque in spem adduceret oppidi potiundi. Verum re per quendam ex conjuratis detecta, appropinquante hoste, cum omnis juvenus ad defendendam patriam unanimemente concurreret, isque omnia consilia sua patefacta, ad hæc urbem firmo teneri præsidio animadverteret, retro ca-

Nn 2 stris

N O T Æ.

(f) *Pisana nobilitas Florentiam evocata*. | annum ut Pisis discederent imperatum ad
non nobilibus tantum, sed civibus omni- | exonerandam suspecta multitudine civita-
bus a quintodecimo usque ad sexagesimum. | tem. *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 7.*

1431 stris motis, agris, villisque incensis, pleraque castella vi,
 nonnulla dedentibus se oppidanis recepit. De proditoribus
 Aretii supplicium sumptum: indici vero præmia persolu-
 ta, & a Senensibus Vallis Ambræ tria (t) oppida capta.
 Interea cum Cremona binis obsideretur castris, copiæ ve-
 ro Philippi diminutæ essent, quoniam Tolentinas (u) ad
 Florentinos transferat, atque ad Eugenium, ut illi suc-
 curreret, missus erat, Piccininus ex Etruria ad reprimen-
 das hostium vires, qui validum exercitum confecerant, re-
 vocatur. Erant in Venetorum exercitu ad millia homi-
 num quatuor & viginti. Philippi quidem copiæ nequa-
 quam pares. Classem quoque majorem Veneti, quam su-
 periori anno, in Pado paraverant navium LX. inque ea de-
 cem peditum millia præter remiges, aliamque locaverant
 calonum multitudinem, quæ ferme pedites æquabat, Ni-
 colaumque (x) Tarvisinum ducem belli designarant.
 Philippus quoque & ipse classem in Ticinio instruxerat,
 sed paulo numero inferiorem, militibus tamen, bellicæ
 apparatu disparem; Johannemque Grimaldum Genuensem
 navalium rerum peritissimum, quo imperatore uterentur,
 illis præfecerat. At in Etruria, cum Albericus (y), qui
 omnibus copiis Florentinum agrum populabundus intra-
 verat, acie victus, ac fugatus, ad mille equitibus apud
 Collem oppidum amissis, a Micheletto superatus esset,
 omnia secunda Florentinis esse, nihil timere, ac parta vi-
 ctoria facilem sibi propitiamque fortunam despondere vi-
 debantur, revocato præsertim Alberico a Philippo, cui
 maxi-

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (t) <i>Tria oppida capta.</i> Ad quatuordecim
enumerat Malavolt. <i>Hist. Sen. p. III. lib. 2.</i> | sumnum ei imperium promissum fuisset. |
| (u) <i>Tolentinas ad Florentinos transferat.</i>
cum duabus cohortibus, indignatus quod
Sfortiam militari dignitate sibi parem, Pic-
cininum vero superiorem pati deberet, cum | (x) <i>Nicolaum Tarvisinum.</i> non Tarvisi-
num, hoc est ex Tarvisi urbe, sed Trivi-
sanum ex patritia Trivisanorum familia. |
| | (y) <i>Albericus.</i> Cunii Comes auxilio Se-
nensibus missus. |

maxime (z) suspectus erat. Fortebraccius vero rei bene 1431
 gestæ gloria irritatus, ac Michelettum, se posthabito, pri-
 mum apud Florentinos dignitatis gradum tenere indigna-
 tus, illis relictis Tifernates (a) invasit, Pontifici pollici-
 tus illam se urbem (ab eo enim (b) desciverat) in ditio-
 nem Ecclesiæ redacturum: cujus defectione Florentinorum
 equitum vires paulo exhaustæ, lentiusque jam in Etruria
 gestum bellum. Apud Cremonam vero certabatur acrius,
 & cum Venetorum exercitus numero, ac robore præsta-
 ret, visum est Philippi præfectis classicæ expeditionis for-
 tunam experiri. Provocabant singulis diebus Philippi equi-
 tes levibus præliis hostem, quo animus illorum avertere-
 tur ab armandæ classis suspicione. Statuto vero tempore
 Nicolaus, ac Franciscus præcipui Philippi duces naves
 conscendunt, impositis lectis ex omni equitatus robore vi-
 ris, qui de more armati adversus navales milites impares
 armis, tutiores, ac certamine potiores essent. Erat Vene-
 torum classis ad certamen prompta, sed ignara Philippi
 naves (eæ (c) Cremonam appulerant) viris equo me-
 rentibus munitas; cumque ipso aquæ impetu Philippi
 classis in hostem ferretur, & ipsa forti animo se ad præ-
 lium expedit, atque hosti obviam procedit. Commissa
 pugna, acrique certamine, pluribus utrinque interfectis,
 cum thoraces ferreos milites indutos cum cassidibus, ar-
 matosque navalibus bellis infuetos viderent, ducesque in
 primis etiam pugnantes cognoscerent, Tarvisinus & ipse
 pro tempore rebus suis prospiciens, extemplo Carminio-
 lam,

N O T Æ.

(z) Cui maxime suspectus erat. Delatum Philippo fuerat Albericum in hostium insidias de industria copias duxisse. Brevi enim ad Florentinos transiturus curabat, ut cladem, quam apud Zagonaram primo bello Florentini ejus causa acceperant, ejus quoque opera compensarent.

(a) Tifernates. seu Civitatem castelli.

(b) Ab eo enim desciverat. eique impetabat Guidantonius Urbinas.

(c) Eæ Cremonam appulerant. ut in antiquo Poemate cui titulus *Nuovo Marte della Vita di Niccolò Piccinino cap. 30.*

Elli erano trentaquattro Galeone

Nel Pò tirate con magna porenza

Sopra Cremona in ver Pizichatone.

1431 lam, quo in statu, periculove res Venetorum verſetur, monet; poſtulat, obſecratque ni hoſtem victoria potiri velit, opem ferat; mature facto opus eſſe: facile id peragi poſſe, cum caſtra haud longe poſita ſint: ni accederet, fruſtra poſtmodum fortunam, ceteraque omnia incuſaturum. Ille ſeu dolo, ut plures ſuſpicati ſunt, ſeu ſuperbia, cujus erat impotentior, Veneti poſtulata contempſit, addita verborum contumelia; ſuo illum conſilio ad eam diem rem navalem adminiſtraſſe: ſuiſmet viribus certaret. Deſtitutus ſuorum auxilio Venetus, cum ad noctem uſque pugnam protraxiſſet, tandem quatuor amiſſis navibus ſuos revocavit. Poſtera die auctis viribus Philippi præfecti, majoribuſque in naves impoſitis copiis, diluculo ad hoſtem pergunt. Atrox, atque aſperum certamen fuit: nec abſque multorum cæde peractum: nam altera alteri navi infera, veluti collato pede pugnabatur: ſaxis, verutis, ſagittis, gladio, igne certabatur: ardentes volutabant faces, omnia cæde, & ſanguine redundabant, nulluſque fugæ relinquebatur locus. Ad hæc bombardæ multos mortales cadere compellebant: vulnera, & ſanguis ante ora obverſabantur: nec quicquam, præterquam de inferenda cogitabatur morte. Aderant exercitus duces, naviumque ſingularum præfecti, cujuſque virtutis, aut ignaviae teſtes, hortando, ac monendo, ne tantam opprimendorum hoſtium occaſionem oblatam amitterent, eamque fortunam quam ſibi quiſque facerent ſperarent. Victoriã (modo viri eſſent) in manibuſeſſe. Tandem cum ad multam (d) diem pugnatum eſſet, Philippi claſſis integris, ac novis bellatoribus munita Venetos Carminiolæ (e) culpa,

N O T Æ.

(d) *Ad multam diem*. pridie kal. Juneti ad eum miſere oratores, qui ejus fraudem fortunæ tribuerent. Interim vero in
 (e) *Carminiolæ culpa*. Cujus ſibi contempſerunt. *Sabell. Ennead. X. lib. 2.*

pa, qui eos suo destitui auxilio passus est, superat, atque 1431
 in fugam vertit. Quinque tantum naves ex tanta classe
 evasere. Reliquæ cum omni bellico apparatu in potesta-
 tem hostium venire: ad duo millia ex utraque acie, quod
 raro antea contigit, desiderati sunt: prædâ ingens fuit,
 partim distributa militibus, partim in castra convecta,
 duæ de xxx. ex majoribus navibus Papiam subductæ gra-
 tum Philippo spectaculum præbuere, ut qui Venetos ma-
 ritimis expeditionibus assuetos navali prælio superasset.
 Magnum ex amissa classe detrimentum Venetis accessit;
 ad quadringenta enim aureorum millia ea calamitas exi-
 stimata est. Non tamen minuit ea clades animos Veneti
 Senatus, sed acrius ardentiusque belli curam suscipere coe-
 git. Nam e vestigio nulla adversa conterriti fortuna, du-
 ce Petro Lauretano, cujus virtus pluribus navalibus cla-
 ruerat pugnis, triremes viginti parvo tempore instructas,
 paratasque in mare inferum adversus Genuenses misere,
 quo acceptam ab illis contra pacis antiquæ fœdera inju-
 riam (f) ulciscerentur. Genuenses ad famam paratæ Ve-
 netorum (g) classis & ipsi quatuor & viginti triremes,
 ac onerariam navem ex navalibus deducunt, illisque du-
 cem Franciscum Spinolam virum primarium, magnæque
 inter suos auctoritatis præficiunt. Appropinquaverat Ge-
 nuam classis hostium ad millia passuum decem in sinum,
 quem Rapallum (h) vocant, una cum quatuor Floren-
 tinorum longis navibus, Paulo Rucellario duce electo,
 instructis milite, & pluribus Genuensium (i) exulibus,
 nobi-

N O T Æ.

(f) *Injuriam ulciscerentur*. Genuenses enim suis navibus Joannis Grimaldi ductu Philippum in Pado adjuverant.

(g) *Paratæ Venetorum classis*. quæ jam Liburnum appulerat, ut quinque Florentinorum triremibus aucta in Genuensès se conferret. *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 7.*

(h) *Rapallum vocant*. seu Caput Montis, promontorium oræ orientalis Genuensis.

(i) *Genuensium exulibus*. quorum Principes Jacobus Adornius, & Antonius Fliscus.

1431 nobilitate gentis claris, quorum opera magno usui eo bello Venetis fuit. Re in urbem nuntiata, iussus Spinola in hostem ferri, libens, speique plenus (ut qui præteritam victoriam versaret animo) in conspectu adversariorum delatus suos corpora curare, arma expedire, seseque ad pugnam parare jubet. Præmissa deinde oneraria nave, quæ terrore incusso disjiceret suo impetu triremes, hostem (l) petit. Is simulata fuga, cœpit cedere, ut insequendi veluti fugientes cupiditate. Genuensis incensa classis omisso ordine secura dissiparetur. Inde repressa (m) fuga in primam prætoriam navem conversæ triremes a suis inflecti remos, vela converti, atque hostes aggredi jubent, quem imperum impavidus Genuensis excepit. Pugnabatur congressis navibus utrinque (n) præsentis animo, atque viribus. Tres Venetorum triremes a Genuensibus premebantur, quas capiendi spe ductus Spinola, proram ad eas vertit. Tum Florentina navis una, cui Ramundus Manellus maritimæ expeditionis expertus præerat, suorum conspicatus periculum, magna remorum (o) vi infertur in Genuensem, latusque impetens, parum abfuit deterfis remis quin eo impetu prætoria submergeretur. Acerrimo tamen edito prælio, cum utrique pro victoria certarent, inque ea fortunam belli versare existimarent, tandem Manelli virtute miles hostis navem ingressus pluribus vulneratis, multis ex omni parte amissis superatam, devictamque capit. Quo facto ceteræ metu consternatæ, duce (p) in adversariorum

N O T Æ.

(l) *Hostem petit.* Classem Venetam ad ædem Divi Fluctuosi vigesimo a Genua lapide obviam habuit.

(m) *Inde repressa fuga.* Fugam simulaverat Lauredanus, ut prætoriam Genuensium navem insequentem in altum perduceret, & aliarum præsidio spoliaret.

(n) *Utrinque præsentis animo, atque viribus.* Antiquis amulatione imperii revoca-

tis odiis.

(o) *Remorum vi infertur in Genuensem.* in ultima enim acie procul a ceteris constiterat, subsidio, quo res posceret, adventura. Exorti ergo venti beneficio utens in prætoriam navim ex transverso irrupit. *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

(p) *Duce, &c. in potestatem redactæ.* Francisco Spinola.

riorum potestatem redacto, haud incruento Marte octo 1431
 amissis navibus in fugam versæ (q). Diutius tamen magnis utriusque viribus, majoribus odiis certatum est, Venetis vincere assuetis, acceptamque Genuensium opera in Pado cladem ulcisci cupientibus; Genuensibus, ne minoris viderentur, quam hi, qui in classe Philippi pugnassent, summa vi pro victoria certantibus. Major tamen victoriæ pars penes Florentinos stetit, qui devicta prætoria nave principium victoriæ præbuerunt: in aliis quoque expugnandis egregiam operam navantes magnam sunt laudem consecuti. Egredia ex hostibus parta victoria. Lauredanus fugientes haud insecutus, satis a se factum dictitans, si pro victis abirent, militibus ferme octingentis in ea pugna desideratis, ad duo millia vulneribus confectis (quod unum maxime ab insequenda classe tardavit) Pisas rediit. Dux hostium, naviumque præfecti Florentiam (r) primo, tum Venetias missi. In Etruria quoque res prospere a Micheletto gesta. Recuperatis namque nonnullis de Volaterranis, ac Pisanis oppidis, ea regione, qua iter in Florentinum est agrum, quo tuta omnia ab incursionibus hostium essent, liberque in urbem aditus, ad Vicum Pisanum (nam Pontadereus cum exulum manu ex castellis Lucensium vicinas oras infestas populationibus reddebat) stativa habuit. His mari, terraque in Etruria feliciter gestis, nil in Gallia ea æstate memoratu dignum est actum. Suspecta fide Carminiola apud Venetos erat, tum aliis de causis, tum propter auxilium laboranti classi denegatum. Dissimulantes tamen omnia asseverabant singula ab eo ma-

O o turo

N O T Æ.

(q) *In fugam versa.* undecim portum Delphinum subierunt, ex duabus reliquis, una Genuam, altera Plumbinum appulit. propinqui Veneti illuc captivos custodiendos miserunt, donec Venetias ducerentur, ubi in carcerem conjecti sunt. Reliquam nautarum, militumque turbam libere dimissam testatur *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

(r) *Florentiam primo.* Liburnum classis delata est ut se reficeret; Florentiæ autem

1431 turo consilio facta, in fortunam devictæ classis culpam rejicientes: quæ omnia ea mente ab eis agebantur, ne illius animus a consiliis belli averteretur, quanquam in diem magis signa immutati animi ostenderentur. Nam principio autumnii capiendæ urbis Cremonæ facultatem oblatam sua culpa omissam tradunt. Delituerant apud Cremonæ pomœria noctu Venetorum militum cohortes plurimæ, ac tamdiu quieverant, quoad murorum excubiæ circa diluculum custodias relaxantes somno se darent; tum scalis admotis cum murum ascendissent, nullo impediente propugnacula quædam turesque (f) præsidio valido firmarant. Venerat ad tertium ab urbe lapidem cum exercitu Carminiola, peditatu silentio noctis, ut ceteris subsidio foret, præmissio: primi, qui murum ascenderant venturo freti præsidio, e muro eisdem scalis desiluerant, ortoque ad clamorem occurrentium certamine, vi portam propinquam ceperant: repellentes cives, militesque, qui eo defendendæ urbis gratia confluebant, duos dies cum portam a se captam defendissent, tandem nullo suppetias ferente deserti a reliquis, vigilia, labore, & vulneribus confecti, desperata salute, amissa porta, virili animo occubere. Facillime, ut traditum memoriæ est, ea urbs capi potuisset, si Carminiola exercitum ad mœnia admovisset; sed dum deliberabundus sedet, dum simulato metu insidias, & inanem timorem ostentat, & milites fortissimos inique perdidit, & id egit, ut causam præberet suspicionis, qua postmodum supplicio capitis afficeretur. Nihil enim illi cum tanto exercitu timendum videbatur, cum paucæ militum cohortes biduo portam absque discrimine tenuissent. Et jam autumnii tempus continuis im-

bribus

N O T Æ;

(f) *Turesque præsidio valido firmarant.* } cæ castellum occupatum fuerat, nec non
Cavalcabovis opera Venetis faventis S. Lu- } urbis porta. *Campi Hist. Cremon. lib. 3.*

bribus molestum maxima in castris equorum strage adve- 1432
nerat ; cum Carminiolæ exercitu in hiberna dimisso, Pic-
cininus omni Genuensium litore occidentali, quod au-
ctore (t) Barnaba Adurno patria extorre a Philippo de-
fecerat, non (u) sine crudelitatis nota in potestatem red-
acto, arma in Johannem Jacobum Monferrati Regulum
convertit, atque intra paucos dies exustis agris, incensis
villis, omnique clade vastatis regionibus, triginta oppidis
spoliavit, ac desperatis rebus ad Venetos fugere compulit.
Inde in Cremonensem agrum descendens, duo (x) oppi-
da de Venetis juxta Padum cepit : quæ res majorem in-
modum Venetos adegit, ut pro certo haberent Carminio-
lam animo a se alieno esse. Cum enim in propinquo plu-
ra oppida forent, in quibus in hibernis essent milites ma-
gno numero divisi, ut facile his succurri posset, tamen
veluti res sua minime ageretur, suos in otio continuit.
Hæc tam aperta corrupti animi ostentatio Venetos com-
pulis, ut secreto de illius supplicio (jactabantur enim vulgo
multifariam ejus deprehensæ prodiones) agitarent : qua
in re miranda Senatus Veneti taciturnitas, & priscae virtu-
ti comparanda videtur; nam cum ducenti (y) ferme vi-
ri consilio (z), quo ejus de pœna est actum, interfuissent,
ad octavumque mensem ea res variis altercationibus, ac
sententiis protracta esset, nunquam tamen vel parva ejus su-
spicio emanavit. Vocatus una cum Mantuano (a) Ve-
netias per speciem tractandæ pacis, cum urbi propinqua-

O o 2 ret,

N O T Æ.

(t) *Auctore Barnaba Adurno*, qui cum trecentis equitibus & octingentis peditibus, aliaque agrestium turba Sextum usque perre-
xerat. *Ubert. Foliet. lib. X.*

(u) *Non sine crudelitatis nota*. Multos enim jugulari jussit, reliquosque nulla atri-
tis, aut sexus, aut sacri ordinis ratione ha-
bita sub hasta vendidit. *Ubert. Foliet. ibid.*

(x) *Duo oppida de Venetis*, Turricellam,

& Bordellanum, quæ prius Cremonensibus
repta fuerant.

(y) *Ducenti ferme viri*, inter quos non
pauci beneficiis, & spirituali affinitate Car-
miniolæ adstricti.

(z) *Consilio*. Vulgo *de Pregadi*.

(a) *Una cum Mantuano*. Joanne Fran-
cisco Gonzaga.

1432 ret, multi præclari viri de more obviam prodeuntes ad Principis ædes magna pompa eum deduxere. Ibi primo congressu benigne exceptus; cum per consilii capiendi causam ad noctem usque collocutio differretur, omnibus qui eum secuti erant abire jussis, ipse in carcerem conjicitur. Quæstionibus habitis, litterisque (b) productis, ad hoc domesticis testibus proditoris, ut ajunt, convictus, vigesimo (c) postquam captus fuerat die in foro inter duas (d) columnas, ore ne loqui posset occluso, capite punitus est. Justitia in eo, summaque severitas viguit. Latrocinia, furtaque in castris acerrime vindicavit; prædonibus infensus, honoris vero cupidus multorum supplicio vias ruitas a latronibus etiam inter arma reddidit. Venetorum (e) mores pertæsum, a fide prolapsus dicunt. Quidam (f) nulla culpa mortem meruisse tradunt, sed ejus superbiam in cives Venetos contumeliosam, exosamque omnibus, præbuisse causam necis. Quod verisimile ferunt, cum os ejus adeo obductum fuerit, cum duceretur ad pœnam, ut ne verbum quidem proloqui potuerit, neque ulla mortis causa sit prolata. Utcunque sit, dux belli suæ ætatis præcipuus fuit, & obscuris (g) ortus parentibus propria virtute ad maxi-

N O T Æ.

(b) *Litterisque productis.* ex literis ejus interceptis infidelitatis crimine damnatus.

(c) *Vigesimo.* Quinto kal. Majas.

(d) *Inter duas columnas.* vulgo della Piazzetta, suppliciorum loco.

(e) *Venetorum mores pertæsum.* licet a Venetis summis honoribus cumulatus fuisset, immo patritia nobilitate insignitus anno MCDXXVI. MS. de Venetis familiis, & eorum stemmatibus apud me.

(f) *Quidam nulla culpa mortem meruisse tradunt.* mortis causam Carminiolæ divitiis tribuit Corius p. V. quæ (ut ait) non parum Venetos ad belli sumptus juverunt. Venetorum scriptores reliqui pene omnes infidelitatis in Venetos arguunt, his præsertim no-

minibus: 1. quod post Macloedii pugnam cum Philippi imperium everti deleto ejus exercitu potuisset, captivos omnes dimississet, & Soncino obsidendo de industria immoratus fuisset. 2. quod in Padana pugna Trivisano auxilium denegasset, unde Venetorum maxima clades. 3. quod Cremonæ portam tenentibus Venetis opem ferre noluisse, ut urbem illam Duci servaret.

(g) *Obscuris ortus parentibus.* Colono patre natus prope Carminiolæ oppidum, unde illi cognomen inditum, cum antea Franciscus Bussio appellaretur. Jovius Elog. Vir. Illust. & Albertus in sua Italia. Chief. Hist. Pedem.

maximam (h) gloriam, & summum imperium evectus; 1432
 dignusque qui majoribus illis sine dubio rei militaris sci-
 entia comparetur. Tanti ducis interitu mentio pacis de
 qua per oratores Ferrariæ agebatur sublata, atque in bel-
 lo perseveratum; cujus gerendi cura omnis Mantuano,
 tribusque (i) ex senatorio ordine patritiis civibus a Ve-
 netis concessa. Sed dum tardiuscule armorum munia
 suscipiunt, Piccininus fortunam etiam Carminiola præsen-
 te cœptam profecutus, cum multa de Cremonensium agro
 oppida recepisset, dum pontem, quo Olium Veneti jun-
 xerant transiturus oppugnat, & sine galea in primam
 aciem profectus suos ad pugnam adhortatur, sagitta oc-
 ciput ictus, ex equo moribundo similis cecidit, qui mi-
 litum manibus summo omnium mœrore relatus in ca-
 stra, cum is nervus, quo læva pars corporis alitur, læsus
 esset, certisque signis appareret sagittam veneno illitam es-
 se, ingenti medicorum cura adhibita, ac usu balneorum ad-
 dito, sinistro tamen latere debilitato, in futurum claudicavit.
 Piccinini morbus res Philippi secundas compescuit, pluraq;
 oppida opulenta, quæ præsentem Carminiola defecerant,
 a Venetis recepta sunt, quædam machinis expugnata.
 Johannis (l) insuper Jacobi ad Venetos adventus, asse-
 rentis Philippi opes, & animum eo bello imminutum,
 multum animi ad gerendum bellum adjecit. At in E-
 truria Tolentinas aucto equitum numero, veniaque a
 Pontifice, cujus stipendia merebat, impetrata, pecuniis
 acce-

N O T Æ.

(h) *Ad maximam gloriam*. Philippo Me-
 diolani imperio ejus opera restituto. Ge-
 nua per eum capta. Brixia Venetis acqui-
 sita, &c. Vid. *Bugat. Hist. Univ. lib. 5.*

(i) *Tribus ex senatorio ordine patritiis*.
 Duobus tantum, nempe Georgio Corne-
 lio, & Marco Dandulo. *Petr. Justin. Hist.*
Ven. lib. 7.

(l) *Johannis insuper Jacobi ad Venetos ad-*
ventus. Montisferrati Marchionis, qui Al-
 pes transgressus per Taurinos in Germa-
 niam, dein Venetias se contulit, ut Vene-
 torum auxilio ditionem a Piccinino sibi oc-
 cupatam recuperaret. *Agnel. Mass. Hist.*
Mant. lib. 5.

1432 acceptis (*m*) ad Florentinos transiens Soanam Ufſinorum oppidum profectus, populata maritima Senensium regione, Grossetum usque in agrum Florentinorum descendens, copiis cum Micheletto conjunctis, communique consilio bellum administrans, multa de Senensibus, atque omnia ferme quæ ditionis Pisanae amissa erant, recuperavit. Cum Toporium (*n*) pervenissent, ubi plures Philippi (*o*) equitum præfecti cum magno equitatu in Senensium fines transituri convenerant, hostibusque pugnandi copiam facerent, illi vero haud certandi occasionem oblatam detrectarent, præparatis omnibus pro tempore necessariis, acie commissa ingentibus animis prælium ineunt, eo consilio utrique, ut nisi victoria parta non discedant. Non majori itaque odio, nec majoribus viribus ad eam diem tanto bello in Etruria pugnatum. Philippi tamen exercitus quamvis numero superior, magna accepta strage, victus fugatusque est. Bernardinus (*p*) dux, Antoniusque Pontadereus equitibus supra mille amissis fuga salutem consuluerunt; haud multoque post, cum victor exercitus ad Pontis Adheræ oppidum proficisceretur, nullo cum labore eo potitur.

POG-

N O T Æ.

(*m*) *Pecuniis acceptis ad Florentinos transiens*. anno superiore ad Florentinos transierat Tolentinas, a quibus Pontificis auxilio adversus Columnenses missus, pace facta ad priores dominos reverti negabat, nisi eodem ac Michelettus Cotignola stipendio conductoreretur. Quo impetrato, pro Florentinis stetit.

(*n*) *Toporium*. in agro Volaterrano.

(*o*) *Philippi equitum præfecti*. Antonius

Pontadereus, præfectus Vicensis, & Bernardinus a Carda. *Malavolti, Hist. Senen. p. III. lib. 2.*

(*p*) *Bernardinus dux*. seu Bernardinus a Carda ex Ubaldinorum gente, qui a Florentinis ad Philippum defecerat, summa ingrati animi nota, cum ab ultimo ordine ad summum militare imperium ab eis evectus fuisset. *Ammirat, Hist. Flor. p. I. To. 2. lib. 20.*

POGGII BRACCIOLINI
FLORENTINI
HISTORIARUM
FLORENTINI POPULI

LIBRI SEPTIMI

EPI TOM E.

Post illata , acceptaque a Florentinis. damna , Sigismundus Imperator Romæ a Pontifice coronatur. Pax variis agitata sermonibus , tandem cum Vicecomite , Venetis , Florentinisque componitur . Eugenius Pontifex , Roma amissa , Florentiam ignotus petit . Nicolaus Piccininus hostes apud Imolam fundit . Lucensium in Florentinos bellum . Lucæ obsidio . Pax fit , sed a Philippo violatur . Piccininus in Gallia ad-versa fortuna utitur . Verona ab eo capta , & a Francisco recuperata . Vittelescus Patriarcha in carcerem conjicitur , ibique moritur . Piccininus in Etruriam exercitum ducit .

Inter hæc Imperator Sigismundus cum e Germania Romam profecturus , Philippi (a) exhortationibus in Etruriam descendisset , Lucæque plurima illius promissa frustra expectaret (affirmaverat namque inter cetera suis eum copiis , opibusque ad urbem

1432

NOTÆ.

(a) Philippi exhortationibus . Mediolani Pigna lib. 6. de Princ. Atest. refert , Philippum in oppido se usque ad ejus discessum commorantem ferreo diadema coronandum , ut in Etruriam trans-continuisse , nullamquæ inter eos officiorum consuetudinem intercessisse .

1432 bem deducturum) Hungari, Boemi, Germanique equites, peditesque ad duo millia, qui eum sequebantur, cum Florentinum (b) ducem patentibus, apertisque campis in propinquo castra habere audissent, lectis ex omni equitatus robore sexcentis, additis præterea Lucensibus auxiliariis, portis egressi, hostes improvise invadunt. Unus maxime præ ceteris ætate, & viribus ferox audendum aliquid memoria dignum arbitratus, admotis equo calcariibus magno impetu ad tentorium ducis profectus, ut paludamento insigni ornatum aspexit, Michelettum esse pro certo existimans, clavam ferream ingenti spiritu elatam in caput ejus demisit. At ille subito, insperatoque hoste haud territus, cum præsertim galea caput tectus nulla ex parte læsus esset, in barbarum repente conversus, eum gladio transfixum obruncat. Milites repentino tumultu perculsi, arreptis armis in barbaros feruntur: dissipatos pluribus interfectis in fugam vertunt. Id Sigismundus cum non sua culpa factum excusasset, post duos menses pacato similis, & Pontifici, ac Florentinis infensus Senas petiit: cum tamen ante ejus profectionem corruptis segetibus, ac plantis ad unam succisis, omnis Lucensium ager igni ferroque, nulla belli crudelitate ommissa, a Florentinis in ejus conspectu vastatus esset. Tenebant ad eam diem Senenses castella, quæ in Valle Ambræ ceperant, in queis oppidum erat munitum, quod Caput Silvæ appellant, proditione captum in finibus Vallis Arni superioris, unde variis hostium incursionibus ex propinquis locis in dies præda abducebatur. Suaferant Imperatori Senenses, ut arma adversus Florentinos sumeret. Ille imparatus bello, ut qui pacem præsetulisset, suis si qui vellent Florentinos oppugnandi arbitrium permisit. Quidam ad

tuen-

N O T Æ.

(b) *Florentinum ducem*, Michelettum de Attendulis.

tuendum id oppidum accessere: plures in arce, cui nomen 1432
 est Castellina (octo millibus passuum a Senis ea abest) si-
 mulata proditione deprehensi pœnas dedere: multi occisi
 sunt: plures truncati membris suæ temeritatis testes Senas
 reversi. Quinque menses jam Senis degerat Sigismundus,
 cum missis (*c*) ad Eugenium legatis, qui de se coronan-
 do agerent, certis (*d*) conditionibus inito fœdere, Ro-
 mam (*e*) mense Januario proficiscitur, anno secundo &
 trigesimo supra mille quadringentos. Locus ipse postula-
 re videtur, posteaquam Sigismundi mentio incidit, ut
 paucis de hoc novo Imperatoris coronandi more differa-
 mus. Coronabantur (*f*) prisco tempore laurea corona,
 qui ob devictas bello urbes, aut subactas provincias, exer-
 citusque hostium fugatos, ac cæsos a Senatu, vel ab exer-
 citu Imperatores appellati triumphabant. Qui mos ab an-
 tiquis Romanis servatus amissa quoque libertate a tyran-
 nis, quos Cæsares aut Imperatores appellabant, retentus est:
 ideoque & ipsi ter quaterque, aut amplius se Imperato-
 res dictos gloriabantur; idque summæ dignitatis loco mo-
 netæ inscribi mandabant. Eam coronam prisci illi trium-
 phales viri ob virtutem meriti diebus solemnibus, aut lu-
 dis publicis honoris gratia gestabant. Cæsar (*g*) ipse Di-
 ctator gestandæ singulis diebus laureæ jus a senatu impe-
 travit.

N O T Æ.

(*c*) *Missis ad Eugenium legatis.* Episco-
 po Curiensi, & Guaspere Schlik Cancel-
 lario.

(*d*) *Certis conditionibus.* se venturum Viter-
 bium ad Pontificem cum propria duntaxat
 familia; fidem suam Pontifici ex consueta
 Cæsarum formula præstiturum; ditionem
 Ecclesiasticam non invasurum, & alia quæ
 in *Rayn. Ann. Eccl. ad ann. 1433.*

(*e*) *Romam mense Januario proficiscitur.*
 pridie vero kal. Junias a Pontifice corona-

tus est. *S. Antonin. p. III. Tit. 22. lib. 10. §. 1.*

(*f*) *Coronabantur, &c. qui ob devictas ur-
 bes.* Sic ob Græciam servituti ereptam Pho-
 cioni nihil quicquam præter coronas publi-
 cæ decreto datum. *Pascalius de coronis lib. 1.*

(*g*) *Cæsar ipse dictator, &c.* Calvitie am-
 bitionem regens. *Ex omnibus decretis sibi a
 Senatu populoque honoribus non aliud aut re-
 cepit, aut usurpavit, quam jus laurea corona
 perpetuo gestanda.* Sueton. in ejusd. Vita.

1432 travit. Carolus Magnus apud Latinos ob ejus (*h*) in sacrosanctam Romanam Ecclesiam , & Pontifices merita adeptus imperium primus , & a Romanis dictus est Imperator , & a Leone (*i*) Pontifice coronatus ; atque hinc nova coronandi a Pontificibus Imperatoris consuetudo est exorta . Qua vero (*l*) corona Carolus , & qui ab eo manarunt , usi fuerint , incertum . Duo autem quos ipsi coronatos vidimus , Sigismundus , ac Federicus auream coronam margaritis gemmisque distinctam semicyclo supra caput in crucem reflexo per Eugenium , ac Nicolaum Pontifices apud Divi Petri Basilicam capiti impositam ad Lateranensium sacras ædes euntes , redeuntesque ingenti pompa , apparatuque veste sacerdotali gessere . Inolevit autem usus , vel abusus potius , ut ante coronationem Romanorum Reges , postea vero Imperatores dicantur , quasi minoris fuerit Regem esse , quam Imperatorem . Quæ summa , ac barbara perversitas dicenda est : nam Regium (*m*) antiquissimum nomen est , & apud Romanos , dum liberi erant , propter Tarquiniæ superbiam execrandum ; Imperatorium vero in libera civitate consuetum , ac laudabile , cujus gloria plurimi fuere nobilitati : neque post actum triumphum id nomen residebat , sed hi viri triumphales appellabantur . Marcus Cicero orator , ut innumerabiles præteream , Imperator est ab exercitu dictus , cujus triumphus belli civilis clade impeditus est . Hæc scripsi , ut plane

N O T Æ.

(*h*) Ob ejus in Romanam Ecclesiam & Pontifices merita. Subegerat enim Desiderium Langobardorum Regem , qui Ecclesiæ urbes occupaverat , & Constantinum fratrem Pseudopontificem tuebatur . *Gotofrid. Viserb. Chronic. part. 17. & Joann. Linturius Chronic. Germanic. lib. 7. in To. 2. Pistorii.*

(*i*) A Leone Pontifice coronatus . quem a Romanis in carcerem conjectum pontificiæ sedi restituerat .

(*l*) Qua vero corona , &c. incertum . Aurea corona coronatum asserit Joannes Linturius in *Append. ad Fasciculum Temporum Weneri* ; nec non *Urtisus Fragment. Hist. Anonymi* , qui ait hoc contigisse anno Chr. DCCC. in ejusdem natali die ante altare B. Petri .

(*m*) Regium antiquissimum nomen . A Nini usque temporibus , qui Assiriorum Rex erat .

ne constet quantum distet hæc fucata nullam ob rem præ- 1432
 clare gestam coronatio ab illa vera, quæ alicujus singula-
 ris in bello virtutis gratia concedebatur. Nam eligendi
 Imperatoris nova extat inventio, & a Gregorio (n) Quin-
 to ex Germania oriundo Pontifice maximo anno salutis
 tertio ac millesimo adinventæ: quæ consuetudo Italorum
 ignavia ad hanc diem perseverat. Nunc ad institutum re-
 vertamur. Post Sigismundi ex Lucensium agro disces-
 sum Florentini coactis in unum copiis instructoque exer-
 citu, Senensium fines ingressi, incensis villis, agris vasta-
 tis, præda hominum, pecorumque ingenti abacta, ac
 omni circa urbem ora devastata, ita ut nihil quod usui
 esse posset integrum relinqueretur, Caput (o) Silvæ obsi-
 dione cingunt. Quod cum acriter multis in locis oppu-
 gnaretur, tandem post sexagesimum diem pluribus utrin-
 que magna edita cæde amissis, desperato subsidio, salute
 impetrata receptum (p). A Genuensium (q) vero exu-
 libus accepta a Venetis classe, orientale litus, nonnullis
 expugnatis oppidis, rapinis, incendiisque afflictum, Ligu-
 rumque naves triremibus tribus tempestate in Siculo fre-
 to absumptis in patriam reversæ. At in Gallia Venetorum
 fortuna cum belli ducibus immutata. Bordellanum, quod
 præsentè Carminiola defecerat, vi expugnatum, deletum-
 que proditionis pœnas dedit. Romanengum præterea, ac

P p 2. Fon-

N O T Æ.

(n) Gregorio V. ex Germania oriundo. e Saxonia, patre Othone: Bruno antea vocatus fuit. *Sanctionem* (ait Plat. in ejusdem vita) *hic retulit de eligendo Imperatore, nempe solis Germanis licere Principem deligere, qui Cæsar, & Romanorum Rex appellaretur: Augustus vero, & Imperator, si eum Romanus Pontifex confirmasset.*

ctis, eos adortus, partim occidit, partim cepit, vexillumque ipsum ereptum in arcem detulit. *Malavolt. Hist. Sen. lib. 2. p. III.*

(p) *Receptum.* Opportune quidem, nam eo vix recepto, duo peditum millia cum sexcentis equitibus ipso Sigismundo duce auxilio venere. *Ammirat. p. I. To. 1. lib. 20.*

(o) *Caput Silva obsidione cingunt.* Palantes Florentini ad oppidum accedere, imparatum occupare putantes, sed Petrus Turcus arcis cultos, agrestibus undique colle-

(q) *A Genuensium vero exulibus.* Baptista Fulgosio, seu Fregosio, exulum ductore juvante, Veneti Genuæ portum lubeunt. *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. X.*

1433 Fontanella opulentissima castella admotis castris recepta . Suncinum deinde exercitus ductus difficiliorem præbuit expugnationem . Admotæ bombardæ , ingentesque machinæ murum undique diruerunt . Oppidani , & simul milites defendendi causa eo missi pro muris aggeres præaltos , & fossas profundas , quibus tutarentur oppidum , instituerunt . Crebra erant undique prælia : ad hæc variis tormentis in oppidum saxa emittebantur , adeo domos disturbantia , ut sub dio habitare cogerentur , multique lapidum ictu cadebant : faucii præterea plurimi erant , & ob eam rem rariores coibant ad defensionem : malo tandem coacti post secundum obsidionis mensem se se dederunt , ea tamen conditione , ut milites omnes secure abire cum suis bonis permitterentur . Arx deinde munitissima brevi tradente (*r*) eam custode recepta est . Inter hæc Ferrariensis (*f*) hortante Philippo Venetias profectus , Senatum multis verbis , rationibusque ad concordiam cohortatus , cum animo haud alieno a pace viderentur , id egit , ut legatos (*t*) ad se Ferrariam mitterent , apud quos pacis , ac belli arbitrium esset . Missi & a Florentinis Pallas Strotius equestris ordinis vir insignis , Petrus Beccanufius , Johannes Eugubinus Jureconfulti , ac Nero Dietisalvius . Mediolanenses (*u*) quoque oratores evocati . Dum altercationibus variis apud Ferrariensem res tractata Venetorum ambitione protrahitur , interim multis præliis in convallibus circa Bergomum , Brixiam , Comum pugnatum est ; pluraque oppida a Venetis capta , ac Georgii Cornarii culpa haud parva clades in Valle Tulina accepta est ;

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (<i>r</i>) Tradente eam custode . pecunia corrupto , ut <i>Blond. Flav. Dec. 3. lib. 5.</i> | Fantinus Michaela Venetis missus .
(<i>u</i>) Mediolanenses quoque , &c. Philippi nomine Franciscus Gallina Ferrariam adiit .
<i>Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 7.</i> |
| (<i>f</i>) Ferrariensis . Nicolaus . | |
| (<i>t</i>) Legatos ad se Ferrariam mitterent . | |

est; in quam cum magna equitum, (x) ac peditum manu majoris audaciæ, quam consilii dux incautius progressus, neque locis neque hostibus exploratis, a tergo, & a fronte clausus profligatus est, equitibus mille & ducentis amissis, cum vix trecenti (y) per difficilia loca hostium manus effugissent, & ipse, & quinque (z) equitum præfecti absque certamine capti in Piccinini potestatem devenire. Ea res Senatum movit, ut Franciscum Principem Mantuanum belli ducem crearent, qui, mense Decembri accepto exercitu cum Camonicam Vallem Guelforum auxilio recepisset, in propinqua oppida milites in hiberna distribuit. Pax interim variis agitata sermonibus tandem Ferrariensi (a) pro amico, atque arbitro se gerente, tertio ac trigesimo post mille quadringentos anno, Aprili (b) mense firmata est: conditiones dictæ, ut Philippus Glarea Abduxæ (id nomen regionis est) oppidisque, ac locis cederet; quæ de Brixienti, Bergomensique ditone post pacis mentionem (c) cepisset, ablataque a Montisferati Principe singula restitueret, ageretque cum Duce Sabaudia societatis (d) jure, ut ab eo capta redderentur, utque Palavifinus pro socio a Philippo haberetur: Etruriæ omnis imperio abstineret: infra Pontremolum, Mutinensemque agrum non exercitus mittere, aut quicquam sibi vindicare posset; nec ullum foedus, aut amicitiam novam
sociis

N O T Æ.

(x) *Equitum, ac peditum manu.* Cum tribus militum millibus Cornarium ingressum, Piccininus ab eo antea pene subactus, nihil tale putantem aggressus est. *MS. anonymi apud me.*

(y) *Vix trecenti.* Via sibi per medios hostes facta, audaciores mortem effugere. *Ibid.*

(z) *Quinque equitum præfecti.* Thaddæus Atestinus, Cæsar Martinengus, Italus Forojulianus, Baptista Capitius, & Antonius Martinascus.

(a) *Ferrariensi pro amico, atque arbitro.* Nullum a Venetis Ferrariensi arbitrium, permillum, sed eo ut amico usi sunt, qui Venetias ter se contulit ut Senatum adiret.

(b) *Aprili mense.* die octavo Aprilis. *Pigna de Princip. Atest. lib. 6.*

(c) *Post pacis mentionem.* Dictum est supra, dum Ferrariæ de pace ageretur, Venetos cum Piccinino congressos.

(d) *Societatis jure.* necnon affinitatis, quippe filiam ejus uxorem duxerat.

1433 fociis insciis inire . Florentinorum , (e) Senensiumque belli tempore utrinque occupata ad priores dominos ad trigesimum diem redirent : ni restituerentur , jus fasque esset ea repeti bello , cui Philippus nullum auxilium præstaret . Loysius quoque Vermius paternum imperium , quod in Placentino agro majores sicut tenuerant , recuperaret . Captivi (f) omnes liberi essent ; Lucenses vero quæ fervente bello amiserant , receptis oppidis , libertate fruerentur . Plumbini (g) Regulus suis contentus rebus acquiesceret , neque ullam in societatem præterquam Florentinorum venire liceret , utque cuncta a fociis , ac fœderatis bello capta redderentur . His legibus confecta pace , (h) ac die certa ei comprobandæ præfixa , cum viderentur res diutius quieturæ , Italiaque confecta diutino bello respiratura ; Mediolanensis , vir mobilis , ac in eadem sententia minime perstans , insita rerum novarum cupiditate bella ex bellis ferendo , per speciem Francisci ad Brutios , & in Apuliam mittendi , ut quæ hæreditario jure tenebat , contra Alfonso Regem tueretur , Picenum (i) omne de Pontifice occupat , armisque sibi vindicat . Ex quo secutum est , ut altero post factam pacem anno de-

sciscen-

N O T Æ.

(e) *Florentinorum , &c.* Omnia Pisane , & Volaterranæ ditionis oppida Florentinis redderentur .

(f) *Captivi omnes liberi essent .* Omnes restituti præter Georgium Cornelium , qui morbo ex dolore animi contracto post inirram pacem decesserat . Ad Venetum Senatum legati Bartholomæus Imperialis , & Franciscus Gallina a Philippo missi , qui hoc jurejurando affirmarent . *MS. ibid.* licet eum veneno sublatum , ejusque epitaphio in S. Helenæ æde sculpto confirmet : referat *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 7.*

(g) *Plumbini Regulus .* Ludovicus :

(h) *Confecta pace , &c.* Ad pacem Venetos compulsos ait *Corius initio p. III.* quod copiarum duce carerent , Carminiola sublato . Quod sane quam falsum sit , cum Poggius , tum ceteri omnes scriptores ostendunt . Franciscus enim Mantuæ Princeps in Carminiolæ locum susceptus fuerat .

(i) *Picenum omne occupat .* Fraudulenter , jactans sibi a Basileensi Concilio , ut Ecclesiasticam ditionem occuparet , in itinere mandatum fuisse . *Rayn. Ann. Eccles. To. 18. ann. 1433.*

sciscentibus (l) ab eo Philippi opera Romanis, ex urbe 1433
 (m) clam abire, & mari Florentiam Eugenius petere
 cogeretur; qui Bononiam (n) primo, postmodum Ferrar-
 iam profectus, Florentiam (o) ad Græcorum (p) Conci-
 lium celebrandum reversus est, quo tempore multa ad-
 versus illum a Philippo tentata, alienoque (q) nomine,
 atque auspicio, ne fœdera violasse existimaretur, acta sunt;
 cumque Bononienses auctore Baptista Cannetulo ab eo de-
 scivissent, Pontifexque, ut eam urbem recuperaret, co-
 pias tum suas, tum Venetorum, Florentinorumque Ni-
 colao Tolentinate duce in eos misisset, signis collatis,
 cum acriter pugnatum (r) esset, nostri a Piccinino, qui
 cum Philippi exercitu sociis opem laturus accurrerat,
 superantur, tribusque equitum millibus amissis, Dux
 Tolentinas (s) Mediolanum captivus abducitur. Tan- 1434
 dem cum naturæ repugnare difficillimum esse animo
 versaret, nullusque locus diverticulis, ac simulationibus
 reli-

N O T Æ.

(l) *Desciscentibus ab eo Philippi opera Romanis.* Nicolao Fortebraccio Columnensium auxilio misso qui pontem Milvium, & portam Flaminiam occupaverat. *Ibid.*

(m) *Ex urbe clam abire.* S. Benedicti veste indutus una cum Valentino monacho navicula per Tyberim delatus, sagittisque appetitus ad Hostiensem turrin appulit. *Blond. Dec. 3. lib. 5. & Plat. in ejusd. Vita.*

(n) *Bononiam primo.* Se ab Hostia Civitatem veterem delatum, deinde Pisas, & Florentiam narrat ipse Pontifex in Epist. ad Joannam Siciliæ Reginam, necnon in sequenti ad Basileenses *apud Rayn. To 18. ann. 1433.* Nullam vero in his sui per Bononiam transitus mentionem facit.

(o) *Florentiam.* ingressus est nono Julii die.

(p) *Ad Græcorum Concilium celebrandum.* Quod antea Ferrariæ incæptum pestis causa Florentiam delatum est. In eo de Græcis Romanæ Ecclesiæ conciliandis agebatur, qua de causa Joannes Paleologus, & Jose-

phus Constantinopolitanus Patriarcha Florentiam se contulerunt.

(q) *Alienoque nomine, & auspicio.* nempe Basileensis Concilii nomine, & Fortebraccii auspicio.

(r) *Cum acriter pugnatum esset.* Nullum hoc neque incruentius, neque magis pudentium prælium. Quatuor in eo tantum occubuerunt, triginta leviter vulnerati, tres vero equites, & mille pedites capti, *Petr. Justin. lib. 7. Admirat. lib. 20. & Laurentius Spiritus Perusinus in Poemate De gest. Nic. Piccinin. lib 2. cap. 53.*

Qui non si fece mai per niuno conto

Voltersi colle spade ad far difesa;

Ma ciaschuno a campare, e fugir pronto.

(s) *Tolentinas Mediolanum captivus.* suo munere egregie functus cum timore perculos retinere nequiret, in adversam fluminis ripam tranavit, ubi equo dejectus, armorumque pondere oppressus, captus fuit. *Admirat. ibid.*

- 1435 relictus esset, otio maxime infensus ad apertum profilivit bellum. Nam post Genuensium defectionem, qui Thoma (t) Fregosio eorum Duce, auctore anno pacis factæ secundo ab eo desciverant, cum urbis recuperandæ facultas, spesque adempta foret, Piccininus ex Parmensi agro in Tusciam cum tribus equitum millibus descendit, Serrezanamque, quod oppidum Genuenses nullo (u) jure tenebant, vi cepit. Exinde pluribus captis, atque direptis castellis Lucam contendens, pacem abrumpere cives inuitos coegit, nonnullaque ab eo in Pisano agro oppidula
- 1436 nullo obsistente hostili more vastata. Quo timore compulsi Florentini Franciscum (x) quem magna ex parte suis opibus sustentabant, ex Piceno evocatum in Pisanos cum exercitu, ut eorum fines ab hostium incurusione salvos præstaret, mittunt. Simulabat Piccininus se regnum
- 1437 petere Neapolitanum, quo Alfonso Regi auxilio esset, transitumque Arni fluvii parabat, quo Florentinorum agros popularetur; prædixerat enim militibus stipendia postulantibus, se in eam regionem illos ducturum, in qua ex prædæ copia facile ditarentur. At Franciscus cum in Etruriam venisset, citeriorem fluminis ripam observans, omnes aditus, ne qua hosti pateret transitus, præcludebat. Ille ea spe ductus, cum bimestre in eis locis consumpsisset, Lucam reversus in rerum omnium inopia hyemem transiegit, eo consilio, ut Baptistæ Fregosio subsidio esset, polli-

N O T Æ.

- (t) *Thoma Fregosio auctore.* Defectionis auctor Fregosius haud esse potuit, cum patria exularet, sed primores Genuensium ad eum Sergianæ morantem misisse qui ad civitatis libertatem recuperandam accenderent, refert *Ubert. Foliet. Hist. Gen. lib. 10.* Poggius vero auctorem appellat, eo quod ipsi auctoritas a primoribus demandata fuisset. Causa defectionis, nimium aere Philippi imperium, & nimis contumeliosum, vi-
- storix præsertim in Alphonsum ab ipsis partæ & lucro, & gloria fraudantis. Franciscum Spinulam defectionis auctorem vult *Pigna lib. 6. & Petr. Justin. lib. 7.* una cum *Sabellico.*
- (u) *Nulla jure tenebant.* restituendum enim erat Thomæ Fregosio juxta pacis conditiones. *Ammirat. Hist. Flor. lib. 20. p. 1087.*
- (x) *Franciscum.* Sfortiam.

pollicenti se fratrem urbis imperio spoliaturum, si præsti- 1437
tuto tempore exercitum ad urbem admoveret. Quæ res
successisset (γ) profecto, fortuna res novas moliente, nisi
civium conspiratio Thomam tutata, Baptistam ex urbe
ejecisset. Quo tempore Nicolaus relicta Etruria Genuam
magnis itineribus contendit. Ea discessione Franciscus,
castellis quæ de Pisanis perdita erant recuperatis, agrum
Lucensem populabundus ingreditur, atque omnia ferro,
& igne perturbans prius ferme (ζ) deperdita Lucensium
oppida cepit, quam Nicolaus ad ferendam opem redi-
ret. Is enim ex Liguribus Parmam ingressus, dum refi-
ciundis militibus, parandoque commeatu, quo fame la-
boranti urbi subveniret, diutius immoratur, cives in extre-
mum fere discrimen perduxit. Nam Florentini post pa-
cem ab eis interruptam, Nicolaique discessum ad omnes
urbis portas lignea excitaverant castella, quibus & ci-
ves exitu, & externi importatione frumenti privaren-
tur. Munierant insuper loca, & montanos saltus, ex
quibus Piccininus obsessis opem ferre posset. Erat in ur-
be præfectus (α) unus Philippi cum ala equitum, & pe-
ditibus trecentis a Nicolao urbis præsidio relictus, qui in
tanta rerum omnium inopia versabatur, ut sæpius sit ab
eo de tradenda urbe cogitatum. Sed venturi quam pri-
mum auxilii data spes, tum multorum legatorum co-
hortationes, quos ad diversa loca pro impetranda pace de-
stinarent, ne animo deficerent impulere, suadentes, ut
nulla recusarent incommoda, cum præsertim difficulta-
tes omnes quantumvis graves potiores servitute essent.

Qq

Præ-

N O T Æ.

(γ) *Qua res successisset.* Publicas ædes occupaverat Baptista Fregosius, absente fratre; sed Thomas civium auxilio fultus fratrem comprehensum, quem capite ple-ctendum omnes distabant, humaniter di-

misit, pietate injuriam ultus. *Ubert. Fol. lib. 10.*

(ζ) *Prius ferme deperdita, &c. cepit.* ex-cepto Castelleone, ut *Blond. Flav. lib. 8.*

Dec. 3.

(α) *Præfectus unus.* Philippus Nazareus.

1437 Præparato tandem commeatu Nicolaus per montes asperos Lucensis oræ, inter Pontremolum, Serezanamque descendit. Cum autem Franciscus omnes ferme ad urbem aditus tum fossis, tum vallis, captis nonnullis humilioribus castellis, præclusisset, Nicolaus ad oppidum Bargam divertit tum loci natura, tum defensoribus munitum. Id positis castris cum obsideret, militesque nil hostile timentes (xxx. enim passuum millia Franciscus ab erat) custodias obirent negligentius, maximam prope cladem accepit. Nam missus a Francisco cum levis armaturæ peditatu præfectus (b) incompositos de improvise adortus hostes, & simul qui in præsidio oppidi erant ex composito (c) portis egressi, majorem quam pro numero tumultum excivere. Aspera dimicatio fuit: tandem fusi, fugatique Nicolai milites: Ludovicus (d) adolescens Mantuani filius, qui custodiæ castrorum præerat, accepto vulnere captus est, reliquus exercitus facto globo, armis sumptis suis auxilio occurrit. Præfectus, direptis quæ paratiora ad manus venerunt, ad Franciscum cum Ludovico rediit. Obsidio postmodum ab hostibus relicta. Instabant apud Florentinos Veneti, ut quando Luca in eorum potestatem procul dubio ventura esset, Franciscus ad se mitteretur, ut additis copiis flumine Abdua ponte juncto Mediolanensem agrum depopularentur: fore, ut Dux propinquo fatigatus bello curam servandæ Lucæ abjiceret. Verum cum id impetrare nequivissent, id enim tentari opinio pervaserat, quo Lucenses obsidione liberarentur,

N O T Æ.

(b) Præfectus. Petrus Brunorus.

(c) Ex composito portas egressi. Noctu de præfecti adventu moniti oppidani sub ortum solis in hostes prosiluere.

(d) Ludovicus adolescens Mantuani filius qui, &c. Cupiditate gloriæ ductus ad Piccininum confugerat Ludovicus, & dum Fran-

ciscusejus pater Venetorum imperator erat, hic adversus eum militabat; ex quo adeo exarsit Franciscus, ut eum exhæredaverit, ne Veneti se autore filium hoc egisse opinarentur, memor recentis Carminiolæ eventus. *Baptista Sacchius vulgo Platina Hist. Mant. lib. 5.*

tur, ipsi suis viribus fabricato ponte exercitum traducere 1437
 parant; quem procul dubio transmisissent, nisi maxima
 vis aquæ continuata procella cœlo missa rem turbasset.
 Paratis omnibus, ac ponte curribus convecto, cum ea
 regione, quæ Bergomensis agro propinquior est, cum firma-
 re decrevissent, præfectum magni animi (e) virum cum
 equitum turma nando in ulteriorem fluminis ripam eva-
 dere jubent, ut illius auxilio pons attolleretur. Is itaque
 lintribus pedite superimposito flumen ingressus, impetuque
 omni aquæ superato, diluculo in terram expositis copiis,
 cum nulla daretur facultas inundatione aquarum, quas
 nocturnæ pluvix in immensum excreverant, palos, aut
 trabes in alveo sistendi, lembique pene aquarum gur-
 gitibus absorberentur, ac nullus illorum usus esse posset,
 lucente vero die fama vulgata esset transisse flumen ho-
 stes, omnis generis (f) hominum facto concursu, coactus
 est præfectus, ne suos proderet hosti, salutem nando quære-
 re, neque enim a suis flumine disjunctis ullum auxilium
 poterat ferri. Præmissis militibus omnibus, cum partim
 trajecisse aquam, partim absorptos gurgitibus vidisset, ipse
 ultimus (g) flumen ingressus equo natante ad suos per-
 venit. Fabricandi pontis spe præcisa, Veneti cum a se
 renovatum contra Ducem bellum cernerent, Mantua-
 num belli ducem designatum in regionem Glareæ Ab-
 duæ traducere exercitum mandant, atque eo loci sita
 oppida expugnare. Quod cum subito præsensisset Ni-
 colaus a Philippo redire jussus, confestim relictis re-
 bus ceteris, quarta die cum ad Patum pervenisset, inte-
 grum diem eo trajiciendo moratur; tertiis mox castris

Qq 2 in

N O T Æ.

(e) Magni animi virum. Gattam Mellit-
 tam.

(f) Omnis generis hominum facto concursu.
 Ludovico Severinate duce, cui illius oræ

cura demandata fuerat.

(g) Ultimus flumen ingressus. Horatii
 Coclitis exemplo.

1437 in hostium venit conspectum. Qua illi re commoti in loca palustria, ad quæ unicus erat aditus, se contulere; omni pugnandi facultate hosti ablata; inde pabuli difficultate compulsi, motis castris apud oppidum Bulgeriam Bergomensis agri confedere. Hos montibus superatis adortus Nicolaus, pulsus loco Venetis, ad sexcentos (h) armis, commeatu, reliquisque rebus exercitui necessariis onustos currus interceptit. Conspicantes Veneti eorum consilia secus ac rati erant cecidisse, & Nicolaum viribus superiorem, rursus a Florentinis petunt, ut Franciscum in Galliam rebus suis subsidio contra Piccininum mittant: quod cum difficile factu existimarent, ob frequentem famam quæ in ore omnium versabatur, id quæri, ut obsidione Luca liberaretur, neque in rem Florentinam esset, tam longe talem ablegari belli ducem, impetrarunt, ut Regium Lepidum Franciscus peteret, ac Parmensem (i) (quo defendendæ illius urbis causa Nicolaus ab oppugnatione Bergomi evocaretur) popularetur agrum. Ceperat enim, demolitusque erat nonnulla de Bergamo castella, acriter incumbens urbis illius expugnationi. Sed cum nosset Franciscum Regium petiisse, timens Philippi rebus, e vestigio Parmam relicto Bergamo concessit, majore Ducis copiarum parte ad se eo convenire iussa: fabros præterea lignarios plurimos, currus; ac jumenta pontibus ligneis, scalis, commeatuique ferendis accommodata ferens, palamque jactitans se ad solvendam obsidionem Lucensem iter sumpturum. Hoc apparatu territi Florentini, cum Venetis egere, ut Franciscum Lucam reverti permitterent, quo facilius Nicolao obsi-

N O T Æ.

(h) *Ad sexcentos*. Quingentos tantum enumerat Blondus lib. 8. Dec. 3. | lippum pergere negabat; se enim cum eo foedere inito teneri dicebat, ne Padum trans-

(i) *Parmensem, &c. popularetur agrum*. | iret. Licet a Venetis conductus Sfortia, in Phi-

obsisti posset ; quod Veneti facile concessere , satis sibi 1437
 factum existimantes , belli molem a se in Tusciam trans-
 latam . Franciscus igitur superato per Mutinenses montes
 Apennino Lucam rediit . Secutus diversis itineribus Nico-
 laus montium qui interjacebant jugis appropinquavit .
 Quamvis autem peditatu plurimum posset Franciscus , ta-
 men veritus tum hostis versutias , tum varias rerum
 vices , intercidebat , obsepiebatque interim loca singula
 per quæ Nicolao transitus daretur : quo tamen tutius ob-
 sisteret hosti , augeri a Florentinis copias suas enixe po-
 stulavit . Sed cum nulli essent in promptu equites , a Ve-
 netis petunt , ut Guidantonium (*l*) Manfredum cum equi-
 tibus quingentis Francisci auxilio mittant . At is odio ad-
 versus Venetos concepto cum jam missionem postulaf-
 set , re facile concessa ad Franciscum transiit , qui auctis
 copiis , & a Florentinis , & a Venetis præteriti temporis
 merita stipendia (pari enim (*m*) sumptu fuerat condu-
 ctus) poscebat . A Florentinis , quam primum ei satis est
 factum . Veneti ob denegatum antea ad se Francisci adi-
 tum indignati , decreverant nulli , exceptis qui in Gal-
 lia militarent , stipendia præbere ; ideoque variis adductis
 causis , cur nihil ab eis , nisi certa conditione deberetur ,
 multa (*n*) adversus eum oblocuti sunt : quæ altius quam
 quisquam ratus esset , in pectus hominis descenderunt . Hæc
 omnia cum plures existimarent , idque haud ambiguum
 esset eo spectare , ut Franciscus ira percitus obsidionem
 sol-

N O T Æ .

<p>(<i>l</i>) <i>Guidantonium Manfredum</i> . Plures ductores Venetis indignatos asserit <i>Blondus</i> Pauli Throni verbis , qui eos ad Senatum partim negligentia , partim perfidia accu- savit ; unde multorum defectio orta est .</p>	<p>Poggius ; attamen hoc innuere videtur ; dum ait Sfortiam pari sumptu a Venetis , & Florentinis conductum .</p>
<p>(<i>m</i>) <i>Pari enim sumptu fuerat conductus</i> . Licet de foedere cum Florentinis , Venetis- que in Philippum inito , cui Genuenses quo- que post defectionem accessere , nihil referat</p>	<p>(<i>n</i>) <i>Multa adversus eum oblocuti sunt</i> . Quin immo Andreas Maurocenus Venetus ad exercitum legatus Franciscum trans Pa- dum pergere negantem publico jussu dimisit . <i>Corius p.V.</i></p>

1437 solveret, Florentinique turpiter rejecti ea urbe, quam sum-
 mis viribus, & infinitis sumptibus oppugnarant, minime
 potirentur, semperque pro augendo illorum imperio ex
 antiqua consuetudine decertarent, cum Francisco his dif-
 ficultatibus adducti agunt, ut donec Venetorum erga se
 voluntatem de solvendis pecuniis, ceterisque rebus per-
 spectam haberent, postulata differret. Namque ille pau-
 lum commoto animo turbatus, quæ a Venetis debe-
 bantur, a Florentinis petierat, signaque reconciliati cum
 Philippo animi præsetulerat, oratoresque ejus ad se mis-
 sos præter opinionem benigne exceperat, & humaniter
 eos allocutus nullam neque verbis, neque nutu simul-
 tatem, aut odium adversus eum ostendebat. Missus ita-
 que confestim ad Venetos civis amplissimus, summa pruden-
 tia, & virtute insignis Cosmus Medices, ad id munus potis-
 simum electus, tum quia in Republica præstans, tum
 præcipue acceptus (o) Venetorum Duci, multisque civibus
 summa benivolentia conjunctus, quo potissimum orato-
 re rem communem absque difficultate cum Venetis, ac
 Francisco transigi posse sperabant. Is Venetias profectus
 variis rationibus summa cum prudentia in Senatu disse-
 ruit: *Ita illius (p) fidem promereri, qui omnibus posthabi-
 tis maximo rerum suarum incommodo Regium profectus es-
 set, ut a Piccinino securi salutis suæ consulere, ut promissa,
 ac debita stipendia recipiat: Nihil majore reprehensione in pri-
 vato, nedum in tanta Republica dignius, quam datam fidem
 fallere, & jusjurandum, quod ita sanctum apud majores fue-
 rit, ut sacramento tantummodo in maximis Reipublicæ pericu-
 lis contenti fuerint: satisfecisse se jamdiu Francisco secun-
 dum fæderis formulam: id unum restare, ut quod promise-
 rint.*

N O T Æ.

(o) Acceptus Venetorum Duci, multisque civibus Florentia exulans Cosmus Venetiis tribus annis immoratus, nobilium ani-
 mos sibi devinxerat. *Ammirat. lib. 21.*
 (p) *Illius fidem.* Francisci Sfortiæ.

rint (nisi perfidia notari velint) exsolvant : Periculum esse 1438
 maximum , ne veluti contemptus transitionem ad Philippum
 faciat , qua sola re haud dubium esset illius fortunam , opes-
 que imposterum firmiores , ac superiores fore . At Vene-
 ti dominandi cupiditate elati , ac jam tum Italiae impe-
 rium sibi animo despondentes , ut qui Florentinorum opi-
 bus parvo tempore Tarvisium , Brixiam , Bergomum plu-
 raque opulentissima oppida in Gallia de hostibus cepis-
 sent , ægreque ferrent bellum non nisi in Gallia geri , quo
 jure belli capta illis cederent ; ad hæc (q) Lucam in po-
 testatem nostram redigi permoleste ferentes , sociorum
 vero damna pro nihilo ducentes , amicitias pro utili-
 tate pensantes , & aliorum bonis invidentes , fidem ,
 ac legati cohortationes contempserunt : qui indignatus
 legationis suæ & fidei haud habitam rationem Ferrariam ,
 ubi Eugenius Græcorum Concilium tenebat , revertitur .
 Missus subinde Venetias & alter orator Julianus Davan-
 zatus equestris ordinis postulatum eadem quæ Cosmo fue-
 rant mandata , responsum (r) redditum esse contumelia
 plenum , veluti in sociorum contemptum renuntiavit :
 Nuptiarum (s) apud se tempus esse , quæ dies amplius
 quindecim suspensos cives tenerent : difficile esse festos dies
 civitate agente aliquid peragi . Interea Piccininus nequic-
 quam Apennini transitu tentato , commeatu quem Lucam
 comportaturus erat , carrisque omnibus Castilionem (id
 oppidum de Lucensibus in Apennini jugo situm est) missis ,
 agrum

N O T Æ.

(q) *Permoleste ferentes* . Immerito Venetos objurgat Poggius , cum neque moleste tulissent Florentinos Pisas occupasse , nec auxilium Senensibus in Florentinos Lucam obsidentes petentibus præbuis-
 sent .
 (r) *Responsum redditum esse contumelia plenum* . Contumeliose loquenti contumeliosum jure responsum redditum est ; nanque & Florentinorum beneficia Venetis exprobra-
 vit , & exitum rei poenitendum minatus est .
 (s) *Nuptiarum tempus esse respondit* . Hoc quidem a Poggio confictum arbitror , cum a Veneti Senatus gravitate alienum sit . Responsum esse ait *Petr. Just. Blondus* , & *Sabell.* Venetos promissa soluturos fuisse stipendia , si promissam Venetis operam Sfortia navasset ; sed cum pro Florentinis semper stetisset , ab eis stipendia postulare .

1438 agrum Mutinensem petit per Bononienses fines, aut per Flaminiam in Etruriam descensurus. Inde Bononiam versus iter ingressus ad Eugenium mittit, qui petant, ut sine injuria, & maleficio per loca Romanis Pontificibus subjecta transire liceat. Quod cum impetrasset, spem dedit Eugenio certam se contra Franciscum exercitum ducturum, ut illius (t) tyrannide oppressa provincia tandem Pontifici restitueretur. Fide utrinque publica interposita, Nicolaus Bononiam prætergressus pacato similis, ut ne vestigium quidem ullum belli extaret, positus apud Indicem fluvium via Flaminia castris, cum fingeret se in Etruriam trajecturum, Astorgio Manfredo cum duabus equitum turmis ad obsidendum Oriolum (x) Florentinorum in Flaminia oppidum præmisso, ipse e vestigio secutus oppidum vi expugnatum hostili more diripuit. Desperato Venetorum auxilio (u) Franciscus anno octavo ac trigesimo post mille quadringentos jam antea tentatam cum Philippo concordiam firmat, haud abnuentibus Florentinis, qui cognita illorum mente, cum res suæ in arcto versarentur, & hinc instaret hostis acerrimus, hinc Lucæ potiundæ ablata spes videretur, propter occulta tum consilia, tum præsidia, quæ illi per suam invidiam suppeditabantur, (y) suasores ejus fœderis fuere. Cernebant enim se a sociis præter spem destitutos, solos a Philippi copiis oppugnari, & omnem belli impetum in se esse conversum. Fœderis leges, nulla de (z) Florentinis publi-

N O T Æ.

- (t) Illius tyrannide oppressa. Sfortiam Flaminie Marchionem, & Ecclesie Vexilliferum Eugenius declarare coactus fuerat, ut sibi eum conciliaret, quem nimis verendum hostem expertus fuerat. Oblata vero occasione Piccinini opera eum subigere studebat. Rayn. Ann. Eccl. To. 18. Pigna lib. 6.
- (u) Oriolum seu Aureolum. Castrum agri Faventini inter Faventiam, & Muti-
- lum, 4. pass. mill. utrinque distans.
- (x) Venetorum auxilio. nempe pecunia.
- (y) Suppeditabantur. a Senensibus.
- (z) Nulla de Florentinis publice mentione habita. Cautum enim fœdere cum Venetis percussio erat, ne unquam illis inconsultis de pace agerent, eorumque arbitrio starent.

publice mentione habita (ut quibus per Franciscum cavebatur) varia fuere: inter cetera , ut ei Philippus certam pecuniam intra constitutam diem solveret , tum ut ex Florentinorum agro copias omnes revocaret , utque suæ ditionis per hostes capta restituerentur : Lucenses liberata bello patria , fœdus pacis in decennium cum Florentinis firmarent , castellaque , & oppida amissa Florentinis cederent ; fines eorum intra sextum lapidem includerentur : quos agros , quas possessiones aliis quibuscunque in locis possiderent , optimo jure tenerent : eosque , qui armis alterum lacefferent , se bello persecuturum testatus est , oppugnaturumque pacis violatores . Filia (a) quoque Philippi Francisco desponsa . Multa præterea Francisci nomine adjecta , quibus nulla in re fœderi , quod Venetos inter , & Florentinos ictum erat , derogabatur . His peractis , cum principibus Florentini Senatus aliquo beneficio alliciendi Lucenses ad delendam contractam jam animo dominandi suspicionem viderentur , utque omnis præteriti belli memoria aboleretur , paxque aliquo vinculo astricta perpetua esset , Montis Caroli oppido decem milibus passuum urbi propinquo , & Mutroni portus arce reservata , reliqua omnia jure belli capta fœdere icto Lucensibus dono dederunt . Magna videbantur inter Philippum , ac Florentinos reconciliatæ gratiæ jacta fundamenta . Verum animus illius quietem horrens , spretis omnibus , quæ in fœdere continebantur , nihil eorum , præterquam de danda pecunia , & revocandis militibus servavit . At Nicolaus , cum Oriolo (b) excessisset , idque suo

R. r præ-

N O T Æ .

(a) Filia quoque Philippi Francisco desponsa . Blanca , quæ jam illi promissa fuerat , cum adhuc viro matûra non foret , ut jam adnotatum est præcedenti libro . Dotis nomine Dertona , & Asta Pompeja data . Corivius p. V.

(b) Cum Oriolo excessisset . Una cum præsidio . Noluit enim palam ejus ditionem facere . Mutilanenses hoste vacuum Florentinorum nomine occuparunt . Blond. Flav. Dec. 3. lib. 8.

1438 præsidio destitutum Florentini recuperassent, in finibus agri Foroliviensis castra posuit; inde Ravennam (c), quæ a Venetis tenebatur, profectus, cum eam (d) oppugnasset, deditioe (e) tandem facta urbem recepit, relictoque ibi præsidio, Imolam, Forlivium, Bononiam (f) præter fidem datam proditione civium cepit. Quæ dum contra Eugenium aguntur, Gattamelata, vir strenuus, atque impiger rei militaris, Venetorum dux est factus; nam Mantuanus contracto in Venetos odio, quod se veneno eos appetiisse diceret, ad Philippum (g) desciverat; acceptoque exercitu in agrum Bergomensem profectus, omnibus locis, quæ a Nicolao occupata fuerant, in potestatem redactis, agrum Cremonensem (& jam flavescabant fruges) late populatur. Ea re motus Nicolaus contractis in unum copiis, præsidioque a se captis urbibus imposito, ipse confestim magnis itineribus Pado transmisso, Casale majus, agri Cremonensis oppidum, quod Veneti tenebant, obsidione cingit; unde vigesimo quo oppugnari cæperat die muris, turribus, tormentorum crebris ictibus dirutis, dedentibus (h) se oppidanis recipit. Solicitabat agri Brixienfis accolæ Nicolaus ad defectionem, intentusque erat, si qua posset arte Gattam, qui in ulteriori Olli ripa transitum ejus dispositis frequentibus equitum, peditumque stationibus prohibebat, intercipere. Ad removendam trans-

eundi

N O T Æ.

(c) *Ravennam quæ a Venetis*. Nondum a Venetis, sed ab Hostasio Polentano tenebatur, cum ea Veneti potiti sint anno tantum MCDXLI. ut *Desiderius Spretus lib. 3. de magnitudine, excidio &c. Ravenna*, & cum eo *Rubeus Hist. Ravenn. lib. 7.* refert.

(d) *Cum eam oppugnasset*. Venetis, qui auxilio venerant, resistantibus.

(e) *Deditioe tandem facta*. Ab Hostasio invitis civibus, & tribus aureorum millibus Piccinino perfolutis. *Rubeus ibid.*

(f) *Bononiam*. Donatiana porta potiti Bentivolientes Piccininum introduxere.

(g) *Ad Philippum desciverat*. Non veneni suspicione, ut ipse dictitabat, sed eo quod summam imperii auctoritatem uni illi non permisissent, sed duos Provires addidissent, quibus inconsultis nihil agere posset. Ita refert *Baptista Sacchius*, Venetis ceteroquin non satis æquus, *Hist. Mant. lib. 5.*

(h) *Dedentibus se oppidanis*. Veneto præsidio in triduum abire concessum est.

eundi suspicionem, pontem Bimæ (i) valida arce ab utro- 1438
 que latere munitum comportatis machinis se fingit oppu-
 gnaturum. Pluribus deinde diebus in fallendo, si posset,
 hoste nequicquam consumptis, demum ad id antea in
 Pado præparatum pontem in Olium introduxit: navibus-
 que juncto ponte, partem copiarum, quæ Mantuano (l)
 jungerentur præmisit: ipse per agrum Mantuanum flu-
 men cum reliquo exercitu transire in ulteriorem partem
 aggreditur, ea spe, ut clam junctis copiis Gatta ex im-
 proviso opprimeretur: & successisset res, nisi miles ex ho-
 stibus (m) captus imminens periculum aperuisset. Eo ti-
 more Gatta motis signis proxima Brixia oppida confestim
 petit. Duodecim passuum millia aberat, cum apud ho-
 stes illum in tuto esse præmissi equites nuntiant. Nicola-
 us omnibus copiis Mantuani opera trans Olium (n) tradu-
 ctis, omnia ferme Brixienſis agri oppida segetes amitten-
 di metu (& kalendæ Juliæ erant) se se illi sponte deden-
 tia cepit. Mons Clarus tantum, Urcei, ac Palatiolum
 in fide manserunt. Tam subito, atque insperato Gattæ ad
 urbem adventu, qui castra (o) ad quintum lapidem mu-
 nierat, tum oppidorum defectione conterritis civibus,
 cum pars exercitus ad custodiendam urbem missa esset,
 ab diversa civium factione asserente satis ad tutandam
 urbem sibi solis virium adesse, rejecta est. Duæ factiones
 Ghibellinorum (p), Guelphorumque civitatem distine-
 bant,

NOTÆ.

- (i) *Bimæ*, seu *Bina*. Castellum a Casa-
 li 12. miliaribus distans, cujus arces in
 utraque Olli ripa munitissimæ. *Blond. Flav.*
Dec. 3. lib. 8. Gotholengensis, quem Piccininus ad Bri-
 xianos agrestes sollicitandos miserat. *Blond.*
Flav. Dec. 3. lib. 8.
- (l) *Quæ Mantuano jungerentur*. Etſi a
 Venetis discedens Franciscus Gonzaga, se
 nunquam in eos arm. moturum promiserat,
 contra fidem tamen Philippo adhæsit. *Petr.*
Just. lib. 7. (n) *Trans Olium traductis*. Patet factis
 Marcharix, & Canneti pontibus, quos
 Mantuanus tuebatur.
- (o) *Castra ad quintum lapidem*. Ad Bal-
 neolum.
- (p) *Ghibellinorum, Guelphorumque*. qua-
 rum principes Martinengi, & Avogari.

1439 bant, utrique summa vi postulabant, ut arces sibi custodiendas demandarent. Guelphi maxime contendebant id sibi concedi, rationibus præcipue freti, quod diversarum partium viri pro Philippo starent: motus itaque varios concitarunt, & haud procul a seditione, & vi aberant, adeo ut ferro rem dijudicaturos appareret, nisi Prætoris Veneti virtus (is Franciscus erat (q) Barbarus, vir prudentia, & eloquentia præditus) suadendo, hortando, monendo, pericula ostentando omnem compressisset tumultum. Non enim utile civitati asseverabat, neque id præsens tempus postulare, ut altera factio, velut invisa, ac suspecta a custodia urbis rejiceretur. Excitari enim perniciosum incendium, si parte civium contempta, reliqui servandæ urbis curam susciperent: dari profecto ex ea suspicione ceteris causam defectionis. Difficillimum in rebus dubiis esse, tum externos, tum maxime domesticos evitare hostes: magistratui ergo urbis sine cujusquam injuria, aut contumelia, & ex Veneti Senatus dignitate custodiam permitendam videri. Quod cum cives assentirentur, susceptarum omnium cura Prætor, dissidentes animos variis sermonibus confirmat: novis (r) præterea conjungit matrimoniis, quo præcipue pacto cum in fide perstarent cives, Prætoris virtute saluti urbis provisum est. Gattacum inter (f) Mincium amnem, & lacum Benacum teneret exercitum, illumque a suis intercludere omni ope Piccininus conaretur, eo consilio, ut aut liberior proxima quæque loca facile expugnaret, aut præcis commea-

tibus

N O T Æ.

(q) *Franciscus Barbarus*. Cum de tanto viro scriptarum rerum fama celeberrimo nullus ex coævis scriptoribus siluerit, nihil insuper addam iis, quæ in Poggii Vita perscripti.

(r) *Novis præterea conjungit matrimoniis*. Dissidentibus affinitate conjunctis, nec non

Paride Ludronio præpotenti viro Leonardi Martinengi opera Petro Avogaro conciliato.

(f) *Inter Mincium, &c.* apud Bidicolum, a Benaco, Mincio, & Brixia æquali distans spatio.

tibus hostes fame conficeret; junctis copiis, ac in unum (t) contractis, copiam pugnandi facturus, mature Nicolao occurrit. Clesius fluvius, qui admodum excreverat, inter exercitus, certe majori odio, quam viribus prælium inuituros, certamen diremit. Dum hæc aguntur, Mantuanus cum quatuor millibus equitum, peditumque in castra Nicolai venit. Commoti tanto hostium numero Veneti, simul veriti, ne qui ex eorum præfecti ad Mantuanum deficerent, parte exercitus per municipia distributa, reliquas (u) copias Brixiam, ut illius urbis præsidio essent, reduxerunt. Quia ex re præbita Nicolao facultate quo vellet castra circumferendi, multa oppida de Venetis tum suopte ingenio, tum partium (x) studio recipit. Mantuanus vero inter Athesim, Minciumque Veronensis agri castella plurima nullo labore capit. Valisium custodis arcis proditione occupat. Johannes Malavolta Senensis, Venetorum equitum præfectus, cum proditionis ignarus cum trecentis equitibus intrasset oppidum, amissis equitibus, solus atque inermis Brixiam rediit. Paucos deinde post dies in ulteriorem oram Veronam versus traductis militibus, omnia ejus regionis castella triduo in potestatem nullo obsistente redigit. Montani (y) insuper complures, qui variis inhabitabant convallibus, gens mobilis, atque inconstans, transiit ad Philippum. Missi tamen a Venetis eo nonnulli præfecti (z), & quidam contrariæ factionis viri, exultantes victoria hostes magna edita cæde fuderunt. Alia in parte Nicolaus Clario

opu-

N O T Æ.

<p>(t) In unum contractis copiis. Hoc est militum non minus viginti quinque millibus, in quibus duodecim millia peditum a Barbaro auxilio missa. Blond. Dec. 3. lib. 9.</p> <p>(u) Reliquas copias, quas Gattæ auxilio missas diximus superiori nota.</p> <p>(x) Tum partium studio. Salodium Benaci præcipuum oppidum a Pedemontanis</p>	<p>Philippo traditum; Blond. Flav. ibid.</p> <p>(y) Montani insuper complures. Camonica Vallis Antonii a Beccharia impulsu, exciti.</p> <p>(z) Nonnulli præfecti, &c. Joannes Contes, Bartholomæus Colleoni, & Leonardus Martinengus cum montanis suæ factionis hominibus.</p>
---	--

1439 opulento oppido deditioe populi potitus, sexcentos equites cum præfectis (a) ad ejus loci custodiam missos cepit, spoliavitque, inde Roadum duxit: quo cum Gatta celeriter venisset, signis collatis inter utrunque exercitum ab ortu solis ad occasum usque æquo (b) Marte pugnatum est. Nox inter fessos labore prælium diremit, incertos victine, an victores abirent. Cum terrestri bello impares Philippi copiis essent Veneti, classem, quam maximam ferebant tempora, parare in Pado adversus Mantuanum decernunt: quo discrimine percussus ille ad sua tutanda revocaretur, & simul ut ceteris in fide perstantibus augeretur animus. Ei classi, quæ centum & sexaginta quatuor navium explebat numerum ad varios belli usus fabricatarum, dux Petrus (c) Lauredanus, vir ea tempestate & pace, & bello clarus, præficitur: has naves majores, sexaginta aliæ minores secutæ sunt usui necessaria ferentes. Ingens erat (d) classis apparatus, tum variis machinis, tum omni tormentorum genere ad expugnanda oppida, sive terra, sive aqua decertandum foret. Redeunti ad Roadi obsidionem Nicolao & ipsius oppidi, & aliorum (e) complurium paucos intra dies ultro deditio est facta. Venetorum copiæ, duce Gatta, majore ex parte Brixie moram trahebant. Ob eam rem parabat obsidere urbem Nicolaus, confusus eam se per inopiam comensus fame expugnaturum. Quod timentes Veneti, cum Gattæ facultatem novos conscribendi milites dedissent, quibus Piccinini vires retardari possent, decrevere,

ut

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (a) Cum præfectis. Guerrerio Martiano, & Michaele Gritti. | sibus victoriam retulit. |
| (b) Æquo Marte pugnatum est. Quanvis Piccininus ad montana dispositis militibus in Gattam pugnantem nec opinatum impetum fecisset, nihil tamen territus exercitum continuit. Blondi Flav. Dec. 3. lib. 9. | (d) Ingens erat classis apparatus. Fuscus narrat Pigna de Princip. Atest. lib. 7. |
| (c) Petrus Lauredanus. qui de Genuen- | (e) Et aliorum complurium. Bomadentes, Paterniani, Monticulani, Guglanenses, Orniani, Brienles, Tropienses Piccinino se dedere. |

ut Gatta cum majore equitum parte quo posset itinere 1439
 Veronam (f) peteret, utque in ea, atque aliis urbibus
 opportuna disponderet præsidia. Noctu igitur cum quinque
 electorum virorum millibus urbe egressus ad Mincium ve-
 nit, tentaturus, si quo daretur modo, flumen vado trans-
 ire: quod cum diversis in locis quæreret, Mantuani mi-
 lites per stationes fluvii ripam observantes cum ad arma
 visis hostibus conclamassent, territus ille, retroque, ne in-
 terciperetur (g) ab hoste, versus, tanta celeritate Brixiam
 contendit, ut die noctuque haud intermisso itinere, nul-
 lum neque quiescendi, neque cibi capiendi concederetur
 spatium. Nicolaus desperans urbem fame ad deditorem
 compelli posse, frequenti præterea militum numero muni-
 tam, difficilem præbere expugnationem, exercitum ad
 oppugnandos Urceos novos duxit. Quatuordecim diebus
 in ea oppugnatione frustra consumptis, nullaque per vim
 illius potiundi spe proposita, præfecti (h) equitum, cui
 ea custodia demandata erat, proditione oppidum recipit.
 Magnam ea res Brixiensibus desperationem incussisset,
 nisi Francisci Barbari virtus & antea principum civitatis
 animos invicem conciliaisset, & tunc conjurationem ad se
 delatam non vindicando, ne irritarentur civium animi,
 sed cavendo, ac dissimulando declinasset. Cum suaderent
 omnes Gattam cum equitatu, peditatuque pro defen-
 sione urbis retinendum, solus Franciscus patriæ salutem,
 ne defensoribus nudata pateret hosti, ceteris præferens re-
 bus, illum hortatus est, ut modico relicto præsidio reli-
 quas copias, non qua prius tentarat via, sed per montes,
 supe-

N O T Æ.

(f) Veronam peteret. Thaddæi Atestini fidei ac virtuti Brixia commissa. *Baptista Sacchius Hist. Mant. lib. 5.* | tentus hostem evadere permisisset. *Vit. Nic. Piccen.*
 (g) Ne interciperetur. Ignaviam suam sæpius accusavit Piccininus, qui prædæ in- | (h) Præfecti equitum. Petri Lucensis CC. equitum præfecti. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 9.*

1439 superatis propinquis paludibus, Veronam traduceret. Quam sententiam ut meliorem secutus ille per montes asperissimos, infestosque (i) hostibus, Tridentum versus, perque saltus præcipites; & pene invios quatruido profectus, cum pluribus in locis ferro via facienda esset, tandem pluribus præliis circiter octingentis equitibus amissis, labore ingenti, continuoque Veronam pervenit: quæ res plurimum ad confirmandos civium animos contulit. Interim cum maxima omnium expectatione classis parata esset, timens (l) rebus suis Nicolaus Ferrariensis, incertus enim erat quos primos esset appetitura, duo millia (m) equitum, quingentos pedites adversus externam vim, si qua ingrueret, conduxit, Eugenique (n) Pontificis, qui tum Ferrariæ erat, opera restituto Rovico (o) ceterisque ejus regionis castellis, quæ ad quadraginta (p) annos pignoris titulo Veneti possederant, fœdere renovato ad illos transiit. At classis ingressa Padum, dum moratur diutius, quam belli gerendi ratio poscebat, Mantuano tempus datum est ea loca, quibus classis obesse poterat, muniendi, ac præsidio firmandi. Castellis enim egregie juxta aquam muni-

N O T Æ.

(i) *Infestosque hostibus Tridentum versus.* ab Alexandro Mazoniæ ex Polonorum Ducibus Tridentino Episcopo, Friderici III. Imper. avunculo, montani homines, in Venetos concitati, ut Philippo gratiam rependeret, qui Ripam Tridentini juris jam occupatam libere Episcopo concessisset. *Jan. Pyrrhus Pincius lib. 3. de Vitis Pontif. Tridentinorum.*

(l) *Timens rebus suis Nicolaus.* Venetos jure sibi infensos metuebat, quod ejus impulsu Franciscus Gonzaga a Venetis defecisset.

(m) *Duo millia equitum.* Guido Antonio Manfredi conducto, & Borso filio spurio, qui apud Sfortiam erat, cum DC. equitibus revocato. *Pigna de Princip. Arest. lib. 7.*

(n) *Eugenii Pontificis opera.* Venetos

exorantis, ne armorum terrore Græcorum jam inceptum Ferrariæ Concilium dissolveretur, quod Græcus Imperator futurum denunciaverat.

(o) *Rovico.* seu Rhodigio cum ejus Policinio, vulgo *Polesine di Rovigo.*

(p) *Quæ ad quadraginta annos pignoris titulo, &c.* Non XL. sed XLV. annis oppigneratum Rhodigium Veneti tenuerant, cum ab anno MCCCXGIV. quo eis datum fuit, usque ad MCDXXXIX. quo restitutum XLV. anni fuerint elapsi. Scutatorum 50. millibus oppigneratum una cum Abbazia, aliisque Policinii oppidis fuerat, restitutum vero est Nicolao, non plus decem scutatorum millibus persolutis. *Niccolius Orig. Rhod. lib. II. & III.*

munitis, ingentibusque palis, catenis colligatis juxta ripam triplici ordine defixis, quibus navium ad terram accessus impediretur. Ad hæc frequentibus propugnaculis castellisque in oportunis locis distributis, ex quibus in continentem prohiberetur discessus: arce præterea Hostilia in Padi ripa, Sermioneque fluviali oppido omnibus artibus, tum defixis palis, tum stationibus, tum catenis ferreis ad arcendas naves communitis, omnem fluminis suæ ditionis ripam variis referfit tormentis. Dum hæc a Mantuano adversus classem geruntur, Piccininus per exploratores certior factus Gattam procul abesse, oblatam Brixie capiundæ facultatem ratus, omni conatu obsidioni urbis incumbens castris prope positis, aquarum (r) venis, quibus cives utebantur succisis, fluminibus quoque, & propinquis rivis (quo penuria aquarum animis deficerent) derivatis, tria (s) castella oportunis in locis quo facilior esset oppugnatio circa urbem erigit. Erumpebant quotidie cives adversus castellorum custodes, multaque plurimorum cæde, & sanguine edebantur certamina, cum Nicolaus gloriæ cupidus, atque in omnes belli eventus summa cura intentus, arbitratus, aut vi, cum pauci milites urbem defenserent, aut fame, aut obsidionis tædio cives se dedituros, omnibus copiis eo contractis, simul magna agrestium coacta manu, ad hæc variis machinis, bombardisque (t) comportatis urbem undique obsidione cinxit. At præfectus equitum Brixie Taddæus Estensis vir impiger, ac bello utilis, & Prætor (u) Franciscus, in quibus urbis defensio stabat, reductis in ordinem militibus,

Sf de-

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (g) Sermioneque. seu Sermedo. | quarum minima ait Blondus lapidem trecentarum librarum emitteret. |
| (r) Aquarum venis. unde aquam in urbem deducebant ad usum & ornamentum. | |
| (s) Tria castella. Terra lignisque compacta. | |
| (t) Bombardisque comportatis, quindecim, | |
- (u) Et prætor Franciscus. Barbarus, de quo supra, nec non Christophorus Donatus urbis Præfectus.

1439 descriptoque per centurias populo , eruptione (x) facta cum in fugam hostes qua venerant , vertissent , magna strage edita in urbem redeunt . Quo veluti contemptu indignatus Nicolaus aucto militum numero , cum crebriores bombardas , quibus mœnia turesque dejicerentur disposuisset , pluribus insuper in locis varia tormenta , ac machinas ad prosternendos urbis muros collocasset , paucis diebus adeo frequentibus iētibus quassati , ac confracti sunt ut desperata salute cives de deditioe cogitarent . Sed Prætoris diligentia singulis in locis præsidia præfectosque distribuentis , ad defendendam patriam urbem , Uxores , liberos , fortunas , templa , nominatim unum quemque appellans hortabatur : eos præterea quorum fides suspecta erat , in ea urbis loca , quorum de fide minime ambigebatur ire ad tuendam urbem iussit , tamquam ibi majori futuros utilitati . Qua prudentia factum est , ut omnes in fide præstantes uno animo obsidionis laborem , cunctaque pericula subituros se pro salute patriæ sponderent . Pluribus diebus aspera prælia cum hoste sunt commissa , quibus utrinque cadebant permulti : cum enim magna murorum pars machinis dejecta esset , ex ipsis ruinis cum hoste cominus pugnabant cives , quod illis aliquandiu maximo labori , ac discrimini fuit : nam præter labores , ac vulnera quæ interdum pugnando subibant , noctu instaurationi murorum absque ulla quiete vacandum erat , & desperatio quædam mentes eorum incesserat tamquam lassitudine adductas . Sed feminarum (y) virtus virorum vices subeuntium , plurimum profuit ad salutem : ipsæ enim viris permixtæ in opere versabantur , asperrima quæ-

N O T Æ.

(x) *Eruptione facta.* in Appollonianam | Avogara gente illustri matrona , in centu-
ædem , in qua peditatum locaverat Italia- | rias ceteris mulieribus distributis virilem
nus. *Blond. Dec. 3. lib. 9.* | tuendæ patriæ operam navavit. *Corte. Hist.*
(y) *Sed faminarum virtus.* Brayda ex | *Veron. p. II. lib. 14.*

quæque pro patriæ salute subeuntes . Verum cum ea res 1439
 haud satis firmo præsidio esset , aggere densissimo qui pro
 mœnibus esset ab interiori parte , murorum altitudinem
 adæquabant . Cuniculi quoque in urbem ab hoste acti ,
 sed nullo cum civium detrimento : ipsi simili opere cona-
 tibus ostium occurrentes , igne , fumo , ferro eorum la-
 bores irritos reddiderunt . Tentata præterea a Nicolao alia
 ratio capiundæ urbis ; nam murorum (z) partem a fun-
 damentis defossam versus civitatem propellere , ac per eas
 ruinas urbem ingredi parabat . At præfecti ad singula in-
 tenti animadverso hostium opere , civium militumque
 opera , lignis , ac trabibus impulsam supra hostes murum
 in ruinam egere . Quo casu multi mortales ex hostibus op-
 pressi interierunt . Compertum est fœminarum potissimum
 operam plurimum in defendenda urbe valuisse , magnam-
 que tulisse laudem conservatæ patriæ . Non enim solum vi-
 ris arma oportuna subministrabant , sed ipsæ etiam arma-
 tæ pro viris pugnabant , aut inferentes vulnera , aut re-
 pellentes . Locum certe quemdam a civibus labore defessis
 desperatione quadam desertum solæ occurrentes fœminæ ,
 ac locum tutantes hostes paulum repressere , quoad inte-
 gri succedentes fessis prælium instaurassent . Non virorum
 eas , non filiorum , non fratrum , vel interemptorum ,
 vel fauciorum dolor a tutela urbis , aut murorum de-
 fensione avercit . Urgebat præterea cives pestis valida , qua
 plurimi interibant ; neque ea quoque animos debilitavit .
 Placuit ex ea causa emittere ex urbe voluntarios . Magna , &
 imbellis multitudo viri , mulieres , puerique urbem (a) de-
 serue-

N O T Æ.

(z) *Муромъ partem a fundamentis de-*
fossam . Turrem Mombellanam jam la-
bantem , fundamentis bombardarum impe-
tu succisis . Blond. Flav. Dec. 3. lib. 9.

(a) *Urbem deseruere . quod salubritati ,*
& annonæ plurimum profuit . Baptista Sac-
chius Hist. Mant. lib. 5.

1439 feruere . Fuit (*b*) Prætoris & illa haud parva cura , mortuos publica impensa sepelliendi , faucios adhibitis medicis curandi , infirmiores sustentandi , quæ prudentia , pietasque incolas omnes ardentiores reddidit ad certamina ineunda , & accipienda pro tutela patriæ vulnera . Plura a Nicolao licet frustra tentata ad urbem expugnandam (nam aquarum ductus , fistulasque in urbem fluentium interrupit , rivos haud procul ab urbe defluentes deflexit , muros diruit , cuniculos egit , continuis præliis , laboribusque cives , ac milites fatigavit) hominem irapercitum irritarunt , ut omnibus copiis , viribusque per Turris Mombellanæ ruinam urbem ingrederetur . Commisso acerrimo utrinque prælio , cum patriæ periculum ante oculos versaretur , defendentiumque virtus , & fortitudo obstinatis ad mortem animis audaciam hostium superaret , aliquot horis aspera , crudelique pugna certatum est . Pluribus vulneratis , amplius ducentis ex hostibus desideratis , ex defensoribus ad quadraginta . Ommissa eo loci pugna Nicolaus ratus oppidanos labore defessos corpora quieti daturus , e vestigio ad aliam (*c*) urbis partem oppugnandam cum omni exercitu advolat . Ibi quoque cum diutius aditum frustra tentasset , constanti civium animo , atque egregia opera urbem defendentium , eam oppugnationem reliquit . Peribant ex suis militibus multi , plures vulneribus debilitabantur , ut jam graviter tam molestam , ac diuturnam obsidionem ferrent . Sed persistebat in incepto Nicolaus , siquo modo voti compos fieret . Sæpius igitur diversis in locis , quæ commodiora expugnationi videbantur , comportatis variis ad usum capiundæ urbis

N O T Æ .

(*b*) Fuit prætoris &c. Duo licet Veneti forent , ut diximus , præsides , de Barbaro filio alter minime discedebat .
 (*c*) Ad aliam urbis partem . quæ S. Apolloniae ædem respicit .

urbis machinis, asperrima (d) prælia sunt commissa . 1439
 Sed multis ubique pereuntibus, cum Nicolai equites, pedesque partim sagittis, partim ictu lapidum occisi, contractique, ac prostrati essent, plures e muris dejecti præcipites, sociorum quoque turbam, tum cæsam, tum igni, ac ferventi aqua semiustam conspicerent, sublato clamore Ducem increpabant; qui tot præclaros viros veluti pecora certæ morti nulla cum spe vincendi addixisset: nequaquam se amplius vitæ discrimini incassum oblaturus testabantur. Itaque tum suorum vocibus, tum desperatione urbis expugnandæ motus relicta (& jam finis mensis Decembris aderat) Brixia, exercitum (e) in hiberna distribuit. Octingentos amplius ex civibus, ex mercenariis militibus ducentos, ex hostibus ultra duo millia ea in oppugnatione cecidisse tradunt. Ne tamen omnino ommissa obsessio putaretur Italianus (f) cum duobus equitum millibus in captis a se oppidis ad impediendos commeatus relictus, variis excursionibus, nulla ad respirandum quiete data, urbem, atque agros infestos reddebat. Soluta obsidione urbis, præcipua Venetis eo comportandi frumenti cura erat. Nicolaus quoque ad id maxime instabat, ne quid ad victum spectans deferri posset. Erectis enim frequentibus in convallibus, montibusque castellis, fossis insuper obductis, omnem ademerat devehendæ annonæ facultatem. Conatus (g) est tamen Gatta variis artibus, ut in urbem frumenta supportarentur, quæ omnia non absque defendentium detrimento in itinere per Nicolaum intercepta sunt. Accepta tamen est apud pontem Sarchæ fluvii

N O T Æ.

(d) *Asperrima prælia*, &c. maximum tamen omnium id, quod ad Ravarrotum commissum est.

(e) *Exercitum in hiberna distribuit*, cum antea quater urbem aggressus esset, ut in *Blondo, Platina, & Petro Justin.*

(f) *Italianus*. Forojulianus.

(g) *Conatus est tamen Gatta*. Per montes Tridentinorum, sed ab Italiano frumenta comportantes obsessi captique cum sarcinis fuerunt. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 9.*

1439 fluvii per Italianum clades, qua & præsidium (*h*) captum est, & filius (*i*) interfectus: reliqui ad montem cum refugissent, commissa cum Venetorum præfectis pugna, profligati sunt. In ea ad mille hominum ex Philippi militibus occubere; qua victoria paulum res Venetorum est restituta. Postea vero quam obsessis itineribus omnis ferendi subsidii Brixiae aditus præclusus erat, alia, & difficilior ratio a Venetis subveniendi fidelissimæ urbi excogitata est. Res profecto ardua, & digna quæ litterarum monumentis mandetur. Lacus Benacus (*l*) ex quo Mincius fluit, Veronæ (*m*), Brixiaque fines interjacet. Ejus (*n*) longitudo triginta millibus passuum, latitudo vero decem protenditur. Extremus angulus ad Tridentum vergit: hujus (*o*) in littore circum plurima sunt oppida, castellaque satis opulenta. Ubi Mincius (*p*) lacu egreditur, oppidum est Piscaria Veronensis agri, quod a Mantuano tenebatur. Ut ergo quæ Venetorum ditionis erant expugnarentur facilius, simul ne qua daretur hosti facultas annonam per aquam Brixiam comportandi, plures minores naves per Mincium in lacum Nicolaus, Mantua-

N O T Æ.

(*h*) *Et præsidium*, quod in Ponte constituerat.

(*i*) *Et filius*. Italiani interfectus, & cum eo Petrus Capotia equestris ordinis, Polonus, Tridentini Archiepiscopi copiarum ductor. Hæc autem gesta a Gerardo Dandulo, & Paride Ludronio. *Petr. Just. Hist. Ven. lib. 7.*

(*l*) *Benacus*. De Benaco *Virgil. 2. Georgic. Fluctibus, & fremitu assurgens Benace marino.*

(*m*) *Verona Brixiaque fines interjacet*. Eo in loco, cui *Campio* nomen. De quo *Dantes Infer. 20.*

Luogo è nel mezzo là; dove 'l Trentino Pastore, & quel di Brescia, e 'l Veronese Segnar poria; se fesse quel camino.

(*n*) *Ejus longitudo, &c.* 35. millium pass. latitudo 19. ut *Jodocus Bergani, Monacus*

S. Zeni, de quo Hieronymus a Curte. Ut-
cunque sentiat *Poggius*, & cum eo *Blondus*,
Strabo 500. stadiorum longitudinem, &
30. ejus latitudinem esse testatur, quorum
prima 63. milliaribus, secunda 4. æquiva-
let: quod aperte falsum quidem nostris tem-
poribus.

(*o*) *Hujus in littore*. quo vix tota Italia aliud pulchrius tum odorum suavitate, tum arborum fertilitate, tum variorum piscium copia præcipue: illi autem *Ripa Salodienfis* nomen.

(*p*) *Ubi Mincius lacu egreditur*. Ex Benaco Mincius effluit, imo Benaco ipsi, ubi rapidius fertur, *Mincii* nomen inditum, juxta illud *Dantis Infern. lib. 20.*

*Tosto che l'acqua a correr mette cò,
Non più Benaco, ma Mencio si chiama.
Fin a Governo dove cade in Pò.*

tuanusque transmisere. Horum conatibus, ut obstarent 1439
 Veneti, utque urbs in fide conservaretur, triremes duas,
 pluraque minora navigia per Athesim supra Veronam ad
 viginti passuum millia remiulco traxere: inde ex flumi-
 ne deductas, junctis turribus machinisque subditis camu-
 leis usque ad lacum (q) quendam parvulum montibus
 propinquum sex millibus terra funibus perduxerunt, eo-
 que naviculæ dissolutis compagibus super (r) impositæ
 turribus sunt convectæ. Est mons (s) arduus, asperque,
 qui lacui imminet, homini etiam inermi ascensu diffici-
 lis: magna igitur agrestium operariorumque undique con-
 tracta manu cæsis arboribus, effractisque saxis interciso
 monte amplam quanta triremis esset latitudo maximo la-
 bore viam munivere; inde funibus, variisque ad id præ-
 paratis ædificiis maximo conatu per mille passus ad sum-
 mum traxere montis. In eo parva planities jacet, qua fa-
 cilior navium fuit comportatio. Restabat labor omnium
 difficillimus, naves per abruptum, præcipitemque scopu-
 lum, atque invium ad stadia quatuor deorsum per den-
 sas arbores in subjectam planitiem dimittendi. Erat præ-
 ceptus descensus, & præruptus, eoque opus difficilium. Re-
 pleta igitur arboribus, ac lapidibus quæ interjecta erat
 convalle, excisis, & dimotis saxis iter impredientibus tri-
 remes paulatim retinaculis demissæ sunt, atque inde in
 lacum (t) protractæ. Multo laboriosorem quam fuerat
 ascensus, plures difficultates descensum præbuere: Necesse
 enim erat demitti crassioribus restibus paulatim naves ne
 suo pondere præcipitarentur. Spectandum (u) opus, &
 apud

N O T Æ.

- (q) *Ad lacum quendam*. Divi Andreæ | lum ejus in cacumine situm est, ex quo Mon-
 appellatum. *Blond. Dec. 3. lib. 19.* | ti nomen.
 (r) *Super imposita turribus*. seu vehicu- | (t) *In lacum*. Benaci.
 lis. | (u) *Spectandum opus*. a Cretensi quo-
 (s) *Est mons arduus*. ubi *Penetra Castel-* | dam, cui nomen *Jarbolus*, excogitatum.

1439 apud priscos (x) illos, quorum facta admiramur maximi extimandum. His in lacum deductis, annona ad aliud littus, indeque jumentis per Brixianos montes magna cum difficultate itinerum in urbem delata famem sedavit. Quæ ad Brixiaë statum pertinebant compositis, haud ignorabant Veneti Mediolanensem numero, & virtute militum superiorem proxima æstate, sicut accidit, Veronam, aut Vincentiam oppugnaturum: cumque non esset, unde novi milites compararentur, id unum suarum rerum præsidium sperabant fore, si Franciscus ex Piceno in eorum auxilium accersiretur; quod propter contractam cum eo in negandis pecuniis debitis offensionem difficile ducebant. Non tamen diffidebant illum ad suas partes trahi posse, Florentinorum, quibus amicissimus erat, opera. Verebantur tamen, ne id a Florentinis impetrarent, memores quanto cum fastu, & sociorum contemptu nuper & Cosmo (y), & Juliano (z) oratoribus de communi salute agentibus respondissent. Suppudebat a Florentinis orare subsidium, faterique se eorum ope egere. Necessitas tamen pudorem excussit, missoque Florentiam Jacobo (a) Donato oratore, qui Cosmo, Laurentioque fratri (hi primarii civitatis habebantur) summa familiaritate conjunctus erat, mandant, ut ab eis, ceterisque civibus, qui ad id oportuni viderentur, contendat, dent operam, ut Franciscus mature eis subsidio submittatur. Audito legato, cum

N O T Æ.

(x) *Apud Priscos illos quorum facta admiramur.* nempe Xerxis, qui Athon, Hannibalis qui Taurinum montem exciderunt; Augusti Cæsaris qui naves per medium Corinthiacum Isthmum in alterum mare compulit; Nicetæ Basilii Imperatoris ducis, qui cæsaris exemplum sequutus est.

(y) *Cosmo.* Mediceo.

(z) *Et Juliano.* Davanzato.

(a) *Jacobo Donato.* ut Blondo placet, cujus causa in errorem tum Poggius, tum Pe-

trus Justinianus ductus. Missus est enim Andreas Donatus, quod Florentinis acceptus crederetur, quippe qui ann. MCDXXXIII apud eos legatus cum esset, Florentina civitate donatus fuerat. *Ammirat. p. 1. To. 2. lib. 2.* Quin Blondus paulo infra non satis memor ait, *Andream Donatum, qui Venetias interea reversus, Patavium Prator advenerat.* Reversum vero Florentia Andream Donatum, & Patavii præfectum creatum, refert *Hieron Corse. p. II. lib. 14.*

cum consultus Senatus esset , ac magna ex parte infida 1439
 Venetorum societas judicanda esse videretur , amicitiaque
 illorum ut inutilis rejicienda , cum semper ex commodo
 suo eam pensitarent , ac tamdiu in ea perseverarent , do-
 nec res propria ageretur , ubi visum esset insciis sociis pa-
 cem inirent , & nova fœdera : tamen animo Philippi incon-
 stantiam versantes , quem nihil eorum quæ ex fœdere de-
 bebat servasse ajebant , haud maximo labore postulatis
 annuerunt ; sæpius enim fidem illius dubiam , & instabi-
 lem animum experti victorem contra Venetos esse nole-
 bant . Nam si futura ex præteritis pensanda sunt , vero-
 simile erat illis superatis se quoque pro libertate certatu-
 ros . Eugeniusque Pontifex interim ex Ferraria (*b*) Floren-
 tiam profectus , oratoris precibus motus publica interpo-
 sita fide , se quæ de Romana Ecclesia teneret (id enim pe-
 tebatur) Francisco conservaturum , causam fœderis matu-
 randi præstitit , quod in quinquennium his conditionibus
 firmatum (*c*) est . Ut Venetorum , Florentinorumque
 dux unicus belli esset , quatuorque equitum , & duorum
 peditum millium stipendia (*d*) sibi penderentur . Utrius-
 que insuper Reipublicæ tum conductæ , tum conducendæ
 copiæ sibi parerent , utque Nicolaus Ferrariensis cum mil-
 le quingentis equitibus , quorum Guidantonius esset præ-
 fectus , & Borsius Nicolai filius cum equitibus mille simi-
 li stipendio sub Francisco militarent . Publicato fœdere Pic-
 cininus arbitratus facile Veronam a se capi posse , ante-
 quam ei subveniri a Francisco posset , coactis in unum ex-

T t tem-

N O T Æ :

(*b*) *Ex Ferraria Florentiam profectus .*
 ann. MCDXXXIX. XXII. Januarii pe-
 stis causa quæ Ferrariæ inoleverat , ut *Pla-*
tina in Vita Eugenii .

(*c*) *Firmatum est .* ann. MCDXXXIX.
 XVIII. Februarii , cui Eugenius Ponti-
 fex , & Genuenses accesserunt , *Simonera*
 teste. *Sabellicus* , & cum eo *Atestinarū rerum*

scriptores Nicolaum quoque adjungunt .
 Adjungit & Capponius , non tamen , ut so-
 cium , sed ut ad stipendia vocatum .

(*d*) *Stipendia sibi penderentur .* 220. scu-
 tatorum millia , quorum nonaginta millia
 Florentini , cætera Veneti persolverent .
Hieron. Corte p. II. lib. 19.

1439 templo copiis, ut primum per anni tempus licuit, atque a Benaci ora profectus, pluribus in locis Mantuani ope Athesim traducere exercitum conatus, ac sæpius ab hoste repulsus, tandem ductorum, quibus id negotii demandatum erat, ignavia ponte navibus juncto in ulteriorem ripam evadit. Transgressus flumen, Limacum (*e*) primo opulentum oppidum cum aliquandiu summis viribus oppugnasset, facta deditiōne capit. Eodem modo Baldum, plurimaque (*f*) de Veronensibus, ac Vicentinis castella tum sponte, tum vi in potestatem redigit. Omnibus ferme agri Veronensis oppidis potitus una cum Mantuano obsidere urbem tum natura loci, tum copiis, tum fide civium munitam statuit; annona tantum, quæ summa erat in caritate, vacuam. Interea juxta Benacum fortuna paulum Venetis favit. Nam cum Italianus magno cum equitatu ad Madernum oppidum descendisset, tum Brixiensium (*g*) copiis, quæ oppidis Venetorum subsidio venerant, tum militibus (*h*) quos triremes vexerant occurrentibus, cum ab ortu solis ad vesperam usque dimicatum esset, fusus, fugatusque multis interfectis, & ipse dejectus equo noctis beneficio (*i*) evasit. Quadringenti in ea dimicatione capti, in quibus equitum præfecti (*l*) tres haud ignobiles fuere. Hæc apud Veronam, & Benacum principio æstatis vario Marte gesta. At vero Franciscus præparatis copiis, eæ ad sex millia erant, Piceno relicto

per

N O T Æ.

(*e*) *Limacum*, melius *Lemniacum*, & *Portum*, oppida in adversa Athesis ripa posita, 24. a Verona pass. mill.

(*f*) *Plurimaque castella*. Ceretam, Sanguinetum, Leonicum, Montebellum, Brendolam, Pontechium, Montorsium, &c. *Bapt. Sacchius Hist. Mant. lib. 5.* & alii apud *Hieronymum a Corte Histor. Veron. lib. 19.*

(*g*) *Brixiensium copiis*. Petro Avogaro

duce.

(*h*) *Militibus quos triremes vexerunt*. Petro Zeno, Caroli clarissimi illius viri filio eis imperante. *Petr. Justin. lib. 7.*

(*i*) *Noctis beneficio evasit*. Salodium petens.

(*l*) *Præfecti tres*. Nicolaus Guerrerius, Antoninus Trivultius, & Gerardinus Tertius. *Blond. Flav.*

per agrum Ferrariensem ad vicum (m) quendam tribus 1439
 passuum millibus antiquæ Adriæ propinquum venit. In-
 de impedimentis alio itinere præmissis, ipse per ligneos
 pontes tum in Pado, tum in paludibus junctos navibus,
 adhibitis etiam galeonibus, qui ab hostium incurſu trans-
 itum tam variis locis tutarentur, in agrum Patavinum
 (n) copias transmisit, quibus in terram expositis, confe-
 stim dux belli peritissimus quam primum Venetorum
 præfectos omnes cum (o) reliquis copiis ad se convenire
 jussit, ut juncto exercitu hostem victoria exultantem re-
 primeret. Nicolaus cum Veronam, ad motis ad mœnia
 machinis, bombardisque ad muros diruendos, summa vi
 oppugnaret, audito Francisci adventu desperata victoria
 obsidionem relinquens, ac omni expugnationis apparatu
 Mantuam remisso, ad oppidum Suavium, quod in pote-
 state erat, exercitum duxit. Duo erant itinera, quibus Ve-
 ronam adire posset, alterum per montes, alterum per pla-
 nitiam inter urbem, & montes sitam. Montium transi-
 tum arduum reddebant castella, & ea frequentia, quæ Ni-
 colao parebant. Planitiei vero aditum lata impediēbat
 fossa multis munita propugnaculis, turribusque, quinque
 millibus passuum longitudine a Suavio montano oppido
 in subjectas ad Athesim paludes magno auxiliariorum,
 quos undique conciverat, labore ducta, opus vel apud an-
 tiquos commemorandum. Id eo consilio a Nicolao fa-
 ctum, ut utraque via prohiberetur Francisco aditus ad li-
 berandam obsidione urbem. Erat Venetorum exercitus
 quatuordecim millium equitum, peditum vero sex. Nico-
 lao haudquaquam pares erant copiae: quæ res metum in-

T t 2 jece-

N O T Æ.

(m) Ad vicum quendam. Ghorium ap-
 pellatum.

(n) In agrum Patavinum. ad Concas,
 ut vocant. Petr. Just. lib. 7.

(o) Cum reliquis copiis. nempe cum duo-
 decim millibus militum, queis Gatta præ-
 rat, Montagnanamque tuebatur.

1439 jecerat, ne summam belli fortunæ crederet. At Franciscus Leonicum (p) oppidum in primis stadiis viginti Nicolao propinquum, validoque munitum præsidio, in ejus ferme conspectu obsedit. Cum aspero prælio muros ad-
 riretur, oppidanique rebellionis conscientia ultimum supplicium veriti omnia pericula, tamquam pro vita certantes subirent, plures equites, & in his præfecti duo (q) graviter faucii adeo ad iram Franciscum commovere, ut ni se dederent, excidium patriæ, oppidanis in captivitatem adductis, minaretur. Acrius igitur instauratis viribus ad expugnationem intentus, cum nil quietis daretur obsessis, tandem illos desperata salute compulit ad dediti-
 onem, veniam potius ea oblatione sperantes, quam si vi capti forent. Recepto oppido Franciscus ira deposita existimans sola clementia ceteros quoque, qui descivissent, illorum exemplum secuturos, omnibus ut parcerent (r) militibus indixit. Quæ mansuetudo minime sapientem ducem fefellit: parvo enim labore cuncta ferme de Veronensibus, ac Vicentinis ad eam diem capta ad Venetos redire. Cum vero Suavium Franciscus peteret, comperit Nicolaum copias ibi contraxisse, eo animo, ut quacunque, sive planitie, sive montibus hostis Veronam pergeret, transitum impediret. At ille, priusquam Nicolaus suspicari posset, qua iter esset facturus, juxta montem in loco quem Rognam vocant, confedit, missisque Veronam qui milites, ac populum ad invadenda montana castella cohortarentur, ipse per montes, qui ad quindecim passuum millia protenduntur, aciem direxit, expugnatisque iter impediens castellis, ac partim direptis, partim præsi-

N O T Æ.

- (p) Leonicum, agri Vicentini oppidum. | (r) Ut parcerent militibus indixit. Solus
 (q) Præfecti duo graviter faucii, Petrus | adversus omnes scriptores Pactius Arimi-
 Brunorus, & Troilus. | nensis, militibus nihil vetitum, asserit.

præfidiis impositis, Veronam (f) nullo hoste obvio proficiscitur. Sed cum in urbe pestilentia ingrueret, transmissa Athesi ad tertium lapidem, via qua itur Hostiliam, castra mense Augusto locat. Nicolaus timens, ne a reditu intercluderetur, incensis propugnaculis, castellisque omnibus in fossa erectis, & ipse Athesim transit. Qua ex re Franciscus e vestigio ad oppugnandum Suavium concessit: quod oppidum, cum aliquandiu summa vi defensum esset, tandem fessi vulneribus incolæ una cum præsidio se se dedidere. Eo recepto ad cetera quæ adhuc in Philippi perstabant fide expugnanda Vicentinum agrum petit. Recuperatis, quæ defecerant, locis Athesim reversus, ac eodem quo antea loco castris positus, summa ei cura commensus Brixiam convehendi erat. Etenim præter famem bellumque, quæ biennium jam urbem vexabant, accedebat & pestis ingens, singula per se mala perniciosissima admodum terrentia cives. Deferebatur tamen ex Benaco per montanas semitas ad cives annona licet pauca, & quæ ad alendam urbem minime sufficeret, ex quo, & herbis undequaque conquisitis, & fœdis etiam animalibus plurimi sedare famem cogebantur. Nicolaus qui castra in plano locaverat, quo iter ad Brixiam præcluderet, audiens Venetorum naves secundum Benaci litus seductas, milites vagos ferri, ac negligentius custodiri omnia, cum paucis equitibus castris egressus ad lacum pergit, coactisque propinquis copiis, nautas, ac milites nil tale veritos aggreditur; commissoque prælio, & naves, & milites omnes præter paucos capit, quos fuga per montes tutos fecit. Deletis navibus, cum Nicolaus in castra revertisset, Franciscus ineunte hyeme bidui juxta Athesim iter emensus ea, qua naves traductæ erant, via ad lacum profectus data opera, ut classis ex materia, quæ multa erat litori propinqua, de integro restauraretur, quæ bre-

1439 vi tempore constructa plurimo usui fuit, circa lacum, qua parte ad (f) Veronam vergit, tum Venetorum, tum Philippi castella plurima inter se partium studio bellantia fere omnia in potestatem suam redigit. Qua re motus Nicolaus adverso litore suis auxilio accurrens ad extremam lacus oram quæ Tridentum respicit, apud oppidum, quod Ripam dicunt, parva cum manu confedit, annonam Brixiam prohibiturus. Cum varia utrinque juxta lacum inirentur certamina, demum justa acie, ac signis collatis pugnatum est diutius. Nicolai copiis superatis fufisque, multi (t) capti sunt, pluresque ad vicina castella, montesque fugere. Nicolaus (u) pro temporis angustia Turrim propinquum oppidum (x) confugit, ac noctu per hostium stationes clam a Germano milite, quem post debilitatum latus semper secum habere solitus erat, delatus humeris, nonnullis conniventibus, periculum evasisse traditur; qui ægre acceptam ferens ignominiam, copiis in unum redactis, Franciscum ex ea regione pellere studebat. Quod præsentiens ille, tribus milibus retrocedens loco editiore (y) communivit castra: ita spes hostis in irritum cessit. Cum parum succederent Nicolai, prudentis, ac solertis ad omnia ducis, adversus Franciscum consilia, relicto lacu cum majori exercitus parte Veronam, injecta spe urbem per deditorem recipi-

undi

N O T Æ.

(f) Veronam, &c. a Nicolao Tolentino, qui præsidio Veronæ erat, lignea hostium propugnacula jam capta fuerant.

(t) Multi capti sunt. Præcipui Carolus Gonzaga Marchionis filius, Cæsar Martingus, & Sagramorus Vicecomes. Gorius p. V.

(u) Nicolaus, &c. Sunt qui Nicolaum ab equo dejectum, captumque asserant, sed ex industria dimissum. Ammirat. ibid. Alii sacco involutum militis humero, tanquam sarcinam, extra hostium castra dela-

tum referunt. *Laurentius Spiritus Perusinus* in Poemate de gestis Nicolai Piccinini, cuius titulus *Novus Mars*, lib. 2. cap. 57.

Fecesi dentro un sacco per huom morto.

La nocte trare fuor molto nascoso

Portato di lontano per fino al porto.

(x) Turrim propinquum oppidum. Non Turrim, sed Tiennium, ut *Corius*, *Blond.* *Hieron.* a Corte, *Ammirat. Plat.* &c.

(y) loco editiore. Montibus Ripæ oppido imminentibus. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 10.*

undi, redit, ac per arcem, quam Civitatulam veterem 1439
 appellant, urbem ingressus, præter arcem (z) veterem
 edito in colle sitam, ac inter alias munitissimam; & pon-
 tem illi subjectum, eam omnem in potestatem suam de-
 dentibus se civibus redegit. Post Nicolai discessum, Fran-
 ciscus cum ascendisset montes, itinere versus Tridentum
 sumpto, montanis quæ desciverant castellis recipiendis in-
 tentus accepit Veronæ defectionem. Variæ suorum præ-
 fectorum, militumque erant sententiæ. Suadebant qui-
 dam, *abjiciendum esse ejus urbis recuperandæ consilium, &*
aliarum saluti, custodiæque vacandum: hostes magno nume-
ro tenere civitatem, ex qua difficillimum foret eos ejicere:
ignotum esse, quo animo cives essent; Nicolaum ad omnia
præcavenda ducem sagacem, simile veri esse singulos obsepis-
se aditus, quibus urbi succurri posset: videri satius Vincen-
tiam petere ac Patavium, easque ab hoste tutas reddere.
 Ab aliis alia tum pericula, tum difficultates adeundi va-
 riæ afferebantur, quibus facultas omnis auxilii ferendi præ-
 cluderetur: *Iter aliqui nivibus, montibusque impeditum af-*
serebant, quibus longum iter conficiendum erat. Viam am-
plius quadraginta millibus passuum interjectam, per quæ loca ne-
dum tantis frigoribus aspera, hyeme, glacie, ac nivibus
oppleta, sed ne æstate quidem aditus facilis foret. Quam-
nam spem dari fatigatis itinere equitibus, equisque, inte-
gros quietique deditos superare dimicando? Satis verendum
esse, ne urbis jacturæ detrimentum suorum militum addere-
tur: quæ extrema pernicies Venetorum futura esset. His aliis-
 que multis in eandem sententiam dictis, Dux cetero-
 rum (a), suam, Venetorumque salutem exoptulare dixit,
 ut quamprimum ad recuperandam ab hoste urbem conten-
 deret:

N O T Æ.

(z) *Præter arcem veterem, & præter S. Felicis arcem, in quam Veneti præfecti Antonius Diedus, & Victor Bragadenus se receperant. Cort. Hist. Veron. lib. 19.*
 (a) *Ceterorum, hoc est aliorum foederatorum.*

1439 deret: non requirere tempus verborum disceptationem, sed sub-
 veniendi celeritatem, in qua omnia reposita viderentur: ubi factò sit opus, nequaquam verba serenda esse. E
 vestigio itaque cum electis equitibus, peditibusque (& jam vesper erat) per montes coopertos nivibusiter faciens
 ad primam noctis horam octo millibus passuum confectis
 parum quieti (b) temporis dedit. Deinde ante diluculum,
 nihil enim ea nocte, aut equi pabuli, aut homines cibi sumpserant, longa confecta via in planitiem ad
 flumen Athesim descendit, vigintique millium confecto
 itinere montem (c) iterum conscendens, duodecim mil-
 lium passuum emensa via Veronam pervenit. Qui in ar-
 ce (d), quam nondum ceperat hostis, erant, adventu
 suorum cognito multa lætitiæ ob insperatum subsidium si-
 gna dederunt. Qua ex re præfecti quidam hostium moti
 cum parte exercitus porta (e) qua venturus erat Fran-
 ciscus egressi, prælium commisere. Diutius est aspera
 certatum pugna: urgente tamen Francisci milite, ac ar-
 dentius pugnante, dare terga hostes compulsi sunt. Im-
 mixti victi, victoresque una, prosequente Francisco, ur-
 bem ingrediuntur; quo tumultu tantus reliquos terror in-
 vasit, ut relictis omnibus usui necessariis, quæ in urbem
 comportarant, confestim quarto post captam urbem die,
 veriti ne ab hostibus intercluderentur, simul paucitate
 militum, & adversantibus civibus eam se tenere posse dif-
 fidi, cum omnibus copiis Piccininus, Mantuanusque no-
 ctu (f) abierunt. Recuperata Verona Franciscus (qua
 jure

N O T Æ.

(b) *Quietis temporis dedit.* in pago S. Am-
 brosi, in quo frigoris vi multi militum
 periere. *Ammir. lib. 21.*

(c) *Montem iterum conscendens.* ut tu-
 tiori ab hostibus via, utpote magis aspera,
 milites traduceret.

(d) *Qui in arce, &c.* In arcibus, ut ex
 superiori nota.

(e) *Porta, &c.* quæ S. Felicis arcem
 respicit.

(f) *noctu abierunt.* Porta S. Crucis egres-
 si Vigasium petierunt, relicto Joanne Gon-
 zaga Mantuani Principis fratre, qui tragu-
 la circa Felicianam arcem ictus, occubue-
 rat. *Petr. Just. lib. 7.*

jure Venetorum status est conservatus) adversariorum prædam (multa enim per varia loca nihil adversi suspicantes reliquerant) militibus suis in instaurationem eorum, quæ veniendo amiserant, distribuit. Sunt qui opinentur, voluntate, atque opera Philippi, ne in Mantuani, cui ex fœdere si capta foret debebatur, ditionem veniret, urbem fuisse amissam: maluisseque redire ad hostes civitatem tam amplam, quam illius viribus accedere. Id certe suæ voluntatis indicium haud parvum fuit, omnibus suis equitum præfectis circa Brixiam gerentibus bellum mandasse, ne fines Brixienfes egrederentur, aut Nicolao parent: se enim inconsulto Veronam aggressum esse. His gestis Franciscus ad Benacum reversus ad reficiendas de integro naves, quibus Brixienfes ab inopia frumenti sublevarentur, enixius operam dedit; accitis operariis, ex materiâ propinqua haud priore inferior classis instauratur, quæ ad frumenta comportanda, & ad ejus regionis tutanda oppida plurimum opis tulit. Montes inde ad Brixiam pertinentes ascendens, plura quibus transitus com meatus ferentium impediébatur, castella recuperavit. Animadvertens autem Nicolaus summis defendi Brixiam viribus, majorique omnium rerum diligentia, neque expugnandæ civitatis duce (g) Francisco spem dari ullam, consilium sumpsit in Etruriam adversus Florentinos transcendendi. Tradunt nonnulli id Philippi factum voluntate, ut Johannis Vitelleschi Cardinalis, quem Legatum Pontificis secum contra Florentinos conspirasse ajunt, copiis jungeretur. Alii ea mente in Etruriam transisse ferunt, quo Franciscus opem Florentinis, relicto Venetorum bello, cogere ferre. Et id verisimile videbatur, cum equitibus peditibusque ad Franciscum missis, pauci admo-

V u dum

N O T Æ.

(g) Duce Francisco. Barbaro Brixie Præfecto.

1440 dum in Tuscia milites forent . Annus erat salutis supra
 quadragesimum millesimus quadringentesimus cum Ni-
 colaus assumptis selectorum equitum , peditumque milli-
 bus quinque , Februario mense trajecto Pado reficiendis ma-
 cie confectis equis , Placentino , Parmensique agro paulum
 i substitit . Lento postmodum gradu (nam navibus itinera a-
 sperrima , & pene invia reddebantur) mense Martio copias
 Bononiam (*b*) perduxit : statuerat vero ante profectio-
 nem , quo quique præfecti loco bellum pro Philippo gere-
 rent . Quosdam enim Brixiam armis infestam reddere , alios
 obsistere circa lacum hostibus , nonnullos Veronam , quo
 Franciscus missis in hiberna copiis hyemandi gratia con-
 cesserat , continuis populationibus iussit laceßere . Sed ma-
 jor rerum moles , quam præferret Nicolaus , Florentinis
 parabatur : in ipsam enim Florentinam urbem , in ejus li-
 bertatem evertendam insidiæ quærebantur . Erat tunc in
 urbe Roma cum exercitu Johannes (*i*) Cardinalis Patriarcha
 Alexandrinus , Pontificis Legatus , summo in Florentinos ,
 Venetosque odio , sed adeo Pontifici carus , ut omnium
 Romanæ Ecclesiæ populorum imperium teneret . Odii
 causam præbuere millia aureorum viginti antea Cardi-
 nali ea conditione data , ut Apenninum cum suis copiis
 transfiret , opem sociis contra Philippum laturus . At ille
 accepta pecunia , Florentinis , ac Venetis præter datam
 fidem contemptis , animum ad obsidendum Fulginium
 convertit : quam urbem diutius obsessam proditione (*l*)
 civium cepit . Hanc injuriam questi apud Pontificem so-
 ciorum legati ad iram , atque odium Patriarcham conci-
 tarunt . Augebat insuper iram indignatio in Franciscum ,
 a quo e Piceno ejectus erat , concepta ; quem belli ducem
 factum

N O T Æ.

- | | |
|--|--|
| (<i>b</i>) Bononiam perduxit . ubi 20. aureo-
rum millia ei persoluta . <i>Blond. Dec. 4.</i> | netanus , Cardinalis Florentinus . |
| (<i>i</i>) Johannes . Vitelleschi , patria Cor- | (<i>l</i>) Proditiōe civium cepit . Conrado
Trincio , urbis Tyranno , Cardinali tradito . |

factum gravissime ferebat . Per internuntios autem clam 1440 Pontifice cum Philippo inito fœdere postulavit , ut Nicolaus posthabita Brixia ad expugnandum ipsum belli caput veniret . Florentinis nullos , præter admodum paucos milites adesse , neque dari unde novi conscriberentur . Haud magno negotio improvisam urbem vel posse opprimi , vel datum iri exulibus reditum in patriam . Permulti enim erant , qui contra Venetos Duci faverent Philippo : sibi quatuor millium equitum , duorum peditum exercitum esse . Si Nicolao jungeretur , haud dubiam in manibus victoriam fore . Vulgata , & an vera incertum , fama est , si ex voto res cessisset , illum subactis Florentinis , & Eugenio per occultam mortem sublato , Pontificatum sibi vindicaturum . Quicumque tamen ejus fuerit animus futurus , fœdus certe cum Philippo ab eo sancitum de inferendo Florentinis bello , quod interceptis (*m*) litteris compertum , maturandæ Patriarchæ mortis causam præbuit . Nam quorundam opera , quibus & patriæ , & Pontificis salus erat ceteris antiquior , quo die urbem exibat , in ponte juxta Adriani sepulchrum captus , (*n*) atque in arcem vulnere (*o*) accepto perductus , aliquot post dies expiravit . Eodem fere tempore & Patriarcha præmiserat exercitum , ipse paulo post secuturus , & Nicolaus quamvis iniquo anni tempore Bononia Flaminiam petens quædam (*p*) de Florentinis capta castella Guidantonio Manfredi tenenda dedit . Existimans vero jam tempus adesse , quo Apenninum superaret , per saltum , quem

V u 2 divi

N O T Æ.

(*m*) *Interceptis litteris* . apud Politianum oppidum , & Pontifici delatis .

(*n*) *Captus* . ab Antonio Ridio S. Angeli arcis præfecto , cui hoc ab Eugenio demandatum fuerat .

(*o*) *Vulnere accepto* . dum enim Cardinalis denudato ense ab infidiis evadere , concitato equo , tentabat , in summa cervice

unco ferro vulneratus est ; cujus vulneris dolore vigesimo post die defecit , tumulatusque est in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam . *Rayn. Ann. Eccl. ad ann. 1440.*

(*p*) *Quædam de Florentinis capta castella* . Cassianum , Porticum , Terdocium , Aureolum , Mutiliana . *Blondi. Flav. Dec. 4. lib. 1.*

1440 divi Benedicti incolæ dicunt, transitu frustra tentato, paulum regressus per Vallem Amonis fluvii, quamvis nives plurimæ, quas per loci accolæ submoveri jubebat, essent impedimento; ubi Marradi (q) castellum Florentinorum militibus firmatum erat, pervenit: quo in loco facillime propter montium asperitatem aditu prohiberi poterat. Nam unica tantum, & ea arcta via accessus patebat, ni varii generis milites præsidio (r) saltus positi audito Nicolai adventu adeo pavore consternati essent, ut vix hoste conspecto relicta loci custodia in præcipitem fugam versi liberum aditum hosti dedissent. Dejecto Florentinorum præsidio, & Apennino superato, in Mugellum descendit, castellumque parvulum Politianum obsidens, aliquando ibi stativa habuit, multisque ab eo frustra præliis est oppugnatum. Erant cum eo Florentini exules, quorum consilio utebatur, permulti, quod civibus, Pontificique, quibus Philippi, ac Nicolai notæ versutiæ erant, eoque semper hostes fuerant experti, magnum timorem incussit. Itaque post Patriarchæ obitum Pontifex fœdus contra Philippum cum Venetis, ac Florentinis iniit, ea inter ceteras conditione, ut paribus sumptibus administraretur bellum. In primis Ludovicum (s) Archiepiscopum Florentinum, quem postea Cardinalem creavit, virum magni animi, ingeniique, ac solertis, & ad res gerendas prompti cum pecuniis Romam pro Legato misit ad eas copias quæ a Patriarcha instructæ erant, quam primum in Tusciam deducendas. Erant exiguæ admodum copię Florentinis

N O T Æ.

- (q) *Marradi castellum*. in Alpium pede situm, quæ Etruriam a Piceno dividunt. *ejus Vita lib. I.*) Hunc in demortui Vitelleschi, Florentini Archiepiscopi, ipsis petentibus Florentinis, Eugenius suffecerat.
- (r) *Præsidio saltus positi*. Bartholomæo Orlandino Florentino cive præfecto. *Amiratus lib. 21.* Rayn. *Ann. Eccl. ad ann. 1440.* Ammiratus hunc Pontificis medicum fuisse, ipsique valde familiarem asserit, quod & Ciaccon. *in Eugen. IV.*
- (s) *Ludovicum*. Mediarotam, cognomento Scarampum, Patriarcham Aquilejensem, origine Patavinum (*Garimbertus in*

tinis, neque quibus hosti obviam iri posset: cæ vero omnes 1440
 prope urbem morabantur. Erant cives, tum propter exu-
 les, nequi eorum gratia novi in civitate motus oriren-
 tur, tum propter Nicolai vires de urbis salute anxii (t)
 dubiique. Non enim tantum Mugelli oppida hostibus vi-
 debantur exposita, sed urbis quoque salus (nam ad quar-
 tum usque lapidem excursiones hostium fiebant) adire dis-
 crimen videbatur. Urgebat præterea annonæ (u) caritas,
 quæ sollicitos tenebat solito gravior cives, ut si Nicolaus
 ad ea loca ex quibus (x) advehebatur, quod facile pote-
 rat, exercitum duxisset, magnum ex inopia cibi tumul-
 tum fuisset excitaturus. Sed raro fortunam sequuntur ho-
 minum consilia, paucique illius beneficio utuntur. Dum Ni-
 colaus humiliora (y) petit, fortuna rei bene gerendæ de
 manibus elapsa est.

POG-

N O T Æ.

(t) *Anxii dubiique*. in centurias ipsi dis-
 tributi cives, armis arreptis, militum mune-
 re fungebantur.

(u) *Annona caritas*. quam augebant
 agrestes omnes, qui Florentiam confugerant.
Blond. Dec. 4. lib. 1.

(x) *Ex quibus advehebatur*. per Mari-
 nam Vallem Pisis Florentiam annonæ adve-
 hebatur. *Ammirat. lib. 21.*

(y) *Humiliora petit*. nempe parvi mo-
 menti castella, Florentiæ potiundi occasio
 elapsa est.

POGGII BRACCIOLINI
 FLORENTINI
 HISTORIARUM
 FLORENTINI POPULI
 LIBRI OCTAVI
 EPITOME.

Placcininus infesto exercitu Florentinorum opes affligit, ab iis vero apud Englarium superatur. Puppit Comes Casentino imperio a Florentinis spoliatur. Pax inter Philippum & Venetos Florentinosque per Franciscum Sfortiam conciliata. Pontificis in Sfortiam bellum. Sfortia Piceno expulsus. Eugenii Philippique mors. Alphonsus Neapolitanus Rex in Florentinos arma vertit. Federicus Urbini Comes Florentinorum dux designatus. Pax fit cum Alphonso. Mediolano Sfortia potitur. Alphonsus Ferdinandum filium in Florentinos mittit. Hi cum Sfortia fœdere inito Andegavensem Ducem ex Gallia contra Alphonsum advocant. Post varios belli eventus pax Neapoli constituitur fœdusque cum multis Italia Principibus feritur.

1440

Adversum populo Florentino martem fore cum plures arbitrarentur, plusque timoris quam spei inesset; multa enim propter varios rerum casus animoolvebant: inter civitatis principes, & publicis in concionibus agitari cœptum est, revocandusne Franciscus in Etruriam ad auxilium ferendum, an iis quæ aderant copiis urbis salus tuenda esset. Censebant

bant quidam tutioribus standum consiliis, quod fore vi- 1440
debatur, si Franciscus cum parte exercitus accerferetur.
Dubium esse, ne Nicolaus aut castellum, aut aliquam
belli sedem vel vi, vel exulum gratia, quod foret perni-
ciosissimum, recipiat: facile obsessurum itinera si velit, qui-
bus frumenta subministrantur: ignotam esse populorum
voluntatem semper ad pejora mobilem, & ut plurimum
fortunam respicientem, præsertim ubi ingruat fames, quæ
omnem timorem abjicere ex animis consueverit: etiam
bestias sævire solitas, lacescente fame. Si paulum Nicolao
fortuna indulserit, novos timendos esse hostes, qui ut plu-
rimum in rebus dubiis, & ad levem fortunæ auram exur-
gant: orientia quæque mala facilius contundi solere, quam
cum majoribus viribus nituntur. Non enim de aliquo op-
pido, aut castello, sed de patria, de urbe, de Republica
certamen esse. Ideo videri tutius imminens discrimen vi-
tare, quam in eum deduci locum, ex quo haud facile e-
mergi queat. Alii majoris animi, nec consilii minoris ab
ea sententia dissidebant, arbitrantur nullo pacto Franciscum
esse revocandum; utebanturque rationibus, quæ pluri-
mum verisimiles videbantur: nihil esse, quod magis op-
tet Nicolaus, & id semper eum sperasse, quam ut per
Francisci discesum Brixia ejus nudata præsidio Philippo
subjiciatur, quod procul dubio si ille abeat sit futurum.
Eam profecto si Philippus ceperit, & reliquas vicinas ur-
bes capturum: Francisci enim consiliis, viribusque & re-
tentam ad eam diem Brixiam, & Veronam sua virtute
de manibus hostium ereptam: cupere Philippum ejus du-
cis auxilio privari Venetos, cujus opera ad eam horam
ipsorum servatæ opes essent: non suis, sed alienorum fi-
sum viribus superasse Apennini juga Nicolaum propter Pa-
triarchæ fœdus. Nunc ea destitutum spe remissurum ani-
mos, neque fortunæ, quæ plurimum in bello potest, &
in

1440 in qua versaretur Philippi salus, periculum facturum. Solere in ejusmodi tumultu majorem motum, quam pro re excitari: diem mitigare timorem, & graves res usu leviores videri: præsto futuras Pontificis (a) copias, quæ ferme sint hostibus pares: aequitasse quondam ad urbis Romæ mœnia cum exercitu Hannibalem, ut ab oppugnanda Capua ad defendendam patriam exercitum revocarent, quam tanti ducis adventu nequaquam Consules omisissent. Nullo igitur modo Franciscum accersendum esse, sed præsentibus copiis Rempublicam tutandam, urbesque, & oppida præsidio firmanda: neque enim si qua castella ab hoste quocunque modo capiantur, libertatis minimum imminere periculum: reditura omnia in fidem, cum deferbuerit Nicolai impetus, quem necesse sit in hostili terra fieri in dies remissiores, præsertim tam (b) procul a domo militantis. Diversis dictis sententiis, decretum est, eo qui ad urbem esset exercitu defendendam patriam esse. Penes Politianum castra habenti Nicolao mors (c) Patriarchæ nunciata dolorem simul, & pavorem incussit. Nam & consilia secum inita in irritum cesserant, & suis tantum copiis diffidebat debellari Florentinos posse: retrocedere turpissimum ducebat, & sua laude indignum. Ulterius igitur progredi statuit, & aliquod memorandum audere facinus, anteaquam vires hostium auferentur: quæ opinio Francisci Puppilii Comitum rebellione est confirmata. Qui cum eo erant Florentini exules, promissa totius Casentinatis oræ (cujus majorem tenebat partem) ditione, ut a Florentinis deficeret pellexerunt (d). Ille immemor
se ab

N O T Æ.

(a) Pontificis copias. earum duce Ludovico Mediarota, Archiepiscopo Florentino.

(b) Tam procul a domo. non a Perusia ejus patria, sed Mediolano.

(c) Mors Patriarchæ. Vitelleschi.

(d) Pellexerunt. non his promissis eum

descivisse inquit Machiavellus, sed suasio-
ne Raynaldi Albitii exulis sibi amicissimi.
Ammiratus vero lib. 21. a Florentinis descivisse ait ira in Cosmum Mediceum, qui
ejus filiam sibi nurum fieri respuisset.

se ab eo populo, quem sibi pater tutorem moriens reli- 1440
 querat, ad eam diem opibus auctum, & dignitate, seque
 eo ipso tempore, quo Nicolaus in Mugellum descendit,
 præsidem, custodemque ejus regionis adversus hostes desi-
 gnatum, missis ad eum variis tormentis, machinisque,
 quibus ab impetu hostili tutus esset, ex amico hostis fa-
 ctus ad adversarios descivit. Motis (e) igitur castris Ni-
 colaus Casentinum ingreditur. Bibiena oppidum, castel-
 laque omnia Florentinæ ditionis parvo capta labore Co-
 miti traduntur. Inde Sancti Nicolai castello, sexto supra
 trigessimam oppugnationis diem recepto, cum reliquis Co-
 miti concedit. Plures Piccinini prudentiam requirunt, qui
 in ignobili oppidulo tantum temporis terens rei bene ge-
 rendæ occasionem amisit. Nam interim animis hominum
 ab hostili terrore confirmatis, & spatium Florentinis con-
 cessum est novos milites conscribendi, & Legato Pontificis
 Ludovico, qui Florentinis favebat, ad copias per varia di-
 sperfas loca contrahendas, ac præparandas facultas conces-
 sa. His accedere equitum præfecti (f) duo a Francisco via
 Mutinensi in Etruriam missi, quæ res civium erexit ani-
 mos, & spem attulit posse præsentibus copiis Rempubli-
 cam defendi. Ludovicusequitatu, ac peditatu Pontificis,
 quem quatuor millium electorum hominum dicebant,
 magno in unum coactis studio, majori diligentia magnis
 itineribus in Aretinorum fines pervenit, ubi & suæ, &
 reliquæ copię coierunt. Nicolaus cum ad Burgi Sepul-
 chrum venisset, recepto oppido Tifernum profectus est,
 ac civibus nequicquam ad deditionem tentatis in agrum
 Perusinum transit: ibi aliquandiu veluti in pacato com-
 moratus, pecuniaque, & comœatu sublevatus in otio

X x

quie-

N O T Æ.

(e) Motis igitur castris. Politiano, duo-
 detrigesimo, ex quo confederat, die poti-
 tus est, ut *Blond. Flav. Dec. 4. lib. 11.* licet

Ammirat. ibid. nullatenus potitum asserat.
 (f) Præfecti duo. Bosius, & Troilus.

1440 quievit. Franciscus interim certior factus Nicolai vires Florentinis haud terrori esse (equitum quippe, ac peditum numero superiores erant) ponte supra Mincium juncto, traductoque exercitu, oppida, & castella singula (ea ad triginta ferebantur) quæ aut sponte defecerant ad Nicolaum, aut vi capta erant, ea æstate expugnavit: illa insuper, quæ olim Mantuanus de Veronensibus occuparat, in potestatem redegit. Sæpius etiam (*g*) secunda cum hostibus prælia commisit, in quibus ad mille & quingentos equites captivos abduxit. Brixia quoque annonam tum comportatum frumentum, tum nova messis, quam liberi ab hoste in urbem convexerant, reddidit leviolem. Ad hæc juxta lacum classe expugnata, nonnulla oppida in Venetorum ditionem redegit. Qua fortuna usus, ponte juncto, transmissa Abdua, cuncta ferro, ignique, præda ingenti abacta, populatur. Dum hæc in Gallia geruntur, Pontificis, Ludovico duce, Florentinæque copiæ, ut Nicolao opponerentur, cum apud Aretium in unum convenissent, Anglarium præfectæ juxta oppidum in colle castrametati sunt, prohibitori Nicolai ex ea ora populationes. Ille cum Perusium volentibus civibus paucisque comitantibus ingressus (*h*) esset, paucos post dies accepta (*i*) pecunia ad obsidendum Tifernum redit, urbem comitatus inopia laborantem, quam procul dubio dedentibus se civibus recepisset, nisi equitum præfecti (*l*) duo a Ludovico missi de improvviso per medias hostium stationes in urbem penetrassent. Venerat major quam pro re sparsus rumor in Gallia commutatam esse fortunam, equites

N O T Æ.

(*g*) *Secunda prælia*. apud Urceos, Suncinum, & Jenepaltam vicum.

(*h*) *Ingressus esset*. Non alia de causa ingressum in urbem petiisse, quam ut matrem & senem, & ægrotantem videret, ait Pellin. *Hist. Per. p. II. lib. 12.*

(*i*) *Accepta pecunia*. Et decem aureorum millia ei persoluta, & Perusii Dominus factus est. Pellin. *ibid.*

(*l*) *Præfecti duo*. Troilus, & Paulus Molarianus Patritius Romanus cum 300. equitibus. Blond. *Flav. Dec. 3. lib. 11.*

quites Philippi captos, oppida amissa, prostratas acies, 144^o
 liberatam obsidione Brixiam, quæ amissa erant loca Fran-
 cifci virtute recuperata, & ipsi jam Philippo discrimen
 imminere (*m*): revocatum quoque per litteras crebris
 nuntiis a Philippo Piccininum, mandatumque, ne acie
 confligeret. Quare permoti Nicolai equites, Galli præci-
 pue totius exercitus robur, cum quæ afferrentur, ac vul-
 go jactarentur, vero simillima viderentur, salutem patriæ
 aliorum calamitati præferentes, sparsim fremere, rerum
 suarum curam non esse negligendam: aut sibi comnea-
 tum det Nicolaus, aut ipse in Galliam redeat: fatius vi-
 deri sua tueri, quam aliena appetere: confectari eos ca-
 stella quædam rustica, ac montana, ut opulentissimam
 regionem, fertiles agros, villas frequentes, opimam præ-
 dam, domos, uxores, liberos nulla vincendi spe proposita
 hostium libidini exponant. Hujusmodi vocibus Nicolaus
 permotus, cum propediem aut omnium rerum copia bea-
 tos se eos facturum respondisset, aut subituros quem ca-
 sum prælii fortuna dedisset, motis a Tiferno castris ad
 Burgum pervenit, ea mente, ut insidiis, & calliditate
 hostes superaret. Consueverant initio Florentinorum præ-
 fecti diligentius pabulatores structis, paratisque equitibus
 mittere, ne quid a propinquo hoste de improvise detri-
 menti caperetur, servare vigilias, insidiasque præcavere.
 Sed parum in ea diligentia est perseveratum. Ad tertium
 kalendas Julias, qua die Petri, & Pauli Apostolorum
 dies festus agitur, cum equites permulti pabulatum negli-
 genter, & absque ullo essent præsidio, omnes autem in
 castris (& æstus erat fervens) stratis corporibus quieti in-
 dulgerent, licentiamque ferret disciplina militaris, Nico-
 laus,

X x 2

N O T Æ.

(*m*): Jam discrimen imminere. cum Mediolanensem ditionem Sfortia jam ingressus fuisset.

1440 laus, cui hæc erant nota, relictis impedimentis, expedito milite duplici instructus acie, una qua pabulatores, altera qua ipse castra peteret, citato gradu, velut ad exploratam victoriam, in hostem ferebatur. Norant Decemviri Nicolaum & nuntiis, & litteris a Philippo revocatum, ideoque mandarant exercitus duci, ne quo pacto manus cum illo confererent: satis videri si nullo Reipublicæ detrimento salvis rebus omnibus necessario relicta Etruria in Galliam revertatur. Quod cum Piccinino haud ignotum esset, adversarios ad pugnam allicere studebat; sperabat enim cum a diversis (n) ducibus, ac præfectis hostium exercitus regeretur, vitium in militari disciplina perniciosissimum, fore, ut nequaquam in capesendo certamine in unam sententiam convenirent, sed quemlibet pro arbitrio proprio consilio staturum. Eoque illos absque ordine in prælium euntes sperabat facile superari posse, præsertim insperata acie, nullis id suspicantibus circumventos. Diem præterea sibi elegit festum, quo sciebat solere observari omnia incuriosius; & fortasse successisset consilium magna Florentinorum clade, nisi Michelettus dux veteranus, ac prudens armatus equo ascenso lustrans castra, omniaque circumspectans, adventum hostis ex colle ubi oppidum est ex moto pulvere perspexisset. Est planities, quæ ad Burgum pertinet subjecta colli quattuor millium passuum: ad hanc respiciens ex sublata nube pulveris, atque adesse Nicolaum cum suis copiis clamitans, arma omnes capere jussit, accersitisque suis in primis ad pontem quendam in via exstructum descendit, quo videbatur hosti transitum dari. Eo & reliqui præfecti confestim accurrunt de genere pugnae consultantes. Tribus

N O T Æ.

(n) *A diversis ducibus, & præfectis.* nempe a Ludovico Pontificis Legato, a Miche- | letto Sfortiæ præfecto, & ab Joanne Paulo Urfino Florentinorum duce.

bus aciebus (o) rem geri placuit, & quis cuique præesset 1440
 decretum. Subsidiariæ cohortes cum signis apud Legatum
 relictae, qui si opus foret laborantibus subsidio esset: pedi-
 res, ac sagittarii juxta ripam Tyberis latera hostium ferire
 jussi. Inito prælio, varie, diuque æquis viribus pugnatur, tum
 hoste ob præteritas victorias elato, ac turpissimum vinci
 ducente, tum nostris pro ulciscendis injuriis, consequen-
 daque ejus belli gloria nihil laboris periculique recusantibus.
 Aderant hortatores, tum Legatus, tum seniores (p)
 præfecti, quorum diligentia, & virtus eo maxime die
 laudata est. Cum omnia consilia, cum vires, cum ad
 suos cohortandos, laudandosque singula expertus esset Ni-
 colaus, summi ducis munia obeundo, tandem equites
 ejus cum longo itinere, tum pugnando fessi vertunt ter-
 ga. Victus, fugatusque cum paucis Burgum petiit, reli-
 quis aut captis, aut per varia loca dispersis: numerus
 utrinque pugnantium octo millium equitum fuisse tradi-
 tur: ad mille, & octingenti capti, & in his præfecti (q)
 haud vulgari fama plures: qui omnes postridie armis,
 atque equis amissis ad suos rediere: ad quadraginta inte-
 rempti ex militibus Nicolai: permulti (r) vulneribus con-
 fecti sunt: plura hostium signa militaria Florentiam in
 speciem victoriæ delata. Oppidanorum Burgi magnus
 numerus, ut qui velut ad certam prædam Nicolaum se-
 cuti erant, capti, ac pretio redempti. Visus est non ea
 qua solitus erat prudentia Nicolaus uti, qui suos duode-
 cim (s) millium itinere confecto, nullo quieti dato spatio,

in

N O T Æ.

(o) *Tribus aciebus rem geri placuit.* Ad
 emulationem invicem excitandam.

(p) *Seniores præfecti.* Et cum his Floren-
 tini Commissarii Bernardus Medices, & Gi-
 nus Capponus.

(q) *Præfecti &c. plures.* Præter quosdam
 ultro dimissos capti sunt Astor Manfre-
 dus, Ludovicus Parmensis, Romanus Cre-

monensis, Sacramorus Vicecomes, Anto-
 nellus, & Danusa Turre.

(r) *Permuli vulneribus confecti sunt.*
 Unum tantum hominem interemptum as-
 serit *Macchiavellus*; quod falsum omnes
 auctores, & præcipue *Elondus* cœvus testis
 ostendit *Dec. 3. lib. 11.*

(s) *Duodecim mill. um.* passuum.

1440 in discrimen certaminis adduxisset: sed victoriæ spe id ab eo actum esse dicunt, quo imparatiores hostes aggrederetur. Ipse (t) ea nocte, cum parum somno tribuisset, postridie relicto (u) oppido per Flaminiam Mediolanum concessit, crebro dictitans actum fuisse de Philippi imperio, si præfecti veteranique milites, in quibus exercitus robur erat (ii quadringenti numerabantur) aliquandiu detenti in captivitate forent. At ipsi (x) liberaliter accepti, dimissique eorum ducem consecuti sunt. Hac victoria perculsi Burgi accolæ, veritique, ne in eos asperius animadverteretur, quoniam a Pontifice descivissent, missis oratoribus veniam precantibus se se Legato dedidere. Gratissima ea victoria tum Eugenio, tum Florentinis fuit, quamobrem & Deo supplicationes solemnium pompa pluribus diebus festis actis Florentiæ decretæ, & a Pontifice ob liberatam bello Etruriam, ac de inimicissimo hoste partam victoriam Legatus (y) Cardinalis designatus est. Post hæc exercitus in Casentinum ductus, ut Francisci (z) injurias ulciscerentur, qui parvo tempore omnibus spoliatus castellis, obsessus Puppii, urgente fame ea conditione, ut incolumi cum liberis, rebusque suis abire liceret, deditioem fecit. Periit ea familia e statu rerum dejecta, quæ Comites Guidi appellantur, post quadringentesimum, quam in Italiam cum primo Othone (ut ferunt) venerat annum. In ea multi præclari fuerunt viri, & plurimis oppidis, castellisque

tum

N O T Æ.

- (t) Ipse ea nocte, &c. Adeo acceptæ cladis dolore perculsus fuit Nicolaus, ut referente *Lagisiano* bis gladium in se converterit, nisi ut hoc averteret, Jacobus ejus filius paterno lateri semper adhæsisset. *Justin. Hist. Ven. lib. 8.*
- (u) Relicto oppido. Burgi, quo confugerat.
- (x) At ipsi, &c. Eodem modo Carmi-
- niola captivos dimittendo, Venetis totius Lombardiæ imperium ademisse.
- (y) Legatus. Ludovicus Mediarota Cardinalis factus, & Presbyterali titulo S. Laurentii in Damaso insignitus. *Ciaccon. in Eugen. IV.*
- (z) Francisci. Puppii Comitis, qui, ut supra dictum est, a Florentinis defecerat.

tum in Casentino, tum Valle Arni superiore longo tem- 1440
 pore imperitarunt. Montem Varchium nobile oppidum
 tenuerunt, quod Guidoguerra moriens liberum reliquit.
 Plura insuper castella, quibus demolitis, Terranova (a)
 oppidum splendidum facta est, alter possedit Guido, &
 Marcoaldus Comites, ob sævam tyrannidem imperio pul-
 si, annis amplius centum viginti. Culpatur merito ulti-
 mi Principis Francisci temeritas, qui nullam ob justam
 causam ad Philippum transitionem fecerit, ignarus Res-
 publicas, optimis præsertim fundatas legibus, diuturniores
 unius hominis vita esse solere. Genus illi perantiquum
 erat, ac nobile, dignitas, atque opes non contemnendæ,
 hæreditas majorum ampla; sed virum nimis fortunæ blan-
 ditiis fretum majorum cupiditas præcipitem egit: qui dum
 aliena appetit, suis amissis, patria extorris inopia conse-
 nuit, posteris futurus documento, fidem servandam esse,
 & in rectis consiliis constantiam habendam. Expugnata
 insuper, & recepta sunt, Montechium oppidum, & arx
 Valiallæ, qua per lacunas ponte transitur, per Anfrosi-
 nam mulierem, & familiam Petramalæ semper Florenti-
 nis inimicam antea longo tempore possessa. Hæc in Etru-
 ria ea æstate gesta. Franciscus vero secunda fortuna usus
 plura (b) oppida de Mantuano, & Cremonensibus ex-
 pugnavit. Nam præter arces (c) tres pone Olium vi ca-
 ptas, Piscariam (d) insigne oppidum, situ amænum,
 atque arce munitissimum vi tormentorum quassatum diu-
 tius, ad deditonem coegit. Pluribus deinde castellis Min-
 cio trajecto potitus est. Reversus Mediolanum Nicolaus
 repa-

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| (a) <i>Terranova</i> . Natale Poggii solum. | Marcariam. |
| (b) <i>Plura oppida</i> . ita ut in ea agri parte,
quæ Mantuam Brixiamque respicit, solum
Casale Majus in Padi ripa Philippo reli-
ctum fuerit. <i>Blond. Flav. Dec. 3. lib. 11.</i> | (d) <i>Piscariam insigne oppidum</i> . de qua
<i>Dantes Infern lib. 20.</i>
<i>Siede Peschiera bello, e forte arnese</i>
<i>Da fronteggiar Bresciani, e Bergamaschi,</i>
<i>Onde la riva intorno poi discese.</i> |
| (c) <i>Arces tres</i> . Asulam, Canetum, & | |

1440 reparandis militibus intentus , data a Philippo potestate magnam pecuniarum vim hortando, cogendo, auferendo, nullo rerum, aut hominum habito discrimine, brevi tempore coegit. Multis quibus nummi deerant, arma, equos, vestes imperavit. Instauratum brevi equitatum per hiberna (e) divisit. Copiis itidem Franciscus per loca de hoste capta hyemandi causa distributis, frumentaria re comparata, & exercitus com meatui, & oppidorum saluti prospexit. Excitatis utrinque ad bellum animis, Nicolaus Estensis Ferrariæ Princeps nullarum eo bello partium illata pacis mentione, ac oratoribus (f) ad Ducem, & fœderatos missis, cum nulli eam aspernari viderentur, tandem variis utrinque postulatis nulla certa sententia res est protracta. Philippi filia Blanca ante Francisco desponsata (g), Nicolai adhortationibus Ferrariam summa cum pompa, atque honore mittitur, ut ea tamquam pacis sequestra summoto bello concordia firmaretur. Sperabatur enim Franciscum, reliquosque ad pacem procliviores fore, cum viderent Philippum paratum stare promissis, & antea Francisco matrimonio junctam uxorem cum dote (h) tradi. At cum is novisset ad instaurandum bellum Nicolai apparatus, alieni consilii ignarus, ut ad omnes conatus, insidiasque paratior esset, neve quid incommodi per fœcordiam a Piccinino acciperetur, Johannem fratrem cum quatuor equitum millibus Suncinum (id oppidum præcipue hosti oppositum est) proficisci jussit. Nicolaus idibus Februariis cum equites peditesque in agro Placentino Cremnonensique ad decem millia comparasset,

N O T Æ.

(e) *Per hiberna divisit* . in Picenum Guidantonio Manfredi, & Francisco ejus filio ducibus. *Blond. Flav. Dec. 3. lib. 11.*

(f) *Ac oratoribus ad Ducem, &c.* Ipse Nicolaus Atestinus Mediolanum se contulit. *Pigna lib. 7.*

(g) *Ante desponsata* . sed quæ, ut diximus, viro immaturo apud patrem remanserat.

(h) *Cum dote* . Cremona, & Pontremulo dotis titulo assignatis.

set, transmisso Pado reliquas, quæ in Cremonensi erant, 1441
 copias sibi jungit. Simulans vero se oppidum Urceos pe-
 titurum, ad sinistram flexit. Noctu postmodum longo
 itinere confecto rediens, flumen (i) ad Rodianum omni
 nudatum præsidio trajecit. Venetorum exercitus cum
 Nicolai copiis impar esset, ad oppidorum custodiam con-
 versus, quatuor in locis Urceis, Suncino, Clario, Pala-
 tiolo, ut ab hoste tuta essent, confedit. At Nicolaus
 exercitu ad oppugnandum Clarium ducto, oppidanisque
 obsidionem nequaquam ferentibus, prodito octingentorum
 equitum præsidio, ad deditonem compulsis (maxima o-
 mnium rerum jactura, quæ ad id temporis Francisco obti-
 gisset) Palatiolum venit; quod per fugiente in arcem præ-
 sidio, primo adventu cum cepisset, ejus oppugnatione ce-
 teris permissa, ipse ad alia oppida (l) recipienda perguit,
 quæ plurima ejus regionis non expectato Nicolao se se il-
 lius arbitrio permisere. Septimo obsidionis die arce Pala-
 tioli capta, præsidium incolome cum impedimentis abire
 permissum est: quæ singula tanta celeritate facta sunt,
 ut Franciscus, qui spe pacis de qua agitabatur, Piscariæ
 (m) ferme otiosus residebat, uno tempore & Piccini-
 num in armis esse, & ea omnia amissa cognosceret. Qua-
 re auditis quæ ab hoste gerebantur, ad se equitatum, pe-
 ditatumque omnem diversis in regionibus hyemandi cau-
 sa dispersum, convenire jussit. Vulgaverant hostes, ad
 debilitandos, alienandosque populorum animos Franci-
 scum a Venetis interfectum, ideoque illius oræ transiti-
 onem ad Philippum esse factam; quæ fama cives Brixien-
 ses paulum titubare coegit: non enim fieri posse crede-

Y y bant,

N O T Æ.

(i) Flumen. Olivum.

(l) Ad alia oppida. Minerbii, & Pontis
 Olii.

(m) Piscaria ferme otiosus residebat. Ve-

netias profectus fuerat Sfortia, ut res gestas
 Senatui exponeret, pacemque suaderet. Pe-
 trus Justin. lib. 8. & Corius p. V.

1441 bant, ut vivo illo tanta calamitas apud Clarium aut accepta, aut inulta esset; neque passurum solertissimum, ac victoriis florentissimum ducem fuisse tam libere, tam licenter, tam impune hostem, qua velit, vagari: siquæ vero afferrentur litteræ hominem vivere incolumemque esse, pro confictis, simulatisque habebantur. Hac Franciscus fama motus, nondum coactis copiis falso rumori occurrendum ratus, cum trecentis tantum equitibus Brixiam petiit, cujus adventu confirmati civium animi summa alacritate eum suscipere. Ibi paucos dies commoratus, Veronam ad milites ex hibernis educendos rediit. Nicolaus pluribus oppidis, variis in regionibus, quæ tum defecerant, tum oppugnata se illis permiserant, receptis, equites hyemis asperitate, pabulique inopia confectos per loca a se capta distribuit. Ipse Mediolanum ad augendum exercitum, ut par numero, ac viribus Venetis esset, proficiscitur. Philippus interim arbitratus Franciscum proprio percussum periculo necessario impelli, ut si sua salva esse vellet, copias distraheret, cum Alphonso (n) Rege egit, ut loca, (o) quæ olim a patre in regno possessa teneret, bello repeteret: facile expugnari posse omnia, si exercitus tantummodo admoveatur. Qua (p) occasione cupidissime arrepta Rex, motis armis, extemplo quæ illius ditionis erant, cuncta haud magno negotio nudata defensoribus cepit. Sed nil profuit ea res Philippo, nisi quatenus illa Francisco auferrentur. Nam ipse nunquam copias aliqua ex parte minuit, ac tantam paterni imperii jacturam, ut fidem servaret, æquo animo tulit: neque eo damno

N O T Æ.

- | | |
|--|---|
| (n) <i>Alphonso Rege.</i> Neapolis. | navali a Genuensibus captus, Mediolanumque perductus, non solum vita, ac libertate donatus, sed regiis muneribus a Philippo cumulatus fuerat. |
| (o) <i>Loca, &c.</i> Trojam, aliasque civitates in Apulia. <i>Comment. Pii II. lib. 2.</i> | |
| (p) <i>Qua occasione, &c.</i> Multum enim, Philippo Alphonfus debebat, quod bello | |

damno motus, bellum quod suis auspiciis gerebatur sui 1441
 commodi gratia deseruit. Verum equitum sexdecim, pe-
 ditum septem millium contracto exercitu, cui Michelet-
 tus (q) patruus, Venetorum dux designatus, præerat,
 Brixiam petens, transmissis Mella flumine, Cignanum (r)
 adiit, quo in vico Nicolaum cum decem millibus equi-
 tum, tribus peditum confedisserat, ut ei pugnandi
 copiam faceret: at ille detractans certamen locum mu-
 nierat fossa, quam aqua decurrente impleverat. In via ve-
 ro ad vicum ferente currus, crassioraque ligna iter impe-
 ditura disposuerat, ne invitus pugnare cogereetur. Hu-
 jus munitionis ignarus Franciscus cum exercitu progressus,
 præclusa cum hoste decernendi facultate, asperum (s)
 certamen commisit: sed multis ex suis, qui in locum ini-
 quum subierant, amissis, signo receptui dato, satis sibi fa-
 ctum ob belli famam, opinionemque existimavit, pa-
 lam fieri ultro ab se hostem ad pugnandum provocatum,
 non armis, sed loci fiducia fretum congressum refugisse.
 Ea fama id est assecutus Franciscus, ut multorum animi
 populorum excitati ad Venetos desciscerent. Nam e vesti-
 gio Minervium, pluraque castella ultro se dedentia rece-
 pta sunt. Pons quoque Olii deditionem fecit, quorum
 exemplum imitati complures se sponte dedidere. Franci-
 scus cum in agrum Bergomensium exercitum duxisset, ex-
 pectans quo tenderent Nicolai consilia, Jacobum Vicen-
 sem illius oræ præfectum cum mille equitibus, peditibus
 sexcentis cognovit Martinengum amplissimum oppidum
 missum; quos ut una cum oppido caperet, alio se iturum

Y y 2 fin-

NOTÆ.

(q) Michelettus. Attendulus in Mellitæ locum (qui Patavium desperata salute accesserat) Sfortia petente, a Venetis suffectus. Corius p.V.

(r) Cignanum. duodecim pass. mill. Brixia distitum.

(s) Asperum certamen. quo Cavalcabos vir fortissimus occubuit, Troilusque vulneratus est. Major cædes utrinque edita fuisset, ni nox adveniens eos diremisset. Justin. Hist. Ven. lib. 8.

1441 fingens, quo destinaverat, flexit iter, oppidumque confestim corona cingens, latam fossam insuper in planitiem, quo tutior ab hostili incurfu esset, induxit. Omnis quoque generis machinas, tormentaue comportari iussit, quibus muri solo æquari solent. Nicolaus, ut obsessis ferret opem, contractis (t) undecumque militibus, mille passus prope hostem castris positus, ea & fossa, & aqua communivit: sæpiusque propter hostilia castra instructa acie obequitans pugnandi facultatem præsefererat. At Franciscus remisso priori ardore manum cum hoste conferendi, urgebat oppidi expugnationem. Norat enim Nicolaum non dimicandi voluntate, sed solvendæ obsidionis causa ostentare decertandi potestatem. Utriusque erat opinio in ejus solius oppidi, aut expugnatione, aut defensione totius belli fortunam consistere: ideoque castra utraque novis in diem subsidiis augeri, ut non de unico agi oppido, sed de summa rerum periculum verti videretur. In vigesimum diem obsidione protracta præter spem omnium pax (u) subito secuta est. Agitata antea erat occulte & ad eam proniorem Philippum reddebat nulla victoriæ spes, & imminens status sui discrimen. Ferebatur (x) enim meliori vincendi spe oppidi Franciscum niti, quam Nicolaum defendendi. Itaque in varia tractus (y) consilia Philippus, nulla superandi hostes spe oblata, tutiorem tandem partem secutus est. Ex insperato cum maxime vigeret bellum, Franciscus soluta obsidione, exercitum pacato similis in castra reduxit, illis, qui

in

N O T Æ.

- | | |
|---|--|
| <p>(t) <i>Contractis undecumque militibus</i>. ad viginti millia. <i>Juven. ibid.</i></p> <p>(u) <i>Pax sequuta est</i>. Urbano Rosano, & Guidobono Dertonense eam cum Sfortia Philippi jussu conciliantibus.</p> <p>(x) <i>Ferebatur, &c.</i> Nihil minus. Nam Piccininus Philippo scribens, se Sfortiam</p> | <p>cum toto exercitu capturum promiserat; clausus enim undique fame urgebatur. <i>Amiratus lib. 21. & Corius p. V.</i></p> <p>(y) <i>In varia tractus consilia</i>. Piccinino iratus, qui Placentiam donari sibi cupiebat, & postulabat, timentique ne devicto Sfortia imperiosior evaderet. <i>Corius ibid.</i></p> |
|---|--|

in oppido inclusi erant, libera quo vellent & abire, & 1441
morari permissa facultate. Postridie decem dierum datis
induciis duces ambo inermes cum inermi comitatu in pra-
tis proximis amice, humaniterque, data invicem, ac red-
dita salute, collocuti in mutuum amplexum occurrunt,
multaque benivolentiæ signa verbis ostendentes, ac gestu,
præsentes omnes in admirationem traxere. Mirum erat
eos cernere, quos inter multa invidiæ, ac æmulationis,
odiique expressa vestigia longo tempore apparuerant, adeo
concordi esse animo, & ad mutuum amorem prompto.
Prior Nicolaus, *Non suo, aut parentum odio, inquit, ne-
que vindictæ, aut ulciscendæ injuriæ causa, quam nullam
ab eo acceperit, sed honoris, ac gloriæ inter eos certamen fuis-
se. Utrunque boni ducis officio functum, qui pro eorum,
quibus militabant salute bellum ex fide administrarint. Ex
summa contentione summam pacem secutam, quam optabat
utrisque commodo, & salutis fore. In eandem ferme senten-
tiam Franciscus ait: Laudis, & famæ querendæ gratia, ar-
ma a se contra Philippum pro Venetis, ac Florentinis sumpta,
seque ea fide suscepisse, ac gessisse belli curam, quæ in optimo
duce requiratur: pacem salutarem videri, quæ mentes o-
mnium ad concordiam traduxisset. Præteritas utrinque inju-
rias perpetua oblivione esse abolendas. Se quidem quoad ho-
nos, & fides pateretur, semper in Philippi, sui que potestate fore.*
Ab hoc digressi sermone, ambo ad suos rediere, e vesti-
gioque Venetos, ac Florentinos Franciscus per litteras (2)
certiores facit, quæ illum causa primum ad inducias, de-
inde ad certam spem pacis, ad quam eos pro communi
quiete, quoad posset, hortaretur, impulisset: finem bello-
rum, aut pacem, aut victoriam esse. Interea haud de-
sperata

N O T Æ.

(2) Per litteras. Ipse Sfortia una cum | cum penes Venetos arbitrium pacis & belli
Florentinis legatis Venetias se contulit est, | foret. Justin. lib. 8.

1441 sperata victoria ad pacem videri confugiendum. Suscipi enim bella, ut concordiam pariant; quæ si afferatur honesta, minime videri repudiandam: multa bellis imminere pericula: vincere homines, & vinci pro fortunæ arbitrio solitos: plurima discrimina, insperataque in acie versari: in pace omnia tuta esse, quæ incertæ victoriæ cupiditate non esset a sapientibus viris aspernanda. Se a Philippo constituendæ pacis arbitrum quibus velit conditionibus factum: cui rei ita Philippus fide publica, iurequejurando astrictus esset, ut nulla componendæ concordie fraus, aut dolus subesse queat. Sibi quidem persuasum esse, Philippum ab his quæ a se decernerentur, minime recessurum: afferrent ipsi quæ viderentur jure postulanda, quæve rejici haud honeste possent: omnia illum, quæ de Brixiensibus, aut Bergomensibus post priorem pacem cepisset, redditurum. Filiam quoque Blancam, ut antea despondisset, uxorem, Cremonam insuper atque omnia ejus agrî oppida, Pontremolum quoque dotis nomine sibi traditurum. Cum multa in utraque Republica variis sententiis agitata essent, visum est tandem oblatam pacem, veluti rem tutiorem, accipiendam esse, quæ anno primo & quadragesimo post mille quadringentos per Francisci his legibus firmata (a) est: Ut capta post pacem proximam utrinque restituerentur: Genueses pro sociis haberentur: Mantuano nonnulla ex suis belli tempore capta redderentur (b): quæ Venetorum ditionis ante bellum fuerant, ad illos redirent: multa præterea, quæ ad socios, fœderatosque pertinerent, adjecta..

N O T Æ.

(a) Firmata est. Caprianæ, quo Pontificis, Venetorum, ac Florentinorum legati convenerant. Justin. *ibid.*

(b) Redderentur. præter Asolam, Lonatum, & Piscariam. *Platin. Hist. Mant. lib. 6.*

jecta. Uxor (c) Francisco, & promissa dos tradita. Tulit 1442
 ægre admodum Eugenius Pontifex Bononiam, ceteraque
 Flaminiae loca, cum ex fœdere belli socius esset, non
 fuisse sibi restituta, idque Francisci culpa factum accusa-
 bat, qui ceteris sociis, se posthabito, de amissis restituendis
 cavisset; in eoque suam auctoritatem neglectam, ac
 spreteam querebatur, Francisco tantum, penes quem libe-
 rum ejus pacis arbitrium fuisset, infensus, ac magno adversus
 eum odio incitatus. Tradunt quidam Franciscum de Bo-
 nonia (d) reddenda Pontifici tractasse; sed Philippum
 alienum ab ea sententia fuisse, idque ab eo negatum, ne
 animo inquieto, & parvo tempore uno in consilio per-
 stanti, semina dissensionum deessent, utque aliqua nova
 rerum perturbandarum occasio relinqueretur. His con-
 ditionibus habita pace, Itali ferme omnes admodum læ- 1443
 tati sunt, cum existimaretur a singulis, inter tales duces
 populosque firmata concordia, omnem ferme Italiam ab
 armis quieturam. Franciscus Cremonæ (e) celebratis de
 more nuptiis cum Uxore in Picenum revertitur. Nulla
 res videbatur fore tanta, qua tam solemnî fœdere pax
 facta violaretur. At Philippi pacem quietemque exosi,
 semper novis studentis rebus calliditas modum excogita-
 vit belli de integro excitandi. Nam posteaquam Franci-
 scus in Picenum venit, vir otii impatientissimus, Euge- 1444
 nio per internuntios persuasit, ut illum (f) ea provincia,
 quam contra suam voluntatem teneret, expelleret. Ad id
 tum copias (g) suas, tum pecunias pollicitus, Eugenii
 ani-

NOTÆ.

(c) Uxor, &c. Longe a Cremona mille pass in æde Divi Sigismundi desponsata est Blanca, & Sfortiæ dotis nomine Pontremolum, & Cremona tradita. *Campi Hist. Cremon. lib. 3.*

(d) Bononia, &c. A Piccinino jam occupata.

(e) Cremona celebratis, die XX: Octo-

bris, de quibus pulcherrima Oratio a Lanfranchino Castilioneo habita est. *Campi ib.*

(f) Ut illum, &c. oderat Generum, ut Venetis nimis faventem.

(g) Copias suas. Quibus Guillelmus Monferratus, & Carolus Gonzaga præerant. *Plat. de Vir. Pontif. in vita Eug. IV.*

- 1446 animum ad bella proclivem , & Francisco ob non restitutam Bononiam maxime infensum , promptumque ad injurias ulciscendas perpulit , ut ei bellum moveret : quod ut facilius ex desiderio succederet , fœdere secum , & cum Rege (*h*) Aragonum Alphonso inito , eorum præfidiis , Regis præsertim , qui in Picenum venit , eam provinciam pulso Francisco recuperavit . Ipse (*i*) deinceps a Philippo mobilis animi in Galliam evocatus , cum omnibus copiis ad eum (*l*) proficiscitur . Ante receptum Picenum Eugenius contra Florentinos quoque , quoniam hosti suo (*m*) auxilia subministrasse dicebantur , majora versans animo , occulte conspiravit , ob eamque causam Alphonsum a regno adversus Florentinos excivit , existimans , si suis , si Regis , si Philippi tribus exercitibus illos adoriretur , facile eam urbem in quas vellet condiciones adductum iri . Rex Tibur (*n*) , propinquam Romæ urbem , mense Februario accedens , tempus belli gerendi observabat .
- 1447 Interim Eugenius primo , eodem mense (*o*) , anno sexto & quadragesimo post mille quadringentos , tum Philippus altero anno , Augusti mense moriuntur . Creato (*p*) Nicolao Quinto Pontifice maximo Regem suspensum , dubiumque animi , retrone cederet , an destinatum sequeretur

N O T Æ.

(*h*) *Cum Rege Aragonum Alphonso* . qui libenti animo fœdus iniit ; timebat enim ne pace facta Sfortia ad sua oppida recuperanda , quæ illi anno elapso occupaverat , in se arma converteret .

(*i*) *Ipse* . nempe Alphonfus .

(*l*) *Ad eum proficiscitur* . Neque solus , neque cum copiis Mediolanum Alphonfus se contulit ; nam Tibur profectus est , legatosque ad Philippum misit , qui excusationem afferrent ; sed nihil apud Philippum iracundi animi virum profecerunt . *Corius par. V.*

(*m*) *Hosti suo* . Sfortiæ quem Florentini juverant . Conquestus est Eugenius Ludovico Cardinali scribens , dum ait . *Cum jam*

pluribus annis iniquitatis filius Franciscus Sfortia , communitatis Florentia favoribus , ope , & præfidiis suffultus , &c. Rayn. Ann. Eccl. sub ann. 1446. Ammirat. lib. 22.

(*n*) *Tibur* . urbem olim Latii , nunc agri Romani 16. mill. a Roma in ortu distanté .

(*o*) *Eodem mense* . Februario , VII. kal. Martias . Pontif. ann. XVI. ætatis LXVII. *S. Antonin. p. III. Tit. 22. c. 11. §. 17. Platina* aliique , ætatis anno LXIV. occubuisse referunt .

(*p*) *Creato* , &c. pridie nonas Martias intra duodecim dies a defuncto Eugenio , novus Pontifex electus Thomas Sarzanus a Sarzana Lucensi agro , qui Nicolaus V. dictus est .

tur bellum, Senenses (q) duo, quorum per civiles dissen- 1447
siones opes alebantur, adeunt: ii novas res appetentes,
Regi, ut mentem ad Etruriæ imperium adjiciat, suadent.
Quod aserebant procul dubio fore, si Senas profectus, ea
urbs (& id facile pollicebantur) in potestatem veniret.
Haud magno labore quæ afferebantur credita, Simonetti-
que a Florentinis defectione, in quo eorum præsidium ver-
sari credebant, confirmata sunt, ac spes facta, cuncta pro-
spere successura. Erat enim unicus quingentorum equitum,
quibus Florentini stipendia darent, præfectus, ideoque cum
ad Regem transisset, simile videbatur vero, milite exter-
no destitutos, cum neque (r) præsens auxilium esset, neque
cito accersiri daretur facultas, aliqua insigni calamitate af-
fici. Verum utraque frustratus est spe; nam cum æstate
transacta cum duodecim millibus hominum, magnoque
belli apparatu Senenses pervasisset, ac per oratores postu-
lasset, ut sibi tamquam amico urbem ingredi liceret: ci-
ves quod suum erat in alterius ponere arbitrio haud tu-
tum censentes, neque dubium esse existimantes, quin si
urbem ingrederetur, multorum animi, plebis præsertim ad
levem auram mobilis, tum promissis, tum pretio corrupti
in Regis voluntatem inclinarent, tumultus populares ve-
riti, contra spem oblatam ingressu prohibuere. Commea-
tum tamen exercitui se daturus polliciti sunt, suisque mi-
litibus, si cui quid usui esset, urbes, & oppida eorum in-
grediendi facultas concessa est. Florentini cum nihil a Re-
ge suspicarentur mali (neque enim ulla res intercesserat,
quæ Regis animum juste ad bellum provocaret, neque il-
lud more gentium indictum erat, nisi quo die primum

Zz

popu-

N O T Æ.

(q) *Senenses duo*. quorum princeps An-
tonius Petruccius. *Malavolt. lib. 3. p. III.*

(r) *Cum neque præsens auxilium esset*.
Præsens auxilium adfuisse testatur *Ammirat.*

p. II. *Hist. Flor. lib. 22.* deficiente enim Simo-
netto, Urbini Comes cum mille peditibus,
& octingentis equitibus supervenit.

1447 populari agri eorum cœpti sunt) postquam illum agro Senensi propinquantem, præfectique (f) defectionem audiere, Decemviros creant, qui provideant, ne quid a Rege detrimenti capiatur. Illi tumultuario milite, quem paucis diebus summo studio comparaverant, loca Senensibus finitima pro temporis angustia muniunt, Federicumque Feretranum, Urbini Comitem, virum bello, ac pace egregium, socium, atque amicum in primis, conducunt; qui cum equitibus mille, peditibus octingentis optato tempore, summa celeritate subsidio Florentinis veniens, ad corroborandos civium animos, & cohibendas hostium incursiones maximo præsidio, ac salutis fuit. Alphonfus interea Senensium perturbatus responso, magnaque (t) spe dejectus, agros Florentinorum Senensi conterminos haud adversantibus illis late populatus, captisque duobus (u) castellis ignobilibus minimo cum præsidio relictis, alterum vi, deditione alterum, in Volaterranos flexit. Inde cum Florentinorum equites Duce Federico extremum agmen caperent, dispersique per oppida, ut ab hostili oppugnatione tutiora essent, instarent, nec vagari late sinerent: urgente hyeme per Senensium fines maritimam oram petens, Castilionem Piscariæ mari, ac stagno propinquum paucos post obsidionis dies deditibus se oppidanis recepit. Arx deinde cum plures menses (& hyems erat aspera) defendi potuisset, præfecti (x) ignavia est tradita. Post hæc in hiberna distributo per oppida exercitu, ipse in locis (y) maritimis confedit. Ea hyeme ab incursione hostium, nisi latronum more, quieta loca, præ-

N O T Æ.

- | | |
|--|--|
| (f) <i>Præfectique</i> . Simonetti. | (x) <i>Præfecti ignavia</i> . Bernardi Aringherii, qui absens capite damnatus est. <i>Ammirat. ibid.</i> |
| (t) <i>Magnaque spe dejectus</i> . urbis potiundi, quod facile sibi fuaterat. | |
| (u) <i>Duobus castellis</i> . Ceninæ, & Ripomerantiæ. <i>Ammirat. p. II. lib. 22. p. 55.</i> | |
| | (y) <i>In locis maritimis</i> . In Aquærivæ oppido. |

præter pauca Florentinorum fuere. Æstate sequenti, ne 1448
 tantis copiis nihil actum esse videretur, Plumbini oppi-
 dum mari proximum, ac opibus validum, non absque
 data spe brevi ejus potiundi, expugnare adoritur. Magno
 apparatu ad occidentem castris positis oppidum (z) cir-
 cumfedit, utque commeatus exercitui suppeteret (neque
 enim omnia usui necessaria a Senensibus (a) poterant per-
 ferri) classem, qua Neapoli tum annona, tum in-
 strumenta bellica ad posternendos muros subveherentur,
 paravit: ita & res frumentaria abunde in castris erat, &
 bombardæ ingentes, aliaque tormenta delata sunt. Castra
 ab hostium incurfu tum militibus, tum loci natura mu-
 nita erant: nam mari propter paratam classem nil timeri
 poterat; a continenti tum stagna, tum montes difficiles
 aditu intercedebant; qua adiri ad castra poterat, fossa,
 & repagulis munierant. Renaldus Ursinus, magni vir
 animi oppido imperabat, qui Regis antea explorato ani-
 mo, frumento, militibus, armis, diversisque ad resisten-
 dum machinis egregie oppidum firmaverat, fœdusque
 cum Florentinis inierat, a quibus nihil, quod ad defenden-
 dum oppidum pertineret, prætermisum est. Nam & com-
 meatum (b) invehit, & peditibus oppidum tueri cura-
 bant, conducto insuper ad quatuor millium virorum e-
 quitatu, regiones castris propinquas tutas ab incurfu ho-
 stium præstabant: & nisi inter quosdam equitum præfe-
 ctos simulas, atque invidia, dum de dignitate conten-
 dunt, suborta foret, haud inultas Alphonsus injurias tu-
 lisset. Data est enim sæpius facultas nocendi castris, si

Zz 2 com-

N O T Æ.

(z) Oppidum circumfedit. kal. Juliis.

(a) A Senensibus poterant perferri. qui Plumbini Regulo auxiliari tentabant, quip-
 se amico, suæque tutelæ commendato.

(b) Commeatum invehit. Quatuor trire-
 mibus tercentos pedites una cum commeatu
 Plumbinum invexere, dum aberat Alphonsi
 classis. *Ammirat. lib. 22.*

1448 communi consilio rem aggredi voluissent : sed dum quisque alterius spreto consilio suum rebus gerendis præfert, ostenderunt eam verissimam haberi sententiam, plurimum (c) imperium in gerendo bello perniciosum, & in magnarum rerum administratione ad unum deferri imperium debere. Præter equites, peditesque Regi oppositos, a Decemviris insuper in Pisano portu triremes quinque, quibus & oppidi maritimam oppugnationem cohiberent, & classi regiæ ad subvehendos in castra commeatus impedimento forent, paratæ sunt. Eæ Plumbinum profectæ cum in conspectum hostium venissent, non exploratis eorum (d) viribus, non cognito navium numero, nulla rei bene gerendæ expectata facultate, pugnandi copiam e vestigio fecere. Ingens certamen, & anceps diutius pugna fuit : primo impetu naves quædam regiæ captæ, in quas dum milites ex suis triremibus insilirent (e), hosti in eas defensore vacuas transeundi locum dedere. Plures numero triremes regiæ erant; ad hæc minores naves illis aderant. Demum subministrante in horam Rege parvis navigiis novos, ac recentes in classem milites (nam prope litus gerebatur res) cum integri faucis, fessis succederent validi, haud parva (f) utrinque cæde Florentini superantur. Duabus captis triremibus, reliquæ in fugam versæ Pisas redeunt. Eam cladem præfecti (g) culpa, maritimæ pugnæ penitus inscii,

N O T Æ.

(c) *Plurimum imperium in gerendo bello perniciosum, &c.* Quod & *Torquatus Tassus* in *lib. 1.* innuit.

Ove un sol non impera

.

Ivi errante il governo esser conviene.

(d) *Eorum viribus.* decem triremes aliasque corbitas fuisse narrat *Capponus*, sex tantum triremes, & tres corbitas enumerat

Barthol. Facius lib. 9. de Gestis Alph.

(e) *Insilirent.* prædæ intenti.

(f) *Haud parva utrinque cæde.* usque ad noctem pugna protracta. *Ammirat. p. II. lib. 2.*

(g) *Præfecti &c.* Hujus nomen *Ammiratus* ipse se ignorare fatetur : præfectus vero hostium fuit *Garzeraxius Rechessensus Hispanus.* *Barth. Facius lib. 9. de Gest. Alph.*

scii, qui neque loco, neque tempore in conspectu exercitus hostium temere decertavit, acceptam ferunt. Elatus ea victoria Rex, cum mare tutum ab hoste relictum esset, acrius ad diruendos machinis muros instabat. Verum quod interdium ceciderat, noctu ab oppidanis reficiebatur: aggere præterea interius, quo a lapidum jactu firmiores essent, muri corroborabantur. Sæpius etiam variis præliis victoria tentabatur, sed defendentium virtus hostium vires superabat. Pollicitus quoque Renaldo est Alphonsus, pro unico oppido plura se illi, atque ampliora, adjecta etiam pecunia, in regno daturum. Quæ omnia ab eo contempta sunt, certum imperium dubiis promissis præferente. Ita æstate integra ferme in ea oppugnatione (b) nequicquam absumpta, fesso labore, incommodisque exercitu, ac multis affecto vulneribus, necessitas Alphonsum compulit ad omittendam obsidionem. Missa terrestri (i) itinere majori exercitus parte, ipse Castilionem profectus classe (l) Neapolim petit. Poterant Florentinorum præfecti nullo ordine abeuntes, atque incompositos magno cum detrimento hostes insequi, nisi satis abunde factum duxisset Senatus noster, illos rebus omnibus amissis turpiter fugere. Mirum erat videre equos, hominesque prope urbem iter facientes, confectos macie, sordidos veluti silvestres, quosdam ferme nudos, præmissis equis, pedibus redire. Agi deinde per Nicolaum (m) Pontificem de pace cœptum est, tentataque Regis voluntate, cum ad concordiam inclinaret, Florentinis

N O T Æ.

(b) In ea oppugnatione. haud diligenter narrat Barth. Facius ibid.

(i) Terrestri itinere. per Senensem agrum confecto. Malavolti. p. III. lib. 2.

(l) Classe Neapolim petit. Cajetam clas-

se petit, deinde terrestri itinere Neapolim. Ammirat. lib. 22.

(m) Per Nicolaum Pontificem. qui Joanni Cardinali Morinensi munus hoc injunxit. Rayn. Ann. Eccl. ad ann. 1448.

1448 tinis persuasit, ut oratores (n) Neapolim mitterent: sperare se procul dubio omnia conventura. Qui prius ad Pontificem, tum ad Regem profecti pacem composuere. In conditionibus aliquamdiu variis sententiis certatum, æquum censentibus oratoribus, Castilionis arcem per injustum ereptam bellum restitui. Rex se nequaquam pro sua dignitate id ex pacto facturum dicere. Est tamen per eos, qui consilio Regi aderant, haud dubia spes(o) oblata, illum ad eam ultro reddendam liberalem fore. Decreta omnia aboleta, hæctenus ab altero in alterius damnum, injuriamve facta. Immunitates quoque, ac exemptiones negotiatoribus restitutæ, quibus in Regis ditone Florentini antea usi essent. Id est præterea fœderi adjectum, ut siqua imposterum dissensio, discordiave ex quavis causa Regem inter, ac Florentinos emergeret, ejus cognoscendæ jus, arbitriumque in solo esset Nicolao Pontifice, ad quem omnis futuræ controversiæ haberetur provocatio; utque nulli liceret alterum armis incessere, aut appetere bello, nisi ex decreto Pontificis, & ejus sententia prospecta. Ingens quoque pecuniæ pœna injuncta est fœderis violatori. Anno quinquagesimo supra mille quadringentos his aliisque legibus firmata pace, cum in otio quieturus Florentinus populus videretur, Venetorum ambitione simul, & Alphonsi ampliandi imperii cupiditate, novo bello, insperatoque est provocatus. Quod sane periculosissimum fuit, & maximis viribus gestum; nam validæ utrinque opes erant, & pari odio dimicabatur. Ad cujus originem explicandam paulo videtur ab instituto digre-

N O T Æ.

(n) Oratores. Jannotius Pandulphinus, & Francus Sacchettus missi, Barth. Facius lib. 9. de Gest. Alph.

(o) Spes oblata. Vanam fuisse spem exitus probavit, Barth. Facius ibid.

grediendum. Defuncto (p) Mediolani Duce absque he- 1448
 redibus Philippo, cum cives libertatem asseruissent, Ve-
 neti, qui post ejus mortem ad Galliæ Cisalpinæ impe-
 rium aspirabant, Placentiam, Laudamque urbes (q) per in-
 testinas factiones occupavere: ceterasque vicinas urbes fa-
 cile in suam redegissent potestatem, utpote novam Rem-
 publicam non satis firmam viribus arbitrati, nisi Medio-
 lanenses Franciscum, qui in propinquis locis erat, a Phi-
 lippo ante obitum accersitum, ducem belli adversus Ve-
 netos sibi delegissent. Ise vestigio occurrens hostibus, in
 primis Placentiam obsedit, expugnavitque (r), licet firmis-
 simo Venetorum præsidio, & duabus arcibus munitam.
 Sed animi magnitudo Francisci, virtusque superavit omnia,
 quæ multa proposita erant discrimina. Unica pugna, &
 ea admodum aspera urbem maximo vitæ discrimine sola
 vi cepit. Nam cum muri partem, qua oppugnabatur,
 obequitans, milites ad prælium, & ascendendos scalis mu-
 ros hortaretur, equo bombardæ lapide ad terram prostra-
 to, ipse telis, sagittisque hostium, ac saxis, utpote in fossa
 jacens laceffitus, concursu suorum ad casum ejus superve-
 nientium vix interitum evasit: nec tamen propterea ardo-
 rem remisit pugnæ, sed surgens instabat ardentius oppu-
 gnationi, cohortationique suorum; donec multis cum ho-
 stium, tum suorum interfectis, virtute militum urbem
 cepit, ac diripiendam militi concessit: pauloque post ar-
 ces deditioe (s) facta recepit. Trajecto deinde Abdua
 flumine, apud oppidum Caravagium ab eo obsessum,
 Ve-

N O T Æ.

(p) Defuncto Mediolani Duce. Apoplexia correptus occubuit mense Augusto, ut S. Antoninus narrat. Alii alio fato sublatum volunt, inter quos Corius fluxu sanguinis. Vide Gobel. in Comm. Pii II lib. 1. & 3.

(q) Urbes. Guelphi eas, missis ad id legatis, Venetis dedidere. Corius p. V.

(r) Expugnavitque. Disjectis muris in-

gressus Sfortia, Gerardum Dandulum, & Thaddæum Atestinum cum mille peditibus, qui paulo ante urbis præsidio adven- rant, cepit. Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 8.

(s) Deditioe facta. a Thaddæo Atesti- no, qui illuc confugerat Placentia, ubi captivus detinebatur. Corius p. V.

1448 Venetorum exercitum commissa acie prostravit (r). Fusis fugatisque hostibus, magnaue ex parte captis, Brixiam obsedit, quam ad se tradendam suadendo potius, quam viribus allicere conabatur. Varie tum Venetorum, tum Mediolanensium animosea victoria versabat. Veneti, ne capta Brixia, quam amisso exercitu defensare difficile videbatur, & reliquarum insuper urbium ad defectionem spectantium discrimen subirent, addubitabant; & Mediolanensibus suspicio injecta erat, ne Francisci validiores opes in suam perniciem verterentur. Quo timore ab eis secreto cohortatos Brixienfes fama est, ne se Francisco dederent. Exorta inter eos similtate, Venetis occasio data est de pace (u) cum eo agendi, quam sibi necessariam, iniqua etiam conditione ducebant. Itaque foedere inito, Lauda (x) oppido concesso, & simul tribus equitum milibus, & certa pecunia (y), si in Mediolanenses arma verteret, ad triennium promissis, ad eam expeditionem hominem cohortati sunt, ut a se omnia belli pericula avertent, Franciscum novo, & minime facili implicarent bello. Quibus pollicitationibus confusus, bello Mediolanensibus indicto, auxilio Venetorum Papia, pluribusque praeterea oppidis receptis, ipsam urbem (z) fame compulsam quam primum se recepturum sperabat. At Veneti timentes, ne si tantæ urbis, talisque regionis imperio potitus, non eum quem cupiebant, modum statueret cupiditati: mutato consilio, copiisque suis revocatis, de-

nega-

N O T Æ.

- (r) *Prostravit*. Navalem classẽ, cui Andreas Quirinus præerat, apud Casale subactam igne absumpsit, deinde Micheletum apud Caravagium superavit, captis Guidone Rangono, Jacobo Catelano, Matthæo Capuato. *Corius ibid.*
- (u) *De pace cum eo agendi*. Angelo Simonetto pro Sfortia, & Jacobo Antonio Marcello una cum Paschali Maripetro pro Venetis eam agitantibus. *Petr. Justin. lib. 8.*
- (x) *Lauda &c.* Dummodo ille castella, & captivos restitueret. *Corius p. V.*
- (y) *Pecunia*. tredecim aureorum millia in singulos menses promissa. *Ibid.*
- (z) *Urbem fame compulsam*. Castris enim in suburbio positis, undique urbem circumdantibus, nihil importari poterat.

negata pecunia, societatem cum populo (a) Mediolanensi 1448
 adversus Franciscum coierunt. Existimabant enim eum
 nequaquam suis opibus id bellum gesturum diutius, &
 simul sibi persuaserant Mediolanenses longo perfractos bel-
 lo, Venetorum potius, qui amici, sociique essent, quam
 Francisci & hostis, & irati imperio se, suaque permisu-
 ros. Hac defectione perturbatum Franciscum, suasque
 pensitantem vires, multaque animo rerum pericula ver-
 santem, Cosmus Medices, vir præstantissimus, maximis
 in Reipublicæ pace, ac bello gerendis rebus versatus con-
 firmavit, cujus pecunia (b), opibus, consilio innixus in
 oppugnanda urbe perseveravit; majorique animo bellum
 gerens, eam multis tandem fessam calamitatibus, quam-
 vis renitentibus Venetis, populi excitato (c) tumultu, in
 quo & ipse legatus (d) Venetus, ut non sani consilii
 auctor, occiditur, se dedentem (e) capit, anno nono & 1449
 quadragesimo post mille quadringentos; e vestigioque re-
 liquis locis, quæ ad Philippi regnum spectarent, in dedi-
 tionem receptis, Ducis nomen (f) assumpsit. Conturbati
 ea victoria Veneti, arbitratique Ducem ab adolescentia
 bella ex bellis ferendo rei militaris scientia clarum, armis
 ad eam diem, exercitibusque succintum, laudis, & glo-
 riæ cupidum sibi propinquum haud satis tutum rebus suis
 fore: quo ille modo aut e statu ejiceretur, aut reddere-

A a a tur

N O T Æ.

(a) *Cum populo Mediolanensi*. Henricum Panigarolam Venetias miserant Mediolanenses, qui ante Ducis pedes provolutus, ne se civesque suos Sfortiæ potestati permitteret, precatus est. *Corius p.V.*

(b) *Cujus pecunia*. Florentina Respublica 25. aureorum millibus Sfortiam prius juverat, dein Cosmus Medices majore auri pondere eum sublevavit. *Ammiratus p. II. lib.2.*

(c) *Excitato tumultu*. ob frumenti inopiam.

(d) *Legatus Venetus*. Leonardus Venetius Marci filius, qui Mediolanenses in Sfortiam confirmaverat, occisus est a Gua- spare, vel Joanne Stampa civibus Mediolanensibus. *Comment. Pii II. lib.3. Corius p.V.*

(e) *Se dedentem capit*. Ducalibus insignibus ei ultro a populo oblatis. *Comment. Pii II. lib.1.*

(f) *Ducis nomen assumpsit*. die XXV. Martii ann. MCDL. *Camp. Hist. Cremon. lib.3. Cor. ibid.*

1450 tur infirmior, consultabant. Igitur cum Alphonso inita
 (g) societate, facultatem Florentinis, reliquisque, qui so-
 cii in ea ascribi vellent, reliquerunt. Per oratores (h) quo-
 que eos, ut secum sentiant, hortantur. Omnis ea machi-
 natio eo pertinebat, ut novus Dux, nondum firmato im-
 perio, externa ope destitutus, armis parto imperio pelle-
 retur, ipsique Gallia soli Principatum tenerent. Animad-
 versa a prudentioribus, & his paucis civibus Venetorum
 mente in Senatu, obtinuerunt, ut oratoribus responderetur
 (i), cum pax ubique foret, nullo novo foedere opus
 1451 esse. Quo responso conturbati Veneti cum ægre ferrent
 veluti (l) certam prædam e manibus ereptam, conversi
 ad belli curam, publico edicto statuerunt, ut qui in sua
 urbe, suisque finibus negotiarentur, Florentini omnes
 pellerentur (m), quos secutus Alphonfus, sui regni
 usum & iis interdixit: quæ decreta inhumanissima (n)
 visa sunt, & longe priori amicitia, foederique contraria;
 qua re admiratus est admodum Florentinus omnis popu-
 lus, a Venetis, quibuscum pace juncti essent, & ad quo-
 rum ampliandum imperium nec laboribus, nec sumpti-
 bus summa cura adhibita pepercissent, iniquissimam le-
 gem promulgatam, cum satis nossent illorum opibus,
 auxilioque Brixia se, ac Bergamo, maximaque præter-
 ea

N O T Æ.

(g) *Inita societate*. Licet antea mari con-
 gressi fuissent, attamen per Victorem Ma-
 ripetrum foedus inierunt, ad quod confir-
 mandum ab Alphonso Venetias missi Lu-
 dovicus Todius, & Antonius Panormita.
Barth. Facius de Gest. &c. lib. 9.

(h) *Per oratores*. unum tantum orato-
 rem, nempe Matthæum Victurium Floren-
 tiam miserunt Veneti, a Florentinis vero
 duo Venetias missi, Jannotius Pittus, &
 Lucas Albitius. *Ammirat. lib. 21.*

(i) *Responderetur*. a Cosmo Mediceo ci-
 ve suæ Reip. principe.

(l) *Veluti certam prædam*. Venetis Me-

diolanense imperium e manibus ereptum,
 ob auxilium a Florentinis Sfortia præsti-
 tum.

(m) *Pellerentur*. diebus 20. ad discessum
 constitutis.

(n) *Inhumanissima visa sunt*. Quin im-
 mo optimo jure facta, cum vigente pace,
 Florentini Sfortia Venetorum hosti pecu-
 niam publice dari decrevissent. Quid ergo,
 si in foedifragos animadversum fuit? Adde a
 Florentinis legatos gratulatum Sfortia de
 adepto imperio missos. *Ammirat. lib. 22.*
Corius p. V. ne Venetis utar Scriptoris.

ea Galliæ parte potitos . Igitur Legati ad Venetos decre- 1452
 ti sunt percontatum tam insolitæ , tam iniquæ rei cau-
 sam , & simul expostulata decreti immanitate , ut hor-
 tarentur ad pacem , & priorem amicitiam conservandam .
 At ii , qui jam spe sibi victoriam despondissent , adi-
 tum (o) ad se oratoribus , negata fide publica , ne quid
 de communi quiete agi posset , prohibuerunt ; quod etiam
 apud barbaros culpandum videretur . Quibus rebus Flo-
 rentiam renuntiatis , desperata Venetorum concordia , va-
 riisque contumeliis laceffiti , extemplo omni aliarum
 rerum cura posthabita , ut aliorum invidiæ , & ambitio-
 ni obviam iretur , simulque re ipsa demonstrarent , pa-
 cem bello redimendam esse , viresque consilio non deef-
 se , fœdus cum Francisco , auctore & suafore Cosmo , li-
 cet multis adversantibus , renovant (p) ; quo haud dubie
 Florentinæ Reipublicæ salus stetit . Nam si Venetis hæsis-
 sent , Dux procul dubio in novo imperio , & viribus ex-
 hausto succubuisset , ex quo & nobis postmodum illo-
 rum arbitrio parendum erat . Venerant interim in Vene-
 torum , Alphonique societatem Sabaudia , Monferrati ,
 Carpique (quorum oppida Parmam cingunt) Principes ,
 conveneratque inter eos , ut Florentinos longe inferiores
 bello Rex , ipsi Ducem , tanquam eorum viribus im-
 parem , adorirentur , ea spe ut tot finitimis hostibus cir-
 cumventum facile debellarent . Quapropter copiis in u-
 num (q) contractis , rebusque omnibus ad bellum neces-
 sariis comparatis , flavescentibus frugibus agrum Cremon-
 nensem populantur . In hos Franciscus , Ludovico Gonza-

A a a z ga

N O T Æ.

(o) *Aditum ad se oratoribus, &c. prohibue-
 runt.* non enim inscio Alphonso Rege fœ-
 derato cum Florentinis communicare lice-
 bat. *Ammirat. lib. 22.*

munii defensione. *Amm. ibid.*

(q) *Copiis in unum contractis.* quindecim equitum, & sex peditum millibus. *Petr. Justin. Hist. Ven. lib. 3.*

(p) *Renovant.* ad annos decem pro com-

1452 ga Mantuæ Regulo in amicitiam recepto, delatus, exercituque in hostium fines traducto, primo impetu Bimam castellum, quod flumen Ollium ponte jungit, ut transitus fluvii ad hostem pateret, de Venetis capit, pluraque (r) deinceps castella expugnata occupat: inde structa acie fortunam belli tentaturus ad hostes pergit, ea spe, ut victoriam parva ingenti præda consequatur, cum apud illos nullus esset certus (s) exercitus dux: sed vicissim plurimi imperarent. At illi prælium detrectando, bellumque trahendo, ac cunctando suas res firmiores fore arbitrantur, omne certamen consulto evitabant: utque præliandi spem præciderent, paludes, quæ Brixiam, Bergomumque interjacent, petunt, eo animo, ut nulla rerum conditione discrimen fortunæ committant. Franciscus pluribus de Brixiensibus castellis captis, castrisque (t) in conspectu hostium positis, observaturus si qua pugnandi occasio forte offerretur, aggredi nullo modo illos poterat, cum & copiæ suæ iis oppositæ, qui cum Venetis sentiebant, plures in partes distractæ, & hostium castra vallo, ac fossa egregie munita, & saltus occupati essent. Haud parva tamen ea æstate jactura ab Alexandro Ducis fratre accepta est, qui cum mille equitibus Laudam urbem profectus, ut eam omnem oram tutam ab hostium incurfione redderet, provideretque, ne quid detrimenti caperent, magnam equitum partem incuria amisit. Nam confecto ferme itinere, cum prope pontem Cerreti confidisset, nullisque firmatis stationibus, nulla insidiarum habita cura, vagi, dispersique equites quietem in otium

reso-

N O T Æ.

(r) Pluraque deinceps castella. Plat. lib. 6. | lem Leoneffium, & quidem celeberrimum, inum, Manerbium, Quintianum &c. | constat ex Petro Just. lib. 8. & Pigra lib. 7. Plat. Hist. Mant. lib. 6. | Plat. Hist. Mant. lib. 6.

(s) Nullus esset certus exercitus dux. Cer- | (t) Castrisque in conspectu, &c. ad Quintum Venetorum ducem tunc fuisse Genti- | tianum. Plat. ibid.

resoluti sumerent , eos aggressi de improvise hostes 1452
 (u) nullo certamine superant . Alexander facto suorum
 globo , viaque ferro patefacta , manus hostium effugit : hi
 quoque , qui pabulandi causa procul profecti erant , co-
 gnita suorum strage , evasere , reliqui omnes capti . Ea vi-
 ctoria admodum lætos hostes , ac præ gaudio lascivientes
 fortuna haud multo post mentem mutare coegit . Alexan-
 der enim cupidus præterita damna resarcire , ac acceptam
 ulcisci injuriam , cum eosmet a quibus detrimentum ac-
 ceperat ad loca palustribus aquis tuta divertisse comper-
 tum haberet , copiis de integro , quas pro tempore po-
 tuit , paratis , plures sarmentorum , atque arbuistorum fa-
 sces secum deferre peditem jubet , quibus in aquam con-
 jectis locum pervium pediti facit : equites aquas superant .
 Cum hostes dormientes comperissent , ignis tormentorum ,
 pulvere adhibito , in tentoria passim jactus , subita flamma ta-
 bernacula corripit : equi , impedimenta que singula , mi-
 lites quoque permulti miserabiliter igni pereunt , plures
 seminudi , inermesque per devia , & nox erat intempe-
 sta , evadunt . Alexander maximo Venetorum damno
 jacturam ultus , qua venerat rediens ad fratrem (x) rever-
 titur . At in Etruria Ferdinandus Alphonsi Regis filius ex
 forma foederis cum decem millibus (y) equitum , quatuor
 peditem Federico (z) Urbini Comite exercitus duce in
 agrum Cortonensem descendit . Erat enim id temporis
 Ferdinandus adolescens , & illius consilio regebatur . Nam
 præter eloquentiam summam , ac humanitatem , pluri-
 mas ;

N O T Æ.

- | | |
|---|---|
| <p>(u) <i>Hostes</i> . Carolus Montonius Brac-
 chii filius Venetorum præfectus Alexan-
 drum Sfortiam superat . <i>Sabell. Dec. 3. lib. 5.</i></p> | <p>equitum refert <i>Barthol. Facius de Gestis Al-
 ph. lib. 9.</i> Octo equitum , & quatuor pedi-
 tum millia <i>Platina Hist. Mant. lib. 6.</i> Viginti
 peditem , & sex equitum millia <i>Collenutius
 a Cesfo merito objurgatus .</i></p> |
| <p>(x) <i>Ad fratrem</i> . Franciscum Mediola-
 ni Ducem .</p> | <p>(z) <i>Federico Urbini Comite</i> . Huic Bapti-
 sta Poggius patris Historiam dicavit .</p> |
| <p>(y) <i>Decem millibus equitum , quatuor pedi-
 tum</i> . Duo tantum peditem , & sex millia</p> | |

1452 mas corporis, animique dotes egregias a natura tributas, rei militaris scientia in illo homine principatum obtinebat, adeo ut omnibus ætatis suæ Ducibus par haberetur. Nam consilium in agendo, celeritatem in conficiendo, prudentiam in judicando quis ignorat? quæ omnia tanta in eo erant, ut aliquem ex priscis illis summis viris cunctis imperatoriis artibus instructum ea tempestate repræsentare videretur. Sub hoc duce Ferdinandus in militiam profectus late ea regione populata, Arctium versus iter ingressus ad sinistram flectens, Fojanum Aretini agri oppidum, quo sibi veluti sedem gerendi eligeret belli, obsidet: oppidani (a) cum constanti se defenderent animo, mulierum quoque mira esset virtus, virisque haud inferiores fortitudine se præberent, tandem post quadragesimum obsidionis diem magna ex parte contractis muris, Viris, ac fœminis lassitudine, ac vulneribus confectis, desperato (b) subsidio se ei dedidere. A Florentinis interea creatis (c) Decemviris, equites, ac pedites ad sex millia scribuntur, in quibus Astorgius Manfredus, Sigismundus Malatesta (d), variique insuper equitum nobiles ductores accepto stipendio auxilio venire. Ferdinandus relicto Foiano, impositoque (e) præsidio, per agrum Senensem a quibus ob Florentinorum odium fovebatur, populata omni qua transibat ora finitima, in agri Florentini finibus ad arcem, quam Rencinam vocant, pervenit, qua septimo.

N O T Æ.

(a) *Oppidani*. Petrus Somma cum CC. militibus oppidum tuebatur.

(b) *Desperato subsidio*. Pactus enim fuerat Petrus Somma, se Ferdinando oppidum dediturum, ni intra octo dies auxilium superveniret. *Ammirat. lib. 22.*

(c) *Creatis Decemviris*. non hoc anno, sed superiori. Hi fuere Cosmus Medicus, Nerius Capponus, Angelus Acciajulus, Lucas Albitius, Otho Nicolinus, Castellus Quaratesius, Dominicus Boninsegnius,

Franciscus Orlandus, Julianus Particini, & Bartholomæus Francisci. *Ammirat. lib. 22. p. 68.*

(d) *Malatesta*. nec non ejus frater Dominicus Cesenæ dominus, Angelus Simonetta, Michael Cutiniola, Thaddæus Manfredus, Carolus de Oddis. *Clementinus p. II. lib. 9.*

(e) *Impositoque præsidio*. Quadringentorum equitum.

ptimo die præfecti deditone capta, ad Castellinam qua-¹⁴⁵² tuor millibus passuum arci propinquam castra posuit: nulloque intermisso tempore variis tormentis oppidum oppugnat. Sigismundus exercitus dux cum omnibus (f) copiis ad montem, quem Imperialem vocant, Bonitio (g) imminentem, castris positus, eum præcipue locum sibi delegerat, tum ne caperetur ab hoste (nam facile communiri poterat in totius oræ illius pernitiem) tum ut præsto posset, sive Pistorium, sive quam aliam partem peteret hostis, obviam prodire, obstareque, ac extrema vestigia carpere, ne longius vagarentur. Oppidum interim non satis valido præsidio firmatum cum nullo respiramento ad quietem dato variis operibus, atque machinis oppugnaretur, timerent vero plurimi, ne diutina obsidione, ac lassitudine confecti oppidani deficerent, Aquilanus quidam vir magni animi, cognomento Travaglinus, pedibus stipendia faciens, multis oneratus promissis, turma peditum ex omni numero selecta, simulata ab hostes fuga, non multos post dies observato tempore in oppidum improvise confugiens & obsessorum confirmavit animos, & adversariorum debilitavit. Itaque amplius mensem omnibus frustra tentatis, hyemis intemperie fatigati, illius potiundi spe abjecta retrocessere; solutaque obsidione, ac motis inde castris, qua proficiscebantur regionibus late vastatis, in Senensium loca mari propinqua, ubi commeatus, & pabuli copia abunde erat, in hiberna concessere; quibus ex locis crebræ in Florentinorum agros a Ferdinandi exercitu, quibus sola præda pro stipendio erat, incursiones per hyemem factæ. Ab Alphonsi quoque classe agri Volaterrani arx munitissima

Vada

N O T Æ.

(f) Cum omnibus copiis. Ad sex hominum millia. *Platin. Hist. Mant. lib. 6.*

(g) Bonitio. seu Poggio Bonitio. *Briet. Parall. Geog. ubi de Etruria.*

1452 Vada nomine, præfecti (*h*) prodicione capta, qui pecunia accepta, hostes, ut primum in conspectum venerunt, admisit. Dum hæc aguntur, Florentini cum grave ducerent solos se cum Mediolani Duce tantam rerum molem ferre (nam contra Alphonsi, Venetorumque opes terra marique pollentium pugnandum erat) in ulteriorem Galliam ad Regem (*i*), cujus majores plurima in eorum Rempublicam beneficia contulerant, summaque illis amicitia affecti fuerant, legatum Angelum Acciajolum (*l*) equestris ordinis civem amplissimum, & ad omnes tum pacis, tum belli artes prudentissimum, Regique admodum notum mittunt: cujus (*m*) oratione Rex motus cum Florentinis, & Francisco fœdere icto, cum audisset Sabaudix Regulum conjunctis Allobrogibus summa cura cuncta parare, ut Mediolanensi bellum inferant, cum duodecim equitum millibus magnis itineribus, quo illorum motus compesceret, ad Rodanum pervenit, quo ex loco extemplo certis nuntiis negotio dato, litteris bellum iis indicit, ni arma deponant, & ab injuriis desistant. Mirari se summopere aciem eos adversus illum struere, qui secum fœdere junctus esset. At illi inscios se

1453 ejus fœderis testati, mature imperio paruerunt. Tanti Regis profectio tum ad salutem, tum ad belli famam, quæ plurimum ad victoriam valet, multum Duci contulit. Sequens annus, & rebus gestis & pace, quæ bellum secuta est, insignior fuit, Angelique (*n*) opera, qui orator in Galliam accesserat, Renati Regis ad Italiam adventus

N O T Æ.

(*h*) *Præfecti*. Rubei Attavanti Florentini civis, qui Olcinæ classis imperatori cum octingentis militibus arcem obsidere fingenti ultro se dedit. *Ammirat. lib. 22. p. 74.*

(*i*) *Ad Regem*. Carolum VII.

(*l*) *Acciajolum*. una cum Francisco Venturio. *Ammir. ibid.*

(*m*) *Cujus oratione Rex motus*. Spopon-

derant enim Florentini, si Renatum Andegavensem Ducem, & jam Neapolitanum Regem, sibi auxilio misisset, se suam operam ad regnum recuperandum illi præstituros. *Ammirat. ibid.*

(*n*) *Angelique opera*. Acciajoli, qui rursus in Galliam una cum Mediolanensi legato missus fuerat.

tus secutus est . Qua ex re secundiores res Ducis factæ , 1453
 ad quærendam æquis conditionibus pacem proclives Venetos reddidere . Interea cum hiberno rigore terra late nivibus operta , Dux exercitum in loca quæ de Venetis cepisset , in hiberna distribuisset , ac Mediolanum petiisset , vere appropinquante a Decemviris major , quam antea , fit belli apparatus , Alexandrumque Sfortiam data pecunia cum mille quingentis equitibus in Tusciam accersitum copiis suis jungunt . At Renatus , cui persuasum ab Angelo erat , auxilia sua , auctoritatemque maxime ad victoriam conferre , in qua & sua quoque res versaretur , cum debellatis Venetis facile Florentinorum , & Francisci opibus in Neapolitano regno omnia perturbari possent , ac recuperari , quod non multo (o) ante tempore ab Alphonso ablatum fuerat ; duobus electorum equitum milibus comparatis , ac egregie omnibus rebus bello necessariis instructis (cum quæ offerebantur , vero similia viderentur) æstatis initio Alpes superasset , si per (p) Sabaudia Ducem , qui auro a Venetis corruptus , saltus omnes per quos transeundum erat , occuparat , licuisset . Qui cum diutius a Renato nullis precibus flecti posset , frustra litteris , & oratoribus tempus terere appareret , necessitate urgente , diverso itinere profectus , æstatis in fine Saonam , inde Genuam mari cum paucis , atque ad Franciscum venit . Equites postmodum Ludovici , Caroli Septimi Gallia Regis filii opera , qui se ducem illis advenientibus præbuit , in Italiam descendentes , se se Renato junxere ; qui copiis cum Francisco junctis , in Brixienti agro ,

Bbb

eodem

NOTÆ:

(o) Non multo ante tempore . anno Neap. lib. 6.
 MCDXLII. Junio mense , Neapoli positus est Alphonsus , per aquæductum militibus urbem ingressis . Collenutius Hist. Hist.
 (p) Per Sabaudia Ducem , Ludovicum , Amedei filium . Pignonius August. Taurin.

1453 eodem in loco, quo priori anno castra (q) posuerunt : Veneti vero dedita opera omne certandi discrimen evitantes, & ipsi quibus (r) antea paludibus, firmarunt castra, eo consilio, ut diuturnitate belli pecuniis exinanitum, & lassitudine affectum Franciscum deficientibus viribus debellant, & quod proximo anno sperarant, præsentī præficerent. Diutius itaque cum Jacobus (s) Piccininus, Nicolai filius, paterni nominis gloria, & rebus gestis clarus, florente ætate juvenis, consilio vero, & animi indole egregius Veneti exercitus dux, & Franciscus Sfortia suspensis animis starent ex alterius factis consilia sumpturi, Florentini valido confecto exercitu (t), in quo ad sex equitum, totidem peditum millia censebantur, omni studio intenti, ut quæ amiserant recuperarent, quamprimum per anni tempus facultas data est, eductis in campum copiis primi Rencinam profecti, obsessam parvo post tempore recipiunt. Inde copiis omnibus Fojanum ductis, prope oppidum castris positis, illud firmis præfidiis obsident. Sexcenti (u) regii equites, peditesque mœnia summa vi defensabant. Post paucos tamen dies variis oppugnationibus, sed maxime lapidibus, quæ a tormentis conjiciebantur, effracta porta, disjectaque murorum parte, titubantibus regiis, defensionemque desperantibus, impressione facta, oppidum est una cum præsidio captum. Direptis bonis, præda victoribus concessa, castellum libidine, atque avaritia militari incensum est, hostes ad unum capti. Spoliato incensoque

N O T Æ.

(q) *Castraposuerunt.* apud Manerbium, per caduceatorem bello indicto. *Petr. Just. Hist. Ven. lib. 8.*

(r) *Quibus antea paludibus.* quæ Braxiam, Bergomumque interjacent.

(s) *Jacobus Piccininus.* qui in defuncti Gentilis Leonessii locum a Senatu suffectus

fuerat. *Justin. ibid.*

(t) *Exercitu.* Emanuele Appianum, Plumbini Regulum cum 1500. equitibus nuper conduxerant. *Ammirat. lib. 22.*

(u) *Sexcenti.* Quadringenti tantum, ut supra adnotavi.

que oppido , cum equitum præfecti (neque enim dux 1453
unus erat certus) singulis ferme parere alteri , aut subesse
renuentibus , parum in bello administrando concordēs ,
malle trahi rem , quam pro victoria decertare viderentur ,
instantibus Florentinis legatis , quos varios etiam superiori
anno Decemviri destinarant , ut eorum consilio gereretur
bellum , tandem in æstatis fine ad Vadam recuperandam
abeunt . Obsidione posita , cum hostibus neque animus ,
neque vires ad defendendam sua ope arcem diutius sup-
peterent , post mensem desperatis auxiliis suam , rerum-
que suarum salutem pacti eam tradidere , quæ diruta est ,
nequando in posterum hostis receptaculum esset . Hoc ap-
paratu , atque his viribus per Ferdinandum , ac Federi-
cum capta , in potestatem redacta sunt . In Gallia vero
Franciscus , cum in hostium agro diutius fuisset , ac non-
nulla de Venetis oppida sub suo redegisset imperio , in eo
solum versabatur , ut castra castris conferret , ac signis
collatis pugnaret . At Veneti in castris otiosi sedentes ,
bellum detrectando , trahendoque Ducem inopia confe-
ctum diutino bello facile vinci posse arbitrati , in aciem
copias educere , ac fortunæ summam rerum committere
non ausi , exercitum intra munimenta continebant . Ve-
rum autumno appropinquante cum duobus maximis exer-
citibus castra in conspectu fere habentibus æstatem omnem
transegissent , Renatusque auxilio venisset , necessitate acti
tabernaculis correptis , ac in quo diutius steterant , loco
derelicto , commeatus gratia Veronam versus juxta Bena-
cum concessere : qua ex re Francisco facultas data est , ut
omissa omni decertandi cura , ad Brixiam occupandam
mentem converteret : quod fieri posse tantis viribus con-
junctis non magno labore existimabat . Itaque castris cum
Renato motis , Urceos oppidum nobile obsessum , sum-
mis expugnatum viribus ad deditorem compulit : Pon-

1453 tem Vicum, qui ab eo defecerat, vi captum præda militi concessa diruit, brevi que omnem Bergomensem, ac Brixiensem agrum tanto terrore, ac tumultu involvit, ut partim metu, partim Venetorum odio castella ad quadraginta occupavit, ac in fidem suscepit. Jamque summa hyems aderat, & Rex ob aeris intemperiem Mediolanum concesserat: Francisci tamen animus victoriæ cupidus, Asulam oppidum opulentum obsidere, atque expugnare statuerat. Bis cum exercitu eo proficiscentem tanta nivium, ventorumque, atque imbrium vis ingruens militum oculos, ora que verberantium suborta est, ut præ frigore, ac tempestate retrocedere, & sententiam mutare cogeretur. Itaque copiis ad castella de hoste capta in hiberna deductis, Renatus cum suis in Galliam relicto Johanne filio rediit. Constans inter omnes fama est, si Renato (x) liber ad Italiam patuisset aditus, adversam ejus belli sortem Venetis subeundam. Nulli enim dubium videbatur, quin, si vere novo Renati copias Franciscus secum educere potuisset, loco in quo se tamdiu Veneti continuerant, ut postea contigit, pellere eos, & longius progredi compulisset: quo pacto Bergomum, & Brixiam cogente fame, auxilioque destitutas facile expugnasset. Illud quoque nequaquam ambigitur, suis tantum viribus Franciscum Venetis imparem, haud longiori tempore tantam vim belli potuisse ferre: præsertim Florentinis tam graves in milites sumptus jam aperte detrectantibus: frequens præterea erat opinio, qui primi hibernatum isent, veluti suis diffidentes rebus pro victis habitum iri. Utrinque tum ad præsidia adversus hostes, tum ad hibernandum traducto exercitu, raræ per anni tempus excursiones in a-

gros

N O T Æ.

(x) Si Renato liber &c. a Ludovico Taurinorum Duce, ne in Italiam Renatus descenderet, aditu prohibitus est.

gros hostiles factæ. Sopierat frigus omnium fere mentes, 1454
 & quasi laborum pertæsi pacem plures appetebant: cum
 Nicolaus Pontifex maximus insita otii, & quietis (y) cu-
 pidine, ut tandem si posset Italiam pacatam redderet, ac
 bellis finem imponeret, cunctarum partium oratores ad se
 vocat. Ad quem a Florentinis Johannotius Pittus, & Ber-
 nardus Junius equestris ordinis viri mittuntur. Sed adeo
 adversa invicem petita sunt, ut diu frustra quæsitæ sit,
 neque spes facta, pacem repugnantibus iis, quibus odio
 erat, componi posse, Rege bellum protrahi exoptante,
 novasque adjiciente in diem leges, ac multa ad bellum
 pollicente, quibus Venetos ab ea cogitatione averteret.
 At illi Regis calliditate perspecta, arbitrantis aliorum
 dissensiones & calamitatem, auctoritatem viresque si-
 bi adjecturas, diversis rationibus eam quæsiere. Et sum-
 ptus enim belli, & licentiam exosis militarem, cum victo-
 riam desperassent, pacis incesserat cupido: iisdem difficulta-
 tibus & Ducem, & Florentinos implicari, distinerique
 censebant. Non enim jam occulte, sed palam Florentiæ
 audiebantur voces bellorum impensam execrantium, eos-
 que detestantium, qui belli quam pacis dicerentur cupi-
 diores. Pacem igitur omnibus exoptantibus, temporum
 insuper, in quibus res omnis consistit, opportunitate confisi
 Veneti, Religiosum (z) quendam probum (ut duce-
 bant virum) regio oratore (a), qui tum Venetiis bel-
 li, quam pacis cupidior degebat, inscio, ad Franciscum
 mittunt, qui animum ejus pertentaret: quem cum quie-
 tem haud horrentem retulisset, in eademque sententia Flo-
 ren-

N O T Æ.

(y) *Et quietis cupidine*. ut pace inter
 Christianos Principes firmata, eos in Ma-
 hometem, qui nuper Byzantio potitus fue-
 rat, excitaret.

(z) *Religiosum quendam*. Fratrem Leo-
 nem Camertem. ut *Corius p.V.*

(a) *Regio oratore*. Ludovico Podio.

1454 rentinos esse pro certo haberent, per eundem de conditionibus agitant, ac demum secreto fœdere, cum varia omni ex parte postulata essent, conveniunt; missoque ad Franciscum oratore, doctrina, & probitate claro, Paulo (b) Barbo Pontificis Eugenii Nepote, pacem, in qua & Florentini per (c) oratorem, qui apud Ducem erat, accessere, firmant mense Aprili, anno quarto & quinquagesimo supra mille quadringentos, ea præcipue lege, ut Brixiensis, Bergomensisque agri per Franciscum capta, Cremonensis vero a Venetis occupata illius imperio parerent, cui ante bellum serviverant: utque exules captivique factionum, ac civilium seditionum causa facti liberarentur, bonaque (d) sua recuperarent, ac frui illis libere possent, sociique, ac fœderati utrinque dicti eodem jure, quo ceteri tenerentur. Multa (e) præterea, ut omnium bellorum semina, & injuriarum causas tollerent; quæ ut minime necessaria omittenda viderentur, ascripta. Paci vero ut auctoritas, dignitasque adderetur, oratores ad Venetos decreti sunt, Johannotius Pandulfinus equestris ordinis, & Petrus Cosmi filius, viri primarii civitatis, qui exponerent: *Non videri satis ad communem quietem pacem esse constitutam, sed societatem insuper, & pristinam amicitiam culpa temporum intermissam communis utilitatis causa renovato fœdere stabiliendam esse. Nam duabus Rebus publicis idem sentientibus neminem in Italia formidandum, aut existimandum quempiam in futurum novas res moliturum. Ita pace diutissima frui utrisque civibus licere.* His dictis, cum quæ
affer-

N O T Æ.

- | | |
|--|---|
| <p>(b) Paulo Barbo. Petri Barbi fratre, qui deinde Pontifex electus fuit, Paulus II. vocatus, anno MCDLXIV.</p> <p>(c) Per oratorem. Dietisalviũ Neronem.</p> <p>(d) Bonaque sua recuperarent. Florentini Castilionem Piscariæ, & Gavorranum</p> | <p>ab Alphonso non recuperarunt, ut <i>Ammiratus</i> in fine lib. 21. p. 78.</p> <p>(e) Multa præterea. inter quæ, ut Carolus Gonzaga in pristinum dignitatis ac benevolentia statum a Ludovico restitueretur. <i>Platina Hist. Mant. lib. 6.</i></p> |
|--|---|

afferrentur, vera apparerent, novum fœdus, societatemque 1454
 cum eis, ac Mediolanensi (f) coierunt, quibus compro-
 bandis locus Regi (g) est servatus. His peractis, visum
 est æquum esse ad Alphonsum honoris gratia legatos a
 singulis decerni, qui hanc communem Italiæ pacem in-
 eundam cum ceteris suaderent, ne, nulla de majestate sua
 mentione facta, se spretum queri posset, neve cui dare-
 tur occasio turbandi ocii, aut de novo bello cogitandi.
 Itaque a Venetis (h), & Francisco (i) oratores, a Flo-
 rentinis vero Bernardus Medices, & Dietisalvius Nero
 missi. Pontificis quoque nomine Dominicus (l) Sanctæ
 Crucis Cardinalis Firmanus, vir summæ prudentiæ, at-
 que auctoritatis, ut cohortando, monendoque apud Re-
 gem pacis, & concordiæ arbiter esset, Legatus eo profi-
 ciscitur. Cum omnes Neapoli convenissent, diutius re agi-
 tata, cum multæ injectæ dissensiones legatorum sapientia
 sublatae essent, pax tandem, cui & Pontifex (m) ascribi
 voluit, eademque fœderis lege teneri, constituitur, non-
 nullis (n), quæ ad Regem pertinerent, conditionibus addi-
 tis. Id inter cetera decretum, ut siqua impofterum discor-
 dia inter eos quocumque modo excitaretur, Pontifex ejus
 judicandæ jus, potestatemque haberet; neque cuiquam
 arma adversus alium sumere jus esset, nisi postulato
 prius,

N O T Æ.

(f) *Mediolanensi*. qui hac de caussa
 Guernerum Castilionensem, & Nicolaum
 Arciboldum legatos miserat. *Ammirat.*
Hist. Flor. lib. 23.

(g) *Regi*. Alphonso.

(h) *A Venetis*. Hieronymus Barbadicus,
 & Zacharias Trivisanus.

(i) *A Francisco*. Bartholomæus Vicecom-
 mes Novariensis Episcopus, & Albericus
 Mallectus.

(l) *Dominicus*. Capranica, vir sanctitate
 clarus, cujus vitam pereleganter scripsit
 Baptista Poggius, quæ habetur in *Miscell.*
Steph. Baluzii To. 3.

(m) *Pontifex ascribi voluit*. ut socius, &
 ut lequester.

(n) *Nonnullis &c.* nempe ut Alphonso
 in Genuenses, ac in Sigismundum Malate-
 stam arma movere liberum integrumque
 esset.

1455 prius, expectatoque Pontificis decreto. Data publica per omnes fide, jurequejurando sancita, pax (o) denuo Neapoli firmatur, anno ferme post superiorem pacem.

I N-

N O T Æ.

(o) Pax denuo Neapoli firmatur. Iisdem conditionibus, quibus a Venetis apud Laudum cum Francisco, ac Florentinis facta fuerat, paucis tantum verbis ad regiam ostentationem mutatis, ut adnotat *Barth. Facius lib. 10. de Gestis Alph. I.*

F I N I S.

I N D E X

N O M I N U M . A C R E R U M

In quo adverte, litteram N. significare *Notas*,
V. vero *Vide*.

A

- Æ**gidius Tusculani Episcopus . 39. n.
Albericus Barbiani Comes . 126. Florentinos invadit . 127. Panzanum capit . ib.
Albericus de Cunneo . 217. & ib. n. vincitur a Micheletto . 284. suspectus est Philippo . 285. & ib. n.
Albertaccius Ricafolanus Florentinorum dux . 16. 17.
Albertorum familia . 122.
Alexander V. Pontifex . 189. & ib. n. Ludovicum Andegaviæ Ducem declarat Apuliæ Regem . 190. moritur . 191. V. notas 190.
Aloysius Aldobrandinus Confalonarius . 48. n.
Alphonfus Neapolis Rex Trojam, aliaque Sfortiæ oppida occupat . 354. Bellum movet Florentinis . 364. Navali prælio Florentinos superat . 364. Pacem cum Florentinis facit . 366.
Alphonfus S. Eustachii Cardinalis Bononiæ Legatus . 204.
Ambianensis Cardinalis . 75. quis fuerit . 75. n.
Amedeus Allobrogum Dux . 239. & ib. n. Mediolanensem agrum depopulatur . 248.
Ammiratus castigatus . 45. n. 150. n.
Andreinus Ubertinus . 136. omni majorum suorum imperio a Florentinis spoliatur . 161.
Angelus Acciajulus . 376.
Angelus Pandulphinus . 191. 225.
Angelus Pergulensis victus, fugatusque a Florentinis . 168. Zagonaram obsidet . 217. Vincit Carolum Malatestam Florentinorum ducem . 218.
Antonius Adornus Genuæ Dux . 114. duas naves mittit contra Florentinos . 117.
Antonius Luscus . 211. & ib. n.
Antonius Petruccius Senensium nomine milites scribit . 268. Guinifium Lucæ tyrannum capit . 273. asperum responsum dat Florentinorum legatis . 279.
Antonius Pontadereus . 272. Vincitur in Etruria a Tolentinate . 294.
Antonius Porrus . 160.
Antonius Scala Veronæ Princeps . 85.
Antonius Vicecomes . 156.
Archiepiscopus Mediolanensis Bononiam emit . 7. Appetit imperium Etruscorum . 7. Post Maffium Mediolanum habet . 8. plures urbes suo adjicit imperio . 8. & 9. Bellum in Florentinos molitur . 9. Pifas legatos mittit . 17. Pacem cum Florentinis sociisque facit . 23. Quibus conditionibus . ib. n. Moritur . 24. Ejus hæredes . 24.
Asculum deficit a Pontifice . 54.
Astorgius Manfredus . 312. Florentino-

I N D E X

- tinorum dux una cum Sigismundo Malatesta. 374.
Aulejus. V. Joannes.
- B** Althassar S. Eustachii Cardinalis. 135. cum Mediolanensi Duce Pontificis nomine foedus init. 157.
Balthassar Ordelaaffius Forumlivii occupat. 53.
Baptifollis arx. 99.
Barbarinum a Mediolanensibus captum. 15.
Bardus Rectafides. 151.
Barnabas Adurnus. 291.
Bartholomæus Ciampolinus. 177.
Bartholomæus Valorius. 180. 209.
Orationem habet ad populum Florentinum. 210.
Benedictus XIII. Antipapa. 125. & ib. n. 179. & ib. n.
Benedictus Mangiadorus. 126.
Benghius Bondelmontes. 29. Britones milites a Pisanis conductos superat. 29.
Berardinus Ubaldinus. 223. Vincitur, & capitur a Guidone Torrello. 224.
Bernabos Vicecomes. 30. Pisanis auxilia mittit. 30. Bellum movet Florentinis, cujus initia, & causæ. 35. 36. 37. ejus in Sacerdotes & Ecclesiam odium. 48. insignis crudelitatis exemplar. 48. n. cum Florentinis foedus init. 52. In carcerem conjicitur, & veneno occiditur a nepote. 84.
Bernardinus a Carda Philippi dux vincitur in Etruria a Tolentinate. 294. quis fuerit. ib. n.
Bernardo Aquitanus Florentinorum dux. 125. Vincitur & capitur a Mediolanensi exercitu. 150.
Bernardus Medices. 383.
- Bertoldus Urfinus Soanæ Comes Florentinorum dux. 165. dimissus. 166. & ib. n.
Bettonium captum & receptum. 23.
Bertus Biffolus. 65.
Biordus Michelottus. 90. & ib. n.
Bituricensis Bononiæ Legatus. 41.
Bernabovis exercitum superat. 41.
Joannis oppidum capit. 41. Petrus dictus. 41. n.
Blondi narratio non probata. 242. n. Blondus rursus castigatus. 248. n. Non satis memor. 328.
Bonifacius Lupus Florentinarum copiarum dux. 26. qua de causa imperio privatus. 26. n.
Bonifacius IX. foedus init cum Florentinis. 154.
Bononienses a Pontificis Legato deficiunt. 55. eorum studium libertatis retinendæ. 66. & 67. Parent Joanni Bentivolio. 138. subjiciuntur Galeatio. 151. Pontificis Legato se dedunt. 158. A Pontifice deficiunt. 303.
Brachius Perusinus. 203.
Brietius castigatus. 190. n.
Britonum crudelitas. 67. & 68.
Brixia occupatur a Pandulfo Malatesta. 160. quomodo. ib. n. Situs ejus describitur. 233. Capitur a Carminiola. 236. Oppugnatur a Piccinino, sed non expugnatur. 321. & seqq.
Brixienfium foeminarum virtus. 322. & 323.
- C
- C**æsar Dictator gestandæ laureæ jus habuit. 297.
Calenzanum oppidum captum a Mediolanensibus. 15.
Capitolium Florentiæ. 3.
Cappacia. 3. n.
Caritas patriæ quanti sit. 140.
- Ca-

NOMINUM, AC RERUM.

Carolus Boemiæ Rex & Romanorum
Imperator in Italiam vocatur. 22.

Per quos oratores. 22. n.

Carolus Magnus a Pontifice Leone
coronatus. 298. & ib. n.

Carolus VII. cum Florentinis, &
Sfortia foedus init. 376.

Carolus Malatesta. 129. socialis exer-
citus dux. 156. V. notas. Floren-
tinorum dux. 213. Forumlivii ob-
fider. 216. vincitur, & capitur.
218. dimittitur a Philippo. ib.

Catharina Bernabovis filia a Duce fi-
lio suo occiditur. 160.

Cecolinus Perusinus. 132.

Censuræ Pontificiæ quomodo feran-
tur. 56.

Certamen singulare inter duos Flo-
rentinos, & Britones duos. 65.

Cesenes arma sumunt, & Pontifi-
cis milites ejiciunt. 67. contra
fidem & jusjurandum immaniter
cæduntur. 68.

Cicero imperator ab exercitu dictus.
298.

Cio Salimbenus. 45.

Clemens VII. Antipapa. 125. &
ib. n.

Coloniensis Archiepiscopus. 142.

Cometa Galeatii mortem portendit.
153. & ib. n.

Concilium Claromontanum quando
celebratum. 4. n.

Coronandi Imperatoris ritus. 297.

Cortona a Ladislao Siciliae Rege oc-
cupatur. 189. Florentinis traditur.
192.

Cortonæ Princeps. 118. & ib. n.

Cosmus Medices ad Venetos legatus.
310. auxiliatur Sfortiæ Mediola-
num obsidenti. 369.

D

DE Turre factionis Guelfæ prin-
cipes. 7. eorum origo. 8. Me-
diolano pulsi. 8. & 8. n.

Dietisalvius Nero. 300. 383.

Dominicus Capranica Sanctæ Crucis
Cardinalis. 383. & ib. n.

Donatus Barbadorus. 57.

Duces varii ejusdem exercitus non
facile conveniunt. 348.

Duellum. V. certamen singulare.

E

Eugenius IV. Pontifex. 280. &
ib. n. clam Roma abit & Flo-
rentiam petit. 303. & ib. n. Ejus

exercitus ad Bononiam vincitur a

Piccinino. 303. foedus cum Vene-
tis & Florentinis contra Philip-

pum init. 340. Foedus init cum

Alphonso Aragoniæ Rege, &
cum Philippo. 360. Bellum mo-

vet Francisco Sfortiæ, eumque Pi-
ceno pellit. 16. Conspirat contra

Florentinos cum Alphonso, &
Philippo. ib. Moritur. ib.

F

Faginus Canis. 160.

Faventia diripitur ab Auguto,
& Nicolao Estensi traditur. 55.

Federicus Feretrans Urbini Comes,
Florentinorum dux designatur

362.

Feltrinus Regii Lepidi tyrannus. 40.

Ferdinandus Alphonfi Regis filius
contra Florentinos proficiscitur.

373. Fojanum capit 374.

Flaconis urbs deficit a Pontifice.
52. & 53.

Florentia a Romanis condita. 2. A
Florino conditam putat Jo. Vil-

Cc 2 lanus.

- lanus . 2. n. A Sylla colonia deducta . 2. Non a Sylla , sed a Triumviris . 2. n. Unde sic dicta . 2. & 2. n. Roma parvula dicta . 3. n. Duos Consules primum habuit . 3. deinde quatuor , demum sex . 4. & 4. n. In quatuor partes divisa . 5. Florentini Pratum occupant . 9.
- Florentini , olim Fluentini . 2. n. quando primum , & quibus paruerint . 4. Addicti Gregorio VII. 4. n. deficiunt ab Henrico IV. 4. externum magistratum appellant . 5. Capitaneum, duodecim Seniores , ac Vexilliferos viginti instituunt . 5. Denique Priores creant . 5. sua sponte libertatem amittunt . 6. Carolum Calabriae Ducem ad urbis Imperium vocant . 6. Pistorium obsident . 10. Legatos ad Aulejum mittunt . 13. Castella in Mugello demoliuntur . 22. Bellum movent Pisanis , sed laceffiti . 26. Eorum superstitione . 26. n. Liburnum incendunt . 31. Pisanos superant . 33. cum iis pacem faciunt . 34. Foedus ineunt contra Bernabovem cum Urbano Pontifice variisque Italiae populis . 37. superantur ab Auguto Bernabovis duce . 38. Bernabovem superant . 40. Pacem cum eo faciunt . 40. oratores ad Legatum Bononiensem mittunt . 46. cum Bernabove foedus faciunt . 52. Pontifici bellum movent . 52. Bononienses ad defectionem sollicitant . 55. Oratores ad Pontificem mittunt . 56. Eorum in Pontifices beneficia 62. n. Illis interdicitur a Pontifice . 63. & 64. Avinione pulsi . 64. Legatos mittunt ad Johannam Reginam, & ad Ludovicum I. Hungariae Regem . 65. & 65. n. Pacem cum Pontifice faciunt , & ab interdicto liberantur . 78. civilibus agitantur discordiis . 78. novum foedus faciunt . 80. a Carolo VI. Galliarum Rege adversus Galeatium & Senenses auxilium petunt . 95. Pacem cum Galeatio firmanant . 120. Dissensionibus agitantur . 122. foedus ineunt cum Carolo VI. Rege Galliae 126. Secundum cum Galeatio bellum suscipiunt . 126. Ochiellum capiunt 128. Foedere cum Venetis junguntur . 134. Pacem cum Galeatio Venetorum opera faciunt . 137. 138. Eorum opes 140. cum Pontifice foedere junguntur . 154. cum Philippo pacem firmanant . 161. Petro Balneorum Comiti bellum indicunt . 161. pacem cum Senensibus faciunt . 161. Pisas emunt . 162. cum Pisanis bellum gerunt . 163. Vicum capiunt . 173. Pisas occupant . 175. cum Ladislao Siciliae Rege bellum gerunt . 188. foedus faciunt cum Ludovico Andegaviae Rege , & alios . 190. cum Ladislao pacem faciunt . 191. cum Philippo Mediolanensi Duce foedus faciunt . 202. Bellum movent Philippo Mediolanensi Duci . 215. vincuntur apud Zagonaram . 217. cum Venetis & aliis foedus faciunt . 231. Pacem faciunt cum Philippo . 239. Pacem cum Philippo faciunt . 253. contra Paulum Guinifium Lucae tyrannum bellum decernunt . 266. Ad Lucam victi . 278. Pacem componunt cum Philippo . 302. Rursus bellum movent . 304. cum Philippo & Lucensibus pacem faciunt . 313. cum Philippo pacem faciunt . 358. Navali praelio superantur . 364. cum Alphonso pacem faciunt . 366. Foedus cum Francisco Sfortia adversus Venetos ineunt . 371. cum

NOMINUM, AC RERUM.

- Carolo VII. & Sfortia fœdus ineunt . 376. Fojanum capiunt & incendunt . 378. Pacem cum Francisco Sfortia firmant . 382. Societatem ineunt cum Venetis & Sfortia 383.
- Florentioli occupata ab Ubaldinis . 12.
- Fœdus inter Florentinos, Senenses, Aretinos, & Perusinos . 21. inter Florentinos, Urbanum Pontificem & alios contra Bernabovem . 37. inter Florentinos, & Bernabovem adversus Pontificem . 52. inter Florentinos, Galeatium, Bononienfes, &c. 80. Senensium cum Jo. Galeatio contra Florentinos . 88. Fœdus ad triennium inter Galeatium, Senenses, Malateſtas, Florentinos, ac Bononienſes . 90. Inter Florentinos, Bononienſes, &c. renovatur . 120. & 121. Inter Florentinos, & Carolum VI. Regem Galliæ . 126. & ib. n. inter Florentinos, & Bonifacium IX. Pontificem . 154. inter Ludovicum Andegaviæ Ducem, Florentinos &c. 190. Inter Philippum Mediolani Ducem & Florentinos . 202. Inter Venetos, Florentinos, & alios . 231. Inter Senenses, Genuenses, & Ludovicum Plumbini Principem . 280. Inter Venetos, Florentinos, Eugenium Pontificem, & Genuenses . 329. Inter Venetos, Florentinos, Ducem Mediolanensem, Neapolitanum Regem, & Pontificem . 383.
- Forumlivii deficit a Pontifice : 53. occupatur a militibus Ducis Mediolanensis . 206.
- Franchinus Castilionensis . 209.
- Franciscus Barbarus 316. & ib. n. 319.
- Franciscus Barbarus . 156.
- Franciscus Bembus . 242.
- Franciscus Carminiola . 227. appetitur veneno . 229. & ib. n. Venetorum dux . 231. Bimam recuperat . 248. Cafale capit . 249. Hostem superat & Carolum ducem capit . 250. In proditionis suspicionem venit . 251. Vincitur, & fugatur ad Suncinum . 282. ejus fides multis de cauffis in dubium vocata . 290. proditionis crimine damnatur, & occiditur . 292. Ejus elogium . ib.
- Franciscus Carrarius Senior Patavii Princeps . 40. 86. V. Patavinus .
- Franciscus Carrarius filius Patavium recuperat . 101. Ejus filii capti ab exercitu Mediolanensi . 150. Brixiam capit præter arcem, sed expellitur . 157. quomodo . ib. n.
- Franciscus Estensis captus . 41.
- Franciscus e Vico Viterbii Præfectus . 52. n.
- Franciscus Foscarus Venetorum Dux . 238.
- Franciscus Princeps Mantuanus 138. n. Venetarum copiarum dux . 301. ad Philippum desciscit . 314. & ib. n.
- Franciscus Pupii Comes, deficit a Florentinis 344. qua de causa 344. n. Casentino imperio a Florentinis spoliatur . 350. Ejus familia ib.
- Franciscus Sfortia 224. Bimam capit, & amittit . 248. Senensium stipendiis conductus . 269. Nicolaum Fortebraccium vincit . 272. cum exercitu contra Piccininum mittitur . 304. Concordiam init cum Philippo . 312. Venetorum dux rursus creatus Veronam recuperat . 336. Piccininum superat . 349. Piscariam capit . 351. Venetorum exercitum profligat 368. & ib. n. cum Venetis bellum init, & Mediolanensibus bellum indicit 368.

Papiam capit . ib. Mediolanum occupat . 369. Bimam aliaque oppida Venetorum capit . 372. & ib. n. Ejus frater Alexander superatur a Venetis . 373. Venetorum castrum ad quadraginta occupat . 380. Pacem cum Venetis & Florentinis facit . 382.
Franciscus Spinola dux classis Genuensis . 287.

G

- G**abriel Brunellescus . 191.
Gabriel Maria Pisarum tyrannus . 161. Pisas vendit Florentinis . 162.
Galeottus Malatesta Florentinorum dux . 32. 41.
Gallianum a Mediolanensibus captum . 15.
Gallorum natura . 107. & ib. n. superantur . 108.
Gambacurtæ Pisarum Domini, Florentinorum amici . 11. & 17. Principes factionis Guelphorum . 166.
Gatta Mellita . 307. & ib. n. Venetorum dux creatur . 314.
Gentilis Camers . 116.
Genua occupatur a Philippo Mediolanensi . 202. ab eo deficit, Fregosio auctore . 304. & ib. n.
Genuenses novarum rerum cupidi . 23. Dedunt se Archiepiscopo Mediolanensi . 24. Qua de causa . ib. n. Fœdus ineunt cum Senensibus pro Lucæ libertate . 280. Victi navali prælio a Venetis . 289.
Genuensium in Catalanos odium . 216. & ib. n. Eorum exules prælio superantur a Philippo Mediolanensi Duce . 242. V. ib. notas.
Georgius Cornarius victus, & captus a Piccenino . 301. & ib. n. Moritur . 302. n.
Georgius Ordelafrus Forilivii Tyrannus . 204.
Gerardus Abbas Montis majoris . 45. n.
Gherardus Appianus Pisas Galeatio vendit . 135.
Gherardus Gambacurta . 223.
Gillii insula . 26.
Ginus Cappo . 163. & ib. n. 169. ejus oratio . 175. Primus Pisarum Prætor pro Florentinis . 178. & ib. n.
Gometius Hispanus Asculanus Præfectus . 53. & 53. n.
Granarolum a Pontifice deficit . 55. cujus ditionis fit . 55. n.
Gregorius V. Germanis concessit eligendi Imperatoris auctoritatem . 299.
Gregorius XI. Pontifex . 41. & 41. n. fœdus renovat cum Florentinis & sociis . 41. Decem Britonum milia conducit . 54. Florentiam oratores mittit . 54. Florentinos damnat, & interdicto punit . 63. & 64. Ejus milites superantur . 70. oratores ad Florentinum populum mittit . ib. Moritur . 76.
Gregorius XII. Pontifex . 178. & ib. n.
Gualterius urbis tyrannidem occupat . 6. pellitur . ib.
Guaspar Ubaldinus victus fugatusque . 168.
Guccius Cortonæ Princeps . 139.
Guelfæ & Ghibellinæ factionis origo . 8. Earum factionum principes . 166. Quas Brixinæ partes utraque teneret . 233. Quinam Brixinæ earum principes . 315. n.
Guidantonius Feretrans Urbini Comes Florentinorum dux . 276. vincitur ad Lucam . 278.
Guidantonius Manfredus . 219. a Venetis ad Franciscum transit . 309. qua de causa . ib. n.

Gui-

NOMINUM, AC RERUM.

Guido Astianensis. 65.
 Guido Thomafius. 114. 120. & ib. n.
 Guido Torrellus Philippi copiarum
 dux. 224.
 Guillelmus de Novelleto S. Angeli
 Cardinalis. 41. n. Bernabovis ex-
 ercitus fundit. 41.

I

Jacobus Appianus. 118. Petrum
 Gambacurtam interficit. 121. quo-
 modo. ib. n. Moritur. 134. & 135.
 Jacobus Armeniacus Comes move-
 tur a Florentinis in Galeatium
 104. superatur cum suis. 108.
 moritur. 109. quo morbo. ib. n.
 Jacobus Donatus Venetorum Orator
 ad Florentinos. 328.
 Jacobus Gianfiliatus. 188. 189.
 Jacobus Pepolus. 9.
 Jacobus Piccininus Veneti exercitus
 dux. 358.
 Jacobus Salviatus Florentinorum dux
 ibid.
 Jacobus Vermius missus a Galeatio
 contra Bononienses. 97. n. Gal-
 los fundit. 108. Ejus milites fu-
 gantur ab Auguto. 110.
 Imola occupatur a Duce Mediola-
 nensi. 212.
 Induciæ inter Pontificem, & Berna-
 bovem. 42.
 Interdictum Pontificis in Florentinos.
 63. & 64. contemptum: 73. & 74.
 tollitur. 78. & 78. n.
 Johanna Regina Pratum Florentinis
 vendit. 9. n. Pontifici auxiliatur.
 54.
 Johanellus Tomacellus. 154. & ib. n.
 Jo. Actius Ubaldinus. 90. 95. Lu-
 cianum occupat Senensium nomi-
 ne. 99. in morbum incidit. ib.
 moritur. 100.
 Johannes Agnellus. 167.
 Johannes Malavolta Venetorum equi-

tum præfectus. 317.
 Johannes Appianus. 116.
 Johannes Augutus. 29. & 29. n. con-
 ducitur a Bernabove. 37. Floren-
 tinos superat. 38. a Bononiæ Le-
 gato conducitur. 41. Vercellas
 cum centum ferme oppidis capit.
 42. fœdus init cum Florentinis.
 46. Faventiam diripit: 55. Pro
 Florentinis & Bernabove militat.
 69. Florentinorum dux contra Ga-
 leatium. 96. sæpe provocatus Me-
 diolanenses milites superat, fu-
 gatque. 110. Hostes eludit. 111.
 moritur. 122. ejus funus. 123.
 Johannes Aulejus Archiepiscopi filius
 dictus. 12. Exercitus Mediolanen-
 sis dux. 12. ejus responsio ad Flo-
 rentinorum legatos. 13. Bononiam
 suo imperio subjicit. 24. Pontificis
 Legato eam tradit. 24.
 Johannes Barbiani Comes. 132.
 Johannes Bentivolius Bononiæ tyran-
 nidem occupat. 138. a civibus in-
 terficitur. 151.
 Johannes Boccatus ad Carolum Im-
 peratorem legatus. 22. n.
 Johannes Bonaccursus Florentiæ con-
 falonerius a Galeatio corruptus 91.
 n.
 Johannes Buccicauda. 162.
 Johannes Eugubinus. 300.
 Johannes Galeatius Bernabovem pa-
 truum dolo circumvenit, & Me-
 diolanum occupat. 83. & 84. Pa-
 tavinum, & Veronensem Princi-
 pem bello fatigatos opprimit. 85.
 eorum urbes occupat. 85. & 86.
 Florentinis bellum indicit. 95. Ejus
 triremes a Florentinis superantur.
 118. cum iis pacem facit. 120.
 Mediolani Dux a Vincenslao Impe-
 ratore creatur. 33. adjunctis ejus
 imperio urbibus. 124. & ib. n.
 cum Florentinis bellum gerit. 126.
 Mantuam obsidet. 129. Navali præ-
 lio

- lio superatur . 131. Superatur etiam terrestri pugna . ibid. Mantuam rursus aggreditur . 132. Pisas cmit . 135. Perusium occupat . 137. cum Florentinis , ac fociis pacem firmat . 137. & 138. Bononiam occupat , 151. moritur . 153. V. notas.
- Johannes Gambacurta . 167. Pisas Florentinis tradit . 175.
- Johannes Maria Mediolanensis Dux , ejusque crudelitas . 160. interficitur . ib. quomodo . ib. n.
- Johannes Medices . 19. 221.
- Johannes Regentis Florentinorum dux captus . 38. n.
- Johannes Riccius Jurisconsultus . 91.
- Johannes Strotius præfectus copiarum Ferrariensium acie occumbit . 245.
- Johannes Tedescus . 98. 99. n. Senensium dux . 100.
- Johannes Vicedomini . 19.
- Johannes Vitellescus Cardinalis , in scio Pontifice , cum Philippo foedus init . 339. captus , & in arcem coniectus moritur . 339. & ib. n.
- Johannes XXIII. ultro dignitatem abdicat . 197. n.
- Johannotius Pandulfinus . 382.
- Julius Davanzatus ad Venetos legatus . 311.
- Lancisa . 28. Francisci Petrarchæ origine clara . 28. n.
- Laurentius Rafacanus . 163.
- Laurentius Rodulphus . 226. 227.
- Leopoldus Austriæ Dux . 142.
- Liburnum . 31. & 31. n.
- Lottus Gambacurta . 23.
- Loysius Capuanus . 104. 119. 120.
- Lucas Fliscus Florentinorum dux . 169.
- Lucenses foedus violant . 22. auro libertatem redimunt . 39. Florentinorum opera Remp. constituunt . 39. n. post Guiniffi tyrannidem libertatem recuperant . 274.
- Lucianum occupatur a Senensibus . 99. quomodo . 99. n. expugnatur a Florentinis . 104.
- Lucius Germanus Comes . 70.
- Ludovicus Albergottus Aretinus . 114.
- Ludovicus Alidosius . 212.
- Ludovicus Andegaviæ Dux declaratur Rex Apuliæ . 76. 190. Vincit Ladislaum Siciliæ Regem . 193.
- Ludovicus Archiepiscopus Arelatenfis Bononiæ Legatus . 213.
- Ludovicus Mantuani filius a Sfortiæ militibus capitur . 306. & ib. n.
- Ludovicus Mediarota Archiepiscopus Florentinus . 340. & ib. n. Pontificis copiarum dux . 344. Cardinalis factus ob partam de Piccinino victoriam . 350. & ib. n.
- Ludovicus Obicius . 215. & ib. n.
- Luparellus . 38.

L

- L** Adislaus Apuliæ Rex . 76.
- Ladislaus Siciliæ Rex cur bellum Florentinis moverit . 178. 8. seqq. Cortonam occupat . 189. cum Florentinis pacem facit . 191. vincitur a Ludovico Andegaviæ Duce . 193. Romam occupat . 195. Omnia Pontificiæ ditionis præter Bononiam capit . 196. moritur . ib.

M

- M** Affeus Vicecomes . 8. non Mafheus , sed Matthæus . 8. n.
- Malatesta Pisauriensis foederatorum dux . 190.
- Mannus Donatus Florentinus . 32. Florentinorum dux . 39. Patavii moritur . 40.
- Marcellus Strozza . 207.

Marcia-

NOMINUM, AC RERUM.

Marcianum occupatur a Senensibus .
100. quomodo . ib. n.
Martinus V. Pontifex creatus . 197.
Florentiæ contumeliis affectus .
203. & ib. n. Moritur . 280.
Masus Albitius . 161. 169.
Michelettus Attendulus Venetarum
copiarum dux . 355.
Michelettus Cutiniola . 281. superat
Albericum . 284.
Michelottus Perusinus . 100. V. no-
tas.
Miniante a Florentinis occupatur . 38.
Montis Georgii castellum captum ,
ac direptum . 65.
Montis Scudarii Comites . 126.

N

Nellus Jurisconsultus . 209. 225.
Nicolaus Acciajolus Florenti-
nus . 9.
Nicolaus Albergatus Cardinalis S.
Crucis . 238. & ib. n. Legatus de
pace a Pontifice mittitur . 252. &
ib. n.
Nicolaus Estensis Ferrariæ Princeps .
206. 352.
Nicolaus Fortebraccius agrum Lucen-
sem depopulatur . 254. Lucam ob-
sidet . 269. pellitur castris , & in
fugam vertitur . 270. Vincitur acie
a Francisco Sfortia . 272.
Nicolaus Piccininus captivus Faven-
tiam ducitur . 219. dimittitur , &
Florentinorum dux declaratur .
220. Transfit ad Philippum . 224.
subsidio Lucensibus mittitur . 275.
Florentinorum copias ad Lucam
cædit . 278. Pontificis , & socio-
rum copias apud Bononiam vin-
cit . 303. Ejus milites fusi , fugati-
que . 306. Venetos superat . 308.
Ravennam , Imolam , Forumlivii
& Bononiam capit . 314. Casale
Majus capit . 314. Deserit Brixia

expugnationem . 325. Venetæ clas-
sis milites cædit , & fugat . 333.
ejus copiæ superantur , & fundun-
tur . 334. & ib. n. Veronam capit .
335. eam amittit . 336. in Etru-
riam transit . 340. Vincitur , fuga-
turque apud Englarium . 349. Ejus
dolor , ac desperatio ob acceptam
cladem . 350. n.

Nicolaus Tolentinas . 224. Florenti-
norum dux . 231. Philippi exerci-
tum cædit in Etruria . 294. Pon-
tificis dux ad Bononiam vincitur ,
& capitur . 303. & ib. n.

Nicolaus V. Pontifex . 360. Auctor
est pacis inter Alphonsum , & Flo-
rentinos . 366. Pacis cupidus qua
de caussa . 381. n. Socius , & seque-
ster pacis & societatis inter Vene-
tos , Florentinos , Mediolanensem
Ducem & Neapolitanum Regem .
383.

Nicolaus Uzzanus . 151. Ejus oratio .
259.

O

Obizus Garullus Florentinorum
dux . 166. ad sua tuenda re-
versus . 169. n.

Octo Sancti . 52. n.

Odium antiquum inter Florentinos ,
& Pisanos . 164. & ib. n.

Odium Genuensium in Catalanos .
216. & ib. n.

Oratio Archiepiscopi Mediolanensis
ad Ghibellinos . 10. Aloysii Aldo-
brandini . 48. Donati Barbadori ad
Pontificem . 57. Oratoris Pontificis
ad Populum Florentinum . 70. Jo-
hannis Riccii ad Florentinos . 91.
Oratoris Galeatii ad Venetos co-
ram oratoribus Florentinis . 146.
Oratoris Florentini responsio .
146. Gini Capponis ad Pisanos .
175. Bartholomæi Valorii ad po-

I N D E X.

- pulum Florentinum. 210. Renaldi Albitii ad Florentinos. 256. ad eisdem Nicolai Uzzani. 259.
- Orlandus Malavoltus Senensis ad Florentinos transit. 104. n.
- Orlandus Palavifinus. 241.
- Otho Fliscus Vercellarum Episcopus. 41. n.
- Otho Tertius. 155. multarum urbium tyrannus fit. 160.
- P
- P** Actii familia. 12.
- Pallas Strotius. 221. 300.
- Pandulfus Malatesta. 28. Florentini exercitus dux. ib. missionem petit. 32. Brixiam occupat. 160.
- Patavinus Princeps cum Veronensi bellum gerit. 85. Uterque bello fatigatus opprimitur a Galeatio Mediolanensi Duce. 85. 86.
- Patavium occupatur a Duce Mediolanensi. 86. recuperatur a Francisco Carrario filio. 100. & 101. quomodo. ib. n.
- Paulus Barbus. 382. & ib. n.
- Paulus Guinifius Lucae tyrannus adhæret Philippo. 237. A Nicolao Fortebraccio oppugnatur. 254. oppugnatur & a Florentinis. 266. capitur cum filio. 273. & ib. n. ad Philippum mittitur. ib.
- Paulus Rucellarius. 287.
- Paulus Urfinus. 193.
- Pecciolum oppidulum. 26.
- Perusini a Florentinorum societate avertuntur. 90.
- Perusium deficit a Pontifice. 53. Occupatur a Galeatio. 137. rursus in Pontificis potestate est. 158.
- Petrabona Pisanorum castellum capitur a Florentinis. 26.
- Petramalæ familia. 351.
- Petrus Balneorum Comes suis omnibus castellis a Florentinis spoliatur. 161.
- Petrus Beccanusius. 300.
- Petrus Farnesius Florentini exercitus dux. 27. Pisanos superat. 27. moritur. ib. quo morbo. ib. n. Ejus frater ei suffectus. ib.
- Petrus Gambacurta ab Appiano cum filiis interficitur. 121.
- Petrus Lauretanus Dux Venetæ classis. 287. 318.
- Petrus Sacconus. 12. Perusinorum castella occupat. 20. & 21. Superatur a Florentinis. 21.
- Petrus Rossus Parmensis. 159.
- Philippus Adimarius. 114.
- Philippus Brunellescus architectus. 270.
- Philippus Mediolani Dux cum Florentinis pacem firmat. 161. animum adjicit ad oppugnandam Genuam. 199. cum Florentinis fœdus facit. 202. Genuam capit. 202. Forumlivii occupat. 206. Imolam occupat. 212. Florentinos apud Zagonaram vincit. 217. Pacem facit cum Florentinis, & Venetis. 239. Eam violat. 241. Mantuanum agrum depopulatur. ibid. Æquo Marte pugnat cum fœderatis. 247. & 248. Ejus exercitus apud Maclovium profligatur. 250. Ab Amedeo pacem redimit. 252. Opem petit a Sigismundo Imperatore. 251. & 252. Pacem cum Venetis, & sociis facit. 253. rursus ad bellum mentem convertit. 269. callide Franciscum Sfortiam dimittit. 271. Venetam classem superat. 287. Vincitur in Etruria. 294. Pacem facit cum Venetis, & Florentinis. 301. Picenum occupat. 302. Rursus bellum movet. 304. Cum Florentinis pacem facit. 313. Ejus exercitus ad pontem Jarchii profligatur. 325. & 326. Ejus exercitus

NOMINUM, AC RERUM.

- citus vincitur, fugaturque. 349.
 Pacem cum Venetis, & Florentinis
 facit. 358. moritur. 360.
 Pisæ emuntur a Galeatio. 135. Ven-
 duntur Florentinis. 162. in liber-
 tatem vindicatae. 163. obsidentur
 a Florentinis. 169. deduntur Caro-
 lo VI. Galliae Regi, & Johanni
 Burgundiae Duci. 170. occupantur
 a Florentinis. 175.
 Pisani foedus violant. 22. Belli occa-
 sionem quaerunt. 25. Florentino-
 rum oppida per prodicionem ca-
 piunt. 25. superantur a Florenti-
 nis. 27. Fighinum expugnant. 28.
 Florentinos superant. 28. Florentiae
 propugnacula oppugnant. 31. supe-
 rantur a Florentinis. 33. Pacis con-
 ditiones a Florentinis accipiunt.
 34. Bellum suscipiunt cum Floren-
 tinis. 163. Debellantur. 175.
 Piscaria occupatur a Francisco Sfor-
 tia. 351. & ib. n.
 Poggius primam Priorum creationem
 non recte assignat. 5. n. Fallitur in
 annis computandis. 6. n. Noratus.
 7. n. Item. 37. n. cum Aretino
 conciliatur. 57. n. cum Corio &
 Ammirato conciliatur. 84. n. re-
 prehenditur. 87. n. castigatur. 96.
 n. Non consonat cum Corio. 124.
 n. castigatur cum aliis simul scri-
 ptoribus. 150. n. non jure Floren-
 tinos excusat. 267. n. corrigitur.
 273. n. corrigitur ab Ammirato.
 280. n. reprehenditur, & excusa-
 tur. 304. n. Aliena confingit a Ve-
 neti Senatus gravitate. 311. Casti-
 gatus. 320. Dissidet a Machiavel-
 lo, & Ammirato. 344. n. Corri-
 gitur ex Ammirato, & Corio.
 356. n. Dissidet a Corio. 360. n.
 Injuria Venetos accusat. 370. &
 371. n. Correctus ex Petro Justi-
 niano, Pigna, & Platina. 372. n.
 Correctus. 378. n.
 Politianum dedit se Florentinis, sed
 non recipitur. 87. recipitur. 97.
 Occupatur a Piccinino. 345. n.
 Prati proditores. 45. n.
 Priores Florentiae quando creati. 5. n.

R

- R** Amundus Gregorii XI. Pont. ne-
 pos. 73.
 Ramundus Manellus. 288.
 Raspantes. 166.
 Ravenna quando Veneti potiti sint.
 314.
 Redolphus Malatesta Brixiam occupat.
 160.
 Redolphus Varanius Camers Floren-
 tinorum dux. 26. cur imperio pri-
 vatus. 27. & 27. n. Iterum dux
 creatus. 64. Prudens & callidum
 ejus responsum. 66. Ad Pontificem
 deficit. 70. qua de caussa. 70. n.
 capite inverso pictus. 70. Vinci-
 tur. ib.
 Regiolum expugnatum, & incensum
 a Florentinis. 106.
 Regium nomen antiquissimum est.
 298.
 Regulus Montisferrati. 241. Medio-
 lanensem agrum depopulatur. 248.
 Religio nova, ejusque instituta. 136.
 & ib. n.
 Renaldus Albitius. 220. 225. ejus
 oratio ad Florentinos. 256.
 Renaldus Ursinus. 96. Plumbino im-
 perat. 363. Foedus cum Florenti-
 nis init. ib.
 Renatus Andegavensis Dux in Ita-
 liam venit contra Alphonsum.
 376. & 377.
 Renerius Farnesius Florentini exerci-
 tus dux. 27. capitur a Pisanis.
 Rhodigium Venetis oppignoratum.
 320. & ib. n.
 Robertus Bavariae Dux Imperator
 creatus. 139. cum Florentinis fo-
 dus.

I N D E X

dus init. 140. in Italiam venit contra Galeatium . ib. In Germaniam redit. 144.
 Robertus Baptifollis Florentinorum dux. 38.
 Robertus Gebennensis Cardinalis . 54 n.
 Robertus Puppii Comes . 136.
 Rossius Riccius Florentinorum dux . 40. capitur . ib.

S

S Carparia oppugnata . 18. sed non expugnata . 20.
 Schisma in Ecclesia . 179.
 Senensium invidia in Florentinos . 86.
 Hinc bellum . 87. Senenses foedus ineunt cum Jo. Galeatio contra Florentinos . 88. Pacem cum Politianensibus faciunt . 89. Bellum gerunt cum Florentinis . 97. Lucianum occupant . 99. Marcianum occupant . 100. pacem firmant . 120. Florentinorum excursionibus vexantur . 161. pacem faciunt . ib. foedus faciunt cum Florentinis & aliis contra Ladislaum Siciliae Regem . 190. Cum eo pacem faciunt . 192. bellum decernunt in Florentinos . 268.
 Sigismundus Imperator e Germania in Etruriam descendit . 295. Romae coronatur . 297.
 Spoleum cum aliis oppidis a Pontifice deficit . 53.
 Stephanus Bavariae Dux in Italiam venit contra Mediolanensem Ducem . 202. In Germaniam revertitur . ib.

T

T Aciturnitas Senatus Veneti miranda . 291.
 Tanus Comes Montis Carelli . 15.

Thaddæus Estensis . 321.
 Thaddæus Vermius . 116.
 Thelamon oppidulum . 25. & 25. n.
 Thermæ vicus . 3. Unde sic dictus . 3. n.
 Thomas Fregosus Genuæ Dux . 199. 216. auctor est Genuensibus libertatis recuperandæ . 304. & ib. n.
 Tifernates a Pontifice deficiunt . 52.
 Torrellus Pratenfis . 191.
 Totilam cum Atila quidam confundunt . 3. n.
 Trojanum castellum . 26.
 Truncius Pisanorum Annalium auctor notatus . 35. n.
 Tyrannis non sine periculo dantur sana consilia . 21.

V

V Annes Castellantus . 157. & ib. n.
 Ubaldini Florentiolam occupant . 12. Coloretum occupant . 12. Politianum adoriuntur, & repelluntur . 16.
 Veneti foedus cum Florentinis & sociis faciunt . 134. Concordiam firmant inter Mediolanensem Ducem, Florentinos, ac ceteros socios . 137. cum Florentinis & aliis foedus ineunt . 231. Bellum suscipiunt adversus Philippum Mediolanensem Ducem . 232. Brixiam occupant . 236. Pacem faciunt cum Philippo . 239. classem Mediolanensem ad Brixellum fugant . 242. & 243. Philippum superant . 250. Pacem cum Philippo faciunt . 253. eorum fides laudata . 268. n. Carminiolam contra Philippum mittunt . 281. eorum classis vincitur, & fugatur . 287. Genuenses navali prælio superant . 289. Eorum miranda taciturnitas . 291. cladem accipiunt in Valle Tulina . 300. cum Philippo

NOMINUM, AC RERUM.

- po pacem faciunt. 301. Defensi contra Corium. 302. n. Bellum contra Philippum renovant. 307. Mantuanum belli ducem designant. ibid. superantur a Nicolao Piccino. 308. Defenduntur a Poggii accusatione. 311. Victoriā referunt ad Pontem Jarchæ. 326. Rem aggrediuntur literarum memoria dignam. 326. & 327. Cum Philippo pacem faciunt. 358. Placentiam & Laudum occupant. 367. Placentiam amittunt. ibid. Eorum exercitus profligatur a Francisco Sfortia. 368. cum Sfortia societatem ineunt, eique Laudum cedunt. ibid. Societatem ineunt cum Mediolanensibus. 369. Fœdus jaciunt cum Alphonso adversus Sfortiam. 370. E suis finibus Florentinos pellunt. ibid. qua de causa. ibid. n. superant Alexandrum Sfortiam. 373. Pacem cum Francisco Sfortia faciunt. 382. Societatem ineunt cum Sfortia, Florentinis, & aliis. 383.
- Vercellæ ab Auguto captæ, 41. & 41. n. Receptæ a Galeatio Bernabovis fratre. 72. V. notas. Verius Guadagnius. 220. Verona occupatur a Duce Mediolanensi. 85. diripitur. 101. ad antiquos Scalæ Principes deficit. 160. Ugolottus Blancardus. 101. & ib. n. Ugolinus Marchio Viadanæ Cremonam occupat. 157. Vicecomites unde dicti. 1. n. A quibus eligerentur. 1. n. Ghibellinæ factionis principes. 7. eorum origo. 7. Mediolanum commigrant. 7. Non commigrant, sed remigrant. 7. n. Mediolano pulsi. 8. restituti. ib. Vicus Pisanorum oppidum capitur a Florentinis. 173. Villanova a Mediolanensibus capta. 15. Vincenslaus imperio privatus. 139. qua de causa. 139. n. Volsinienses rebellant. 69. Eorum conditio, & fines. 69. n. capti, crudeliterque puniti. 72. Urbanus VI. Pontifex eligitur. 77. & 77. n.

F I N I S.

ER-

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 24	Avinionæ	Avinione
40	Corrariensis	Carrariensis
44	Britannos	Britones
46	Ritofè	Ritafè
86	traditur	trahitur
120	qui	quid
159	cane	Cane
160	hac	hanc
182	fit	esse
221	contenta	contemta
228	ἐπισαμένοιτελ ὡς βαρβάροισιν ἐστὶν ἕτα πισὸν ἕτε ἀληδες ἕδέν	ἐπισαμένοισι, ὡς βαρβάροισί ἐστι ἕτα πισὸν, ἕτε ἀληδες ἕδέν.
252	Pingorius	Pingonius
298	coronatos	coronari

NOI REFORMATORI

dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione , & Appro-
batione del P. F. Tommaso Maria Gennari Inquisitore
nel Libro intitolato : *Poggii Historia Florentina nunc pri-
mum in lucem edita , &c.* non v'esser cosa alcuna contro
la Santa Fede Cattolica , & parimente per Attestato del
Segretario Nostro ; niente contro Principi , & buoni
costumi , concedemo Licenza a *Gabriel Hertz* Stampato-
re , che possi esser stampato , osservando gl'ordini in ma-
teria di Stampe , & presentando le solite copie alle Pu-
bliche Librarie di Venezia , & di Padoa.

Dat. 15. Luglio 1715.

(Carlo Ruzini K. Pr. Ref.

(

(Alvise Pisani K. Pr. Ref.

Agostino Gadaldini Segr.









Coventry





